Digitized by Google

Digitized by Google

TEMPE HELVETICA,

Diſſertationes atque Obſervationes
THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS,
EXHIBENS.

Tomi Secundi

Sectio Prima.

BIBLIOTECA NA
ROMA
VITTORIO EMAN
COL·S·BONAVENTU

TIGURI,
EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.
M DCC XXXVI.

Digitized by Google

VIRO

Venerabili, atque Celeberrimo,

JOH. RODOLPHO CRAMERO,

S. S. THEOLOGIÆ IN ACADEMIA TIGURINA PROFESSORI PRIMARIO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Venerandi Canonicorum Collegii Decano Spectatiſſimo.

ECCLESIÆ PATRIÆ ORNAMENTO, DOCTRINÆ SALUTARIS PROPAGATORI ET DEFENSORI EXIMIO, *CRAMERIANI* NOMINIS ATQUE FAMÆ COLUMINI FULGENTISSIMO,

Variisque in Rempubl. Literariam Ingenii monumentis illuſtriſſimo.

SECTIO-

SECTIONEM QUINTAM

MISCELLANEORUM THEOLO-GICO-PHILOLOGICORUM

Qua æquum eſt Obſervantia

inſcribit,

Simulque Illum ad hoc inſtitutum juvandum & locupletandum

rogat & invitat

J. GEORGIUS ALTMANNUS.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

Lectori Pio & Benevolo S. P. D.

JOH. GEORGIUS ALTMANNUS,
V. D. M. Linguæ Græcæ & Ethices in Academia Bernenſi Profeſſor Ord.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

EXpedivimus jam bono cum Deo tomum primum Collectionis noſtræ Theologico-Philologicæ; ad alterum jam volumen exornandum nos accingimus, in cujus vero limine pauciſſima tantum monenda videntur. Gratiam ante omnia, quam debemus, agimus Viris doctis, qui hactenus inſtitutum noſtrum egregiis Diſſertationibus promoverunt, utque eundem dehinc favorem declarent, rogamus: Hoc autem majorem in modum ab illis expetimus, ut Diſſertationibus vel Obſervationibus ſuis tractando-

rum ſummam præponere velint, hos enim maximopere Lectorem juvare & delectare, cognitum ſatis eſt atque perſpectum. In noſtro vero inſtituto novi nil monendum, idem enim perſtat operis & inſtituti conſilium, quod ſtatim ab initio fuerat initum. Cum enim hæc Miſcellanea plures jam vel emtores vel lectores invenerint, quam nonnulli, qui omnia atroci rodere dente conſueverunt, temere ſuſpicabantur, eodem porro pede alacriter pergendum eſſe exiſtimamus. Opuſcula vero vel Diſſertationes rariores impoſterum plures quam hactenus cum bono Lectore communicabimus; quod vero illud parcius hactenus factum fuerit, exinde natum, quia primus ſemper locus dandus videbatur Exercitationibus Fautorum atque Amicorum, qui Obſervationes ſuas nobis benigne obtulerant. Operam etiam dabimus, ut Academiarum variarum, Helveticarum præſertim, bodiernæ facies, ut & enarrationes vitæ Virorum in Republica Literaria illuſtrium dehinc compareant. Pauca hæc monuiſſe ſufficit. Tu autem, Benevole Lector, his noſtris conatibus proporro fave, atque utere ex voto noſtro rebus lætis & ad voluntatem fluentibus. Scripſi Bernæ Pridie Calendar. Junii, CIↃ IↃ CC XXXVI.

I. JO.

I.

JO. JACOBI LAVATERI, F.

ORATIO INAUGURALIS,

Qua, præmiſſa brevi *Icone Theologi*, deſcribitur

VITA *

Viri Clariſſ. Τȣ νυν Μακαρ.

JOANNIS JACOBI HOTTINGERI,

S. Theologiæ apud Tigurinos quondam Profeſſoris.

SOlent, qui ædificium exſtruere moliuntur, formam ædificii non animo tantum concipere, ſed etiam à peritis Architectonicarum artium Magiſtris delineandum curare, quam qui viderit, quale ædificium futurum ſit, facile intelligit. Horum me modum agendique rationem hodie imitari multæ jubent rationes. Nam ſive ad ea reſpi-

* Loco promiſſæ T. I. p. 443. & 577. amplioris *Biographia*

reſpiciam, quæ inter nos acta tenui mea Oratione repetere, & brevi quaſi in tabella depicta in conſpectum veſtrum adducere conor, ſive in futurum proſpiciam, ea mecum ipſe, id quod facere mihi neceſſe eſt, ſeria cogitatione revolvens, quibus rebus ſolenni hac, & (o utinam felici fauſtoque Omine hoc à me dictum velit Optimus Maximus Deus!) honeſta mihi cæremonia hodie initier, haud videar ſane commodius utroque defungi poſſe officio. Quid vero aliud Vos à me hac hora exſpectare putem, niſi ut Manibus Viri Celeberr. JO. JACOBI HOTTINGERI, quem ereptum Nobis in beatas cœlitum ſedes Deus tranſtulit, parentando pietatis officium perſolvam; tum vero, ut ſpecimine aliquo Vobis demonſtrem, me, cui contigit, Volente Deo, præclaram omnique ex parte exornatiſſimam provinciam à Laudatiſſimo Viro accipere, impar licet ſim, & longo poſt Ipſum relinquar intervallo, non eſſe tamen rerum ad me pertinentium ita vel ignarum vel incurium, quin intelligam, quid quantumve ſit, publicum *Theologiæ Doctoris* munus ſuſtinere, & iis, qui ceu Naziræi Deo atque Eccleſiæ conſecrati ſunt, mature ad grave munus præparandis operam collocare. Hoc utrumque autem ut Sermone meo conſequar, haud abs re erit, *Icona* ſive Imaginem veri, fidelis & tanto nomine digni Sacrarum Literarum Doctoris ante omnia breviter Vobis exhibere. Itaque *duabus partibus* Oratio noſtra abſolvetur. *Prima* præcipuas Theologi virtutes rudi penicillo depictas dabit. *Altera* illuſtre exemplum conſpici-

phiæ Hottingerianæ ſiſtimus heic *Ven. Succeſſoris Orationem Inauguralem*, uti illam d. 7. Cal. Jun. publice recitavit; Neque dubitamus, quin editione ejus, a Cel. Auctore benevole nobis indulta, non ſolum fidem ſolvamus datam, ſed & apud omnes Bonos haud exiguam ArrayList inituri ſimus gratiam. J. J. H.

ſpiciendum ſiſtet. Illa formam ædificii, hæc ædificium ipſum quodammodo referet. Prior illa quid veræ laudis ſit oſtendet; Altera, quæ laudari poſſunt, quæque bonis omnibus laudantur, egregio exemplo complectetur. In utraque parte ſi mihi contigerit eſſe tam felici, ut & in deligendo & in enarrando non plane inepte verſatus fuiſſe videar, tantum ſermone meo apud Vos me profeciſſe ſpero, ut muneris, quod ſuſtineo, rationem, quæque ad illud recte obeundum requiruntur neceſſaria ſubſidia, haud negligenter à me ponderari credatis; quod mihi ad præſens hoc tempus ſatis erit. Non enim tantum mihi ſumo, ut videri velim eſſe qui non ſum, ſed hoc tamen valde laboro, ut talem me agnoſcatis, qui omni niſu eum me fieri cupiam, qui eſſe debeo; in eaque ſpe ſum, fore ut pro ſumma Veſtra multis rebus mihi cognita æquitate ita mecum ſentiatis, bonæ voluntati & animo, non levi ac perfunctoria cogitatione res ad ſe pertinentes transmittenti, ſuam laudem denegandam non eſſe. Quod facit, ut Vos obnixe orem atque obteſter, ut hac quoque hora majora non appetentes in eo benevole acquieſcatis, ſi ex brevi earum rerum, quæ exornandæ mihi ſunt, enarratione conjecturam aliquam facere Vobis liceat, me quid ſequendum mihi ſit perſpicere. Quamvis & hic, cum Theologiæ Doctorem Vobis deſcribere, ejusdemque exemplum in Viro Celeberr. ob oculos veſtros ſiſtere conor, magno inſtitutæ rei onere me premi ſentiam. Quod enim multis leve fortaſſe videatur, id quo magis mecum ipſe perpendo, hoc difficilius eſſe experior. Nam de magnis rebus Virisque dicere magni ingenii eſt, neque quid in iis maxime laudandum ſit, facile pervidet, qui non iisdem, quibus illi, dotibus inſtructus eſt. Quamobrem hoc unum mihi reſtat, ſermonis materiem me delegiſſe, non ambitione à me occupatam aut aliis præreptam, ſed perſonæ munerisque mei conditione ita

poſtulante, ut & de *Theologo*, & de Theologo inclyto HOTTINGERO, dicere tentem. Utriusque cauſas multas habeo: quod Theologiæ docendi partes mihi ſunt demandatæ, quod in iſthoc munere, non paſſibus licet æquis, Magno tamen *Hottingero* ſuccedo, Viro neceſſario noſtro atque propinquo, qui cum paterna mea familia affinitate conjunctus multos annos vixerat, cum quo contigit mihi ab ineunte ætate multum uſum habere, cujus adeundi frequens mihi dabatur occaſio, à quo me amari intelligebam, quique ætate gravis & ad metam properans lampada mihi tradere videbatur. Quæ omnia niſi forent, non eſſem tam vana opinione inflatus, ut id mihi exornandum ſumerem, in quo vel Doctiſſimus quisque induſtriam ſuam recte exercere poſſit. Hæc ipſa, niſi me fallit animus, Veſtram, Auditores, in me audiendo benevolentiam mihi conciliabunt. In talium Virorum Concilio mihi dicendum eſt, qui ea omnia, de quibus aliquid à me expectant, ſic perdidicerunt, ut, quæ in Sermone meo deſiderabuntur, ex domeſticis opibus ſuis abunde compenſare poſſint. Adeſte ergo faventes, atque Orationis noſtræ velum placida Veſtra aura proſequimini.

Nemo eſt, opinor, Auditores, qui Religionis Sacrarumque Literarum ſummam cum neceſſitatem tum præſtantiam atque utilitatem ſecum ipſe perpenderit, quin & publicum earum rerum Interpretem agere, eximium munus eſſe fateatur idem. Quo vero præclarius eſt eorum ſtudium, qui in divinis rebus explicandis verſantur, hoc major, &, vere ut dicam, divinior animi ingeniique virtus in eo Viro eſſe debet, qui munere illo rite defungi cupiat. Poſſem, A. altius rem repetere, non enim heri demum aut nuper, ſed inde à prima ætate, & ab ipſis incunabulis divino hüic muneri conſecrari, quæque in eam rem uſui ſunt, ſumma cura provideri oportet. Et quamvis ad

Sacrum munus idonei non naſcamur, ſed Dei gratia reddamur, ſunt tamen quædam, quibus Theologiæ Doctorem inſtructum eſſe neceſſe eſt, quæ fere cum ipſa natura liberalis Conditoris manus impertiri ſolet. Tum vero multa ſunt, & quæ Parentum curam requirunt, & in quibus ipſum illum, qui olim Theologi perſonam ſuſtinere dignus ſit, elaborare addecet; neminem quemquam enim firma ætate eum futurum eſſe ſperare licet, qui divinarum rerum Doctoris titulum exæquet, qui non inde à primis annis optimæ indolis ſigna ex ſeſe oſtenderit. Itaque ſi ab hac parte *Icona Theologi* effingam, recte dixerim, Virum eſſe, ſed Virum, qui puer exiſtens jam tum optimarum, præſertimDivinarum,Literarum amore incenſum animum habuit, per varioſque creſcentis ætatis gradus ſic traducere vitam eſt ſolitus, ut nullam ſibi maculam contraxerit, neque quod viro pudendum eſſet, adoleſcens admiſerit. Verum longum foret, omnia ſigillatim perſequi. A puero atque adoleſcente ad virum accedamus, quæque in eo Viro, qui ſacrum munus capeſſit, virtutes eſſe debeant, brevi complectamur. Unde ſponte appareat, quemadmodum nemo derepente integrum viri robur acquirit, ita non ſubito vel citra longam multorum annorum præparationem quemquam oneri, quod maturi & multifariarum rerum ſolida cognitione imbuti judicii Virum poſtulat, ferendo aptum evadere.

Hoc ut efficiam, quæ in Theologiæ Doctore apprime neceſſaria ſunt, omnia ad *quatuor* rerum Capita revocabimus. Nam primum quidem divinarum rerum cognitionem, quoad ejus, ipſo Deo in Verbo ſuo nobiſcum benigne communicante, conſequi mortalibus eſt datum, comprehenſam animo tenere debet. Deinde vero, quia earundem rerum Interpretem agit, in docendo facilitatem & quandam oris facundiam habeat neceſſe eſt, ut divinas veritates perſpicue, concin-

concinne, ſolide aliis explicare valeat. Tum pius ipſum pro Gloria Dei fervor animet, at fervor, qui non torrentis inſtar impetu feratur, ſed gemino prudentiæ in fratresque caritatis oculo regatur. Poſtremo vitæ morumque gravitas ſanctitati doctrinæ reſpondeat oportet. His modis fiat, ut iis virtutibus Theologus noſter conſpicuus ſit, quas olim in Pontifice, primo Sacrorum Miniſtro, præfiguratas Jeſus noſter, verus Pontifex, Doctor veritatis unicus, ad unguem expreſſit; nam Pontificem veterem in cæteris ſuis ornamentis illud quoque geſtaviſſe legimus, quod nomine *Urim* & *Thummim*, *Luminum* & *Perfectionum* inſignitum erat, qua in re & Chriſti & Fidelium figuram geſſit, eorum inprimis, qui in gradu aliquo collocati viam reliquis præire debent, in quorum animis lucem ſplendere, atque in tota vita integritatem apparere oportet.

Hæc vero, A. rudia lineamenta ſunt, quibus *Theologum* deſcribimus. Ordo poſtulat, ut eorum, qui pingendi artem profitentur, morem imitando ſigillatim omnia repetamus, illuſtremus, ſuisque velut coloribus exornemus. Atque ita omnino conſtitutum nobis erat. Verum cum Orationis moles excreſceret, primam hanc partem hoc loco abrumpendam, quæque in eam paucula commentati eramus, inducenda, atque ad alteram partem confeſtim progrediendum judicavimus, in qua illuſtre *Theologi Exemplum* Vobis exhibebimus, Viri non domi tantum noſtræ aut in Helvetia, ſed etiam in Exteris Clariſſimi, J. J. HOTTINGERI. Vel hic quoque moderandum ſermoni erit, ne ad nimiam longitudinem Oratio exeat. Itaque plurima leviter erunt attingenda, alia, etiam quæ parata habebam, ſilentio tranſeunda. Hoc magis, A. veniam dabitis, ſi Hiſtorico, ſimplici, vel etiam humili ſtylo utar. Pondus res ſibi ipſa dabit. Eum ordinem tenebo, ut primum, quemadmodum Vir Præclariſſ. *Vitam* traduxerit, breviter enarrem, tum vero

ex

ex omnibus in unum collectis *Proſopographiam*, ut vocant, ſeu Perſonæ deſcriptionem Vobis ſiſtam. Initium ducam à prima ætate, ut appareat, talem illum nobis cognitum fuiſſe, qualem qui puerum aut adoleſcentem olim viderant, futurum eum eſſe, ſperare potuerunt.

JOANNES JACOBUS HOTTINGERUS natus eſt Kal. Decembr. Anni à Chriſto nato 1652. Parentibus *J. H. Hottingero & Anna Huldrica*, *J. H. Huldrici*, Eccleſ. in Templo ad Spir. S. Miniſtri Filia unica, *Jacobi* vero *Huldrici*, S. Th. Prof. & Collegii Carolini Præpoſiti, * Nepti. *J. Henr. Hottingeri* toto orbe inclytum nomen eſt. Erat is, cum hic Filius paternam famam præ cæteris aucturus ei naſceretur, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ut & Theologiæ Catecheticæ, Linguarumque Orientalium, in utroque Urbis hujus Collegio Profeſſor, quæ munera brevi tempore pro cognita Viri Eruditione aliis ſuper aliis domi atque foris adminiſtratis cumulata ſunt. Prima Literarum rudimenta Noſter in alma Muſarum ſede *Heidelberga* percepit, quo Clariſſimus Ipſius Parens, cum tertium Ipſe ætatis annum ageret, mutuus conceſſit. Heic Noſter ea bonæ indolis indicia ex ſe ediderat, ut vel Principibus Viris puer licet & infans placeret (*a*). Nono ætatis ſuæ anno cum in Patriam Doctiſſ. Ipſius Parens revocaretur, in tertiæ Claſſis diſcipulos relatus ipſe eſt. Decimum quintum annum agens Muſis in Coll. Hum. operam dans

* De cujus Vita & Scriptis Vid. Huldr. Miſcell. Tigur. T. II. p 551. ſqq.

(*a*.) Contigit aliquando, cum Parens cum tota familia ad prandium in Aulam Sereniſſ. Principis vocaretur, ut in ludo inter Principes pueros inſtituto Noſter Interpretis perſonam ageret, eaque in re ita placeret, ut eleganti veſte ornaretur; cujus rei memoria pictura etiamnum aſſervatur.

dans graviſſimum vulnus paſſus eſt, optimi fideliſſimique Parentis jacturam. Quo vivo ſi porro frui ipſi licuiſſet, dubium non eſt, quin magna ad omnes res facultas ipſi ſuppeditata fuiſſet. Utrumque certe, & Parentem & Filium feliciſſimum merito dixiſſes; Hunc quidem, quod eum habuiſſet ſtudiorum Auctorem atque Ducem, qui optimis literis imbuere illum & poſſet & vellet; Illum vero, quod ſuæ Parentis induſtriæ in Filio bona indoles & magna ſciendi cupido non defuiſſet. Sed aliter viſum eſt Divinæ Providentiæ, videlicet, ut exemplum ederet, parentibus orbos à ſe non deſtitui. Quo minus enim noſter hic minor fieret, quam vivo Parente futurus fuiſſet, Dei, optimi certiſſimique Patris, cura cavit, quæ, quod in Hottingero Patre ablatum erat, in Filio reddere, & annos, quos fluctuum ſævitia Parenti interceperat, in Filio compenſare decrevit. Hoc fato Dei poſt fata Parentis Literarum in eo amor magnopere crevit. Memoriæ, quam debiliorem ſibi contigiſſe moleſte ferebat, confirmandæ cauſa Pſalmum CXIX. Pauli ad Romanos Epheſiosque ſcriptas Epiſtolas in Linguis Originalibus memoriter addidicit, naturam ſibi quamvis avido Muſarum colono parere cogens: Rarum adoleſcentibusque noſtris commemorandum exemplum! Diſcant illi, memoriæ facultatem exercendo non perdi, modo ut honeſtis in omnemque vitam profuturis rebus exerceatur. Hottingerus noſter in Muſarum ſtadio, quod ingreſſus erat, gnaviter cucurrit, cumque jam ad metam aſpirare poſſet, publicum profectuum ſuorum ſpecimen edidit, *Diſſertatione*, qua nobiliſſimo Petri dicto *: *De Spiritu prædicante Spiritibus in carcere:* lucem attulit, & conſcripta & publice defenſa (*b.*). Heic tamen quieſcendum, aut S. Miniſterii honorem adhuc ſibi ſuſcipiendum non putavit. Ac revera, quo quis eſt ſapientior, quo melior, hoc minus

* 1. Petr. 3: 19. 20. (*b.*) A. 1672.

minus in ſacrum munus involat. Hoc perſuaſum Hottingero erat. Itaque de augenda in divinis humanisque literis ſcientia ſerio cogitabat. Eo conſilio, monitis impulſus Celeb. *Heideggeri* noſtri, nec non Affinis ſui Dilectiſſ. *Jo. Caſp. Wolfii*, Doctiſſimi, Prudentiſſimique Viri, quorum Ille dignum ſe Succeſſorem, Hic Collegam ſibi parem, neſcius licet uterque fatorum, paravit, *Baſileam* petiit, Theologos Eruditiſſimos ibidem auditurus (*c.*) Heic præcipue *Luca Gernlero*, Theologo & Antiſtiti Eccleſ. Baſil. Graviſſ. * in magnis deliciis fuit. Quid de eo Gernlerus jam tum ſenſerit, non in Literis tantum ad Cel. Heidegg. aliosque frequenter datis, ſed etiam in publica *Diſputatione* (*d*), quam *Hottingerus* noſter defendit, teſtatus eſt: *Beatis enim*, inquit, *Manibus Viri Vener. J. H. HOTTINGERI felicem ſui in Filiis, noſtro præſertim Reſpondente, renaſcentiam læti totoque pectore gratulamur, atque Deus ſucceſſus ſucceſſibus Eccl. & Reip. literariæ bono addere pergat, vovemus.* Hottingerus vero plurimi ſe Theologos Baſileenſes, Gernlerum inprimis, feciſſe, atque hunc ſibi divino munere Parentem datum fuiſſe, ſæpius prædicavit. Baſileam cum reliquiſſet, exteras oras cogitabat, Marburgum Cattorum petiturus, niſi infeſta ſævo Marte itinera fuiſſent. Cum ergo temporum iniqua conditione exteros adire prohiberetur, Baſileam veteresque lares repetiit (*e*). Non multo autem poſt, Gernlero, Deſideratiſſimo Ipſi Viro, extincto, *Genevam* commigravit (*f*); in quo oppido *Franc. Turretinum*, cæterosque in quavis Facultate Celeberr. Viros ſæpius frequentavit, tum & ſuæ ætatis optimos quosque ſibi conciliavit, in quibus *Bened. Pictetum*, Genevenſium poſthac Theologum Clariſſimum, nominamus, cum quo amicitiam illo tempore inſtitutam

(*c.*) A. 1672. * Cujus & hoſpitio gaudebat. (*d.*) Octava in Confeſſ. Helveticam. A. 1673. §. 8. (*e.*) A. 1674. (*f.*) A. 1675.

tutam ſanctiſſime deinceps conſervavit. Geneva Tigurum reverſus, Deo Eccleſiæque ſe conſecrans S. Miniſterii gradum conſcendit, habita Concione in monitum Pauli γνησίῳ ſuo datum *: *Tu vero in his, quæ didiciſti, & de quibus perſuaſum Tibi eſt, mane, cum ſcias, à quo didiceris*: quo monito nihil ipſi prius, antiquius nihil unquam fuit, menſe Martio A. 1676. Sacro Ordini adſcriptus.

Tempus erat, ut fructus laborum & Ipſe & ex Ipſo alii perciperent. Itaque vixdum Studioſorum Collegio egreſſus, aliis in Muſarum caſtris adhuc tyrocinia facientibus operam ſuam elocavit, nec non concionando, ubicunque ipſi daretur occaſio, utilis fuit, donec A. 1680. certus ipſi locus aſſignaretur, cura cœtus *Stallikonenſis* fidei ipſius concredita, quod ſacrum munus menſe Julio ejusd. anni concione inaugurali in Eſaj. 51 : 16. auſpicatus eſt. Hoc tempore, (nam & de domeſticis Magnorum Virorum dicere vetus mos eſt, nec, puto, reprehendendus;) novam eamque ſtabilem vitæ rationem ineundam ſibi duxit. Annuit piis Ipſius votis Optimus Maximus Deus, cujus Numine factum eſt, ut honeſtam familiam *Joannis LAVATERI*, Philoſophiæ in Schola Carolina Profeſſoris, Avi mei Paterni, cujus Viri maſcula probitas multis bonis etiamnum laudatur, cum maxime reſpiceret, ex qua Filiam natu majorem ** vitæ torique ſociam ſibi delegit, fœminam piam certe, modeſtam, frugalem, beneficam; cum qua in caſto & fortunato matrimonio totos 40. annos, & quod excurrit, vivere datum eſt Clariſſimo Viro, ex qua Liberos magno ſeneſcentis & viduæ vitæ ſolatio ſuſceperat. Eorum duos, Filium Filiamque, non obſcuro loco poſitos, & honoribus auctos, ſuperſtites reliquit. Majorem natu

* 2. Tim. 3 : 14. ** *Eliſabetham*. V. Cel. Scheuchz. Phyſ. Sac. Proleg. in Catal. Auctorum, tit. *J. J. Hottingerus*.

natu Filium *, V. D. M. & in æde Carolina quondam Diaconum, Virum Integerrimum, quinto ante anno, quam ipſe fatis erat functus, ſubita mors magno & Parentis & totius familiæ dolore abripuit. Reliqui minore ætate obierunt. Trium illorum familias florentes ad ſupremum usque diem conſpexit, & Deo ac Patri porro commendavit. Sed redeamus in ordinem. Princeps Hottingero cura fuit, ut gregem ſibi commiſſum fideliter paſceret, poſtea vero, ut & toti Eccleſiæ Reformatæ prodeſſet. Virtutem ejus provocavit inſanus conatus Monachi cujusdam *Mariani Schotti*, Catechiſmum Tigur. lacerare auſi, quaſi doctrina illius ad S. Scr. lydium lapidem exacta auri ſpeciem falſo mentiri deprehenderetur. Hunc librum ut examini ſubjiceret Hottingerus noſter, & tenerrimus Religionis amor, & debita B. Parenti pietas juſſit. Ea enim Homo ille impudentia erat, ut optimæ memoriæ Virum, *J. H. Hottingerum*, immiti calamo perſtringere non erubeſceret, infandum renovans dolorem, & triſtem Viri caſum poſt tria demum luſtra in malum omen convertens. At ne mortuo Leoni impune inſultaretur, non degener, qui in noſtro erat, animus effecit. Ita Hottingero Hottingerus, Parenti Filius vindex datus eſt, atque & Parenti, & Patriæ, & Religioni, & Eccleſiæ, officium hic præſtitit ſuum (g.)

Quum ergo fidem ſuam ita probaſſet, ad majora adhiberi cœptus eſt. Anno enim 1686. Conventus Carolinus, tum paterna merita, tum paternam in Filio indolem reſpiciens, dignum ipſum judicavit, qui in antiqua hac S. æde honeſto *Diaconi* officio fungeretur. Cui officio adminiſtrando IV. Nonas Sextileis S. Sermone in verba Pauli: Rom. 10: 13, 14, 15. initium fecit. Hoc loco eadem Illi, quæ antea, mens

 fuit,

* *Jo. Jacobum.* V. Biblioth. Brem. Cl. III. p. 183.

(g.) A. 1685.

fuit, primum ut partes ſibi demandatas ſedulo omnes exequeretur, tum ut quod reliquum à publico munere temporis haberet, Eccleſiæ uſibus pariter ſacrum faceret. Hoc animo integram Reformationis Eccleſiaſticæ rerumque ad eam pertinentium Hiſtoriam pro ſupplemento Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ à Magno Parente IX. Tomis editæ colligere inſtituit Eo fine jam Stallikonæ rureſtrem vitam Eccleſiæ Tigur. Archivum pervolvendo traduxerat. Prætereaque alia multa, quæ ad illam Hiſtoriam, ac maxime ad Concilium Tridentinum, circa quod ὁ πάνυ Hottingerus Parens bis, primum aliis occupationibus impeditus, mox fato præventus ſubſtitit (*h*), pertinere videbantur, multo ſtudio magnoque labore verſavit; cujus rei publicum ſpecimen exhibuit in *Sfortia Pallavicino Infelice Concilii Tridentini Vindice* (*i*): ſic ut jam continua Reformationis Hiſtoria expectanda videretur. Verum ab eo labore alia ipſum Eccleſiæ neceſſitas deduxit. Eodem fere tempore ex D. Virginis, ut vocant, Eremo tum prolixum opus *Caſpari Lang*, Sacrificuli Gynopediani, tum & quædam de Religione Colloquia, Auctore *P. Geraldo Wielando*, Monacho Sangallenſi, *Decalogi* atque *Trialogi* nominibus inſcripta, emittebantur in lucem. Eo omnia ſpectabant, ut ſimplici popello perſuaderetur, novellam admodum Eccleſiam atque Doctrinam Reformatam eſſe. Crambe ea erat vel centies recocta. In eo tamen Eccleſiæ noſtræ aliquid profuiſſe Homines illi videntur, quod Hottingeri virtutem exacuerent, novaque ab eo & utilia Eccleſiæ Reformatæ Scripta impetrarent. Inprimis importuna *Caſpari Langi* temeritas nobiliſſimo operi, quod ex multis facile primas tenet, *Hiſtoriæ* puta *Eccleſiarum Helveticarum*, occaſionem fecit. In ea Vir Cl. id egit, ut oſtenderet, olim aliam omnino Doctrinæ Religionisque Chriſtianæ faciem

(*h.*) Vide fin. Tomi 5. & 9. (*i.*) A. 1692.

ciem fuiſſe, atque nunc in Eccleſ. Romana ſit; errores in Doctrina, in Cultu fœdas ſuperſtitiones poſterioribus Seculis paulatim invaluiſſe, nec defuiſſe, qui in Helvetiis, libertatis amante populo, tyrannidi Papali ſe ſemper opponerent; eam tamen ex temporum morumque iniquitate rerum conditionem inductam fuiſſe, quæ beatos Viros, ZWINGLIUM, cæterosque non ad novandum, ſed ad emendandum compulerit; quippe mutatione illa pios Majores à primitiva Eccleſ. non receſſiſſe, ſed ad illam, à qua receſſum erat ante, ſe rurſum convertiſſe. Hæc ut demonſtraret Vir Cl. Hiſtoriam Helvetiæ Eccleſiaſticam, inde ab eo tempore, quo exorta Evangelii lux idololatriæ tenebras in his oris diſſipavit, ad initia usque hujus, quod agimus, Seculi XVIII. in VII. Libros diſtributam, tribus Tomis (k) complexus eſt. Ac ne quid eximio operi deeſſe pateretur, jam ſenex licet, manum ei iterum admovit, atque Anno hujus Seculi 29. quartum Tomum prioribus addidit, quo tum hujus Seculi res geſtas perſecutus eſt, tum nonnulla ad priores tres Tomos ſupplementa adjecit. Ita ergo in eo Viro Eccleſ. noſtra habuit, quod Regna, Respublicæ, Civitates, Eccleſiæ, illuſtriores in ſummis Viris habere gaviſæ ſunt, ut eruditiſſimi quique in eo certatim operam ſuam collocaverint, ut ſuarum Civitatum aut Eccleſiarum felicem exortum, lætos progreſſus, fata memorabiliora, ſingularibus Libris enarrarent, nec ſibi magis, quam ipſis Civitatibus Eccleſiisque nominis immortalitatem apud poſteros conciliarent.

Quo anno primus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Tomus naſcebatur, qui erat ſuperioris labentis Seculi nonageſimus octavus, eodem Anno menſis Januarii die 18. novum decus Hottingero Tigurum addidit. Nam cum

(k) A. 1698. & 1707.

Vir toto orbe Celeberr. JO. HENR. HEIDEGGERUS fatis eſſet functus, qui ei ſucceſſor daretur, dignior HOTTINGERO non reperiebatur. Ac de Hottingero Heideggerus ita ſemper ſenſerat, ut nemini magis quam huic lampada illum tradere voluiſſe judicari poſſit. In eo munere Collega obtigit JO. CASPARO WOLFIO *, Affini ſuo, Viro Egregio, laudibusque meis majori, quo Viro duodecim poſt annis fatis functo, (l) optimus Parens meus **, ὁ νῦν μακαρ. Cl. Hottingero, Affini itidem ſuo, nova Collegii munerisque neceſſitudine conjunctus eſt. Eodem tribus prӕterlapſis luſtris (*m*) abhinc undecim annos, rebus humanis pariter exemto, Collegam ex ſua ſententia magnoque omnium conſenſu ſortitus eſt Cognatum & Amicum valde ſuum, Virum plurimum Vener. atque Celeberr. JO. ROD. CRAMERUM, quem porro diutiſſimeque Deus conſervet! Ita, ſi quid etiam hoc ad felicitatem facit, per duodequadraginta annos in Profeſſione Theologica juxta ſe habuit Viros naturӕ affinitatisque jure ſibi conjunctiſſimos. Verum ad ipſummet revertamur. Profeſſionem Theologicam *Oratione* Inaugurali: *De Prӕrogativis Theologiӕ Reformatӕ prӕ Pontificia;* feliciter auſpicatus eſt. Quemadmodum in ea exornanda verſatus fuerit, non noſtri modo, ſed etiam exterorum multi teſtes ſunt, ut ſupervacaneum fuerit, multa dicere velle. In Lectionibus publicis tam fuit accurata diligentia, quam qui maxime. Rectoratum Scholӕ bis, non cum ordo tantum ipſum poſtularet, ſed etiam extra ordinem, ternos utraque vice annos, ſingulari cum cura, ſumma auctoritate geſſit. Commercium Literarum frequens habuit, nam & in

* De quo vid. Scheuchzeri Nova Lit. Helv. A. 1710. p. 12. ſqq. (l) A. 1710. ** JO. JAC. LAVATERUS. Vid. Scheuchz. Phyſ. Sac. Proleg. in Catal. Auctorum. h. tit. & Biblioth. Brem. Cl. II. p. 568. ſq. (*m*) A. 1725.

& in Helvetiæ Civitatibus, & extra Helvetiam, famigeratiſſimos quosque Viros ſibi conciliavit; quare factum eſt, ut magnam in omnibus iis, quæ ad rem ſive Eccleſiaſticam ſive Literariam pertinent, experientiam haberet. Non voce tantum, ſed etiam calamo, quod adhuc tamen ſatis fecerat ſuperque, porro & amplius docere, ſanamque doctrinam promovere curæ habuit.

Longum foret, & ab Orationis modo alienum, ſingula Scripta, ac nominatim *Diſſertationes* ordine recenſere. Quoties ex his pulpitis egregie diſſertantem ipſum audiviſtis? Quoties limatiſſima Scripta manibus tractaviſtis? Quippe id operam dedit, & ut Themata tractare digna, ſive ex Syſtemate Theologiæ excerpta, ſive ex Antiquitatis Chriſtianæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ promtuariis repetita, ſive ex ipſis Sacrorum Pandectarum fontibus hauſta, deligeret, & ut, quæ delegit, Themata ſic diligenter explicaret, ut Diſſertationes vel ſingulæ vel aliquæ earum conjunctæ integrorum Tractatuum ſeu Librorum loco eſſe queant. Plura de Diſſertationibus addere non licet, niſi quod infra nonnullarum ob ſuam cum aliis rebus connexionem mentio facienda erit.

Quod ad reliqua Viri Scripta attinet, quamvis ea recente memoria teneatis, ne tamen laudes eorum intactas Oratio noſtra relinquat, in tres Claſſes diſtribui haud incommode videntur. Nam de Helveticarum Eccleſiarum Hiſtoria, cujus magna pars in hanc periodum, qua Profeſſorem Theologiæ egit, incidit, ſupra dictum à nobis eſt. Reliqua autem hujus intervalli ſcripta pro temporum rerumque neceſſitate varia fuerunt. Variæ enim erant temporum rationes, & multa, quod noſtis, viginti vel triginta his poſtremis annis inter nos geſta ſunt, in quibus omnibus magna Viri induſtria cognita fuit. Permittite, ut præcipua obiter ſubindicem. Erat tempus, cum *Pietiſmus*, ut

 vocant,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vocant, infauſtum Eccleſiæ diſſidium minitaretur. Vagum eſt *Pietiſtarum* nomen, pro cujusvis arbitrio jam his tum illis, ſeu jure ſeu injuria, impactum. Eo intentiorem autem curam ſuperioribus illis annis res poſtulabat, quod non varia tantum hominum genera ſeſe immiſcerent, ſed etiam dogmata ſanæ doctrinæ germanæque pietati minus convenientia ſpargi inciperent. Heic ergo præ cæteris tanquam in ſpecula conſtitutus pervigilavit Hottingerus, proſpiciens, ne quid detrimenti Res Eccleſiaſtica caperet. Hoc tempore in uſus & Doctorum, & eorum, qui de plebe Chriſtiana ſunt, in lucem edidit Libros vernaculo ſermone ſcriptos, ſumma & doctrina & ad ſalubriter monendum utilitate: *De Animæ poſt mortem ſtatu* (*n*); *De Gratia Dei regenerante γάλα ἄδολον*, *Lac ſincerum* (*o*): atque inprimis prolixiorem Librum, quem *Horam Tentationis* (*p*) inſcripſit, quo in opere non eas modo, quæ multum jactabantur, *Inſpirationes* ſub examen vocavit, ſed etiam alias graviſſimas quæſtiones: *De Verbo Dei*, *De Statu Eccleſiæ*, *De Miniſterio Verbi*, *De Regno Chriſti*, &c. ſolide diſcuſſit.

Brevi poſt (*q*) Eccleſia Tigurina ſingulari Dei beneficio *tertium* à felice Religionis emendatione *Seculum* incolumi Civitate, Republica ſalva, incolumis ipſa auſpicans *Seculare Sacrum* inſtituit, id quod fieri omnino neceſſe fuit, Deo Statori ac Vindici Soteria & Chariſteria plena manu perſolvens. Hanc Eccleſiæ feſtivitatem pro ſua quoque parte Hottingerus noſter condecoràvit, nam & publico ſcripto, & publica inſtituta *Diſputatione* Nonis Januariis A. 1719. Horis antemeridianis, frequenti Patrum, Fratrum, Populi confluxu, factæ ab Eccleſia Romana ſeceſſionis cauſas explicuit, ejusdemquè neceſſitatem graviſſimis argumentis ſic confirmavit, ut, neque in Eccleſiæ Romanæ gremium,

(*n*) A. 1715. (*o*) 1716. (*p*) 1717. (*q*) 1719.

um, quod Clerus Pontificius iniquis poſtulat modis, rediri, neque, ut aliis placere nimium volentibus viſum eſt, pacem communionemque cum ea coli debere oſtenderet, eaque omnia adverſus Doctiſſimorum quorumque exceptiones docte aſſereret vindicaretque. Amplius biennium elapſum eſt, cum adverſariorum nemo cum Viro illo de ea re congredi auderet. Demum tamen Monachus Italus, *Ludovicus Ruſca*, *Eccleſiaſticum*, ut vocat, *Judicium Seculari Diſſertationi oppoſitum* in lucem emiſit (*r*). Non fuit Hottingero animus, quemquam provocare, veteresque lites reſuſcitare, ſed juſtum ac laudabile Eccleſiæ inſtitutum Secularem Diſſertationem ipſi imperavit; id ni fuiſſet, non ignoravit Vir Præſtantiſſimus, hoſtem prælio temere laceſſere, nullius prudentiæ eſſe, & raro ex Eriſticis ſcriptis magnum Chriſtianæ rei commodum acceſſiſſe. Cum tamen non tam ſua quam Eccleſiæ cauſa ageretur, importunitati hominis nihil concedendum arbitratus eſt, quo conſilio Secularem Diſſertationem novo ſcripto ſic aſſeruit vindicavitque, ut, alterum licet impetum Italus feciſſet (*s*), ipſe tamen quieſcere jure poſſet, cavens, ne inutiliter litigando melioribus rebus deſtinatum tempus ſibi eriperetur. (*t*)

Tertium quiddam circa hæc eadem tempora accidit, quod omnium animos merito intentos habuit. Videbantur multi Boni incredibili deſiderio flagrare, ut Proteſtantium Eccleſiæ arctius unirentur, atque adeo fiſſuris Zijonis ſanatis ſanctæ Civitatis ſalus creſceret. Ita in magnam ſpem plurimi venerant, quod ſuperiori ſeculo etiam à Principibus Viris ſæpius tentatum fuerat, ejus negotii perficiendi felicitatem à Deo noſtræ ætati

B 4 forſitan

(*r*) A. 1721. (*s*) In *Eccleſiaſtici Judicii Confirmatione* Lucernæ A. 1725. edita quatuor Tomis in 8.
(*t*) Vide Diſquiſit. adv. *Soliloquium* Jeſuitar. A. 1728. §. 16. 19. 20.

forſitan reſervatam fuiſſe. Et quis, quæſo, eſſet, quin rem ſaluberrimam, & plus centies mille piorum votis diu expetitam accelerari vehementer cuperet? Qui non eo animo totus foret, in eo nihil Chriſtianæ indolis eſſe neceſſe eſt. Sed alii aliam viam inſiſtunt. Hottingero fixum erat, pacem ſtudioſe colendam eſſe, at abſque veritatis detrimento. Quare, cum hinc atque illinc eſſent, qui in Doctrina nonnihil vel concedi ab alteris, vel concedere ipſi vellent, ac nominatim *Formula*, ut vocant, *Conſenſus Eccleſiarum Helvetiæ Reformatarum* peteretur, eam pacis conditionem minus æquam Vir Clariſſ. exiſtimabat, aliis modis non intutam pacem formari poſſe judicans. Eo redibant ipſius conſilia, ut in ſummis Religionis myſteriis nihil quidem, niſi quod ex S. Literis repetitum ſit, ſtatuatur, at ut utrique tamen parti animi ſui ſententiam, quam in S. Literis fundatam putet, ſincere expromere liceat, nulla Reformatis impoſita neceſſitate à ſua ſententia recedendi; quod ſi vero in uno alterove dogmate diſſenſus relinquatur, ne propterea Eccleſiaſtica unio tollatur, ſed ut alii alios æquo ferant animo, quoad plenam lucem Deus affundat, ut eadem omnes & ſentiamus & loquamur. Hæc conſilia Vir Præclarus expreſſit tum in *Appendice* (*u*) ad Scriptum Fratris Lutherani & Eruditi & Pii, cui tit. erat: **Näherer Entwurff von der Vereinigung der Proteſtanten;** tum inprimis in *Diſſertatione Irenica de Veritatis & Caritatis amiciſſimo in Eccleſia Proteſtantium Connubio.* (*x*) Viris egregiis ex Fratrum Lutheranorum cœtu hæc ita probabantur, ut *Diſſertationem* hanc *Irenicam* Tübingæ typis iterum excudi, inſcio quidem Auctore, curarent. Non diſſimulandum eſt, alios de ea re gravius ſenſiſſe. Hos, quoad limites non exceſſerant, melius inſtruere, & præjudicatas eorum de Doctrina Reformata opinio-

(*u*) 1720. (*x*) 1721.

opiniones avertere Vir Cl. allaboravit, in quibus fuit *Godofr. Hoffmannus*, Tübingenſium Theologus. Alios, qui peſſimo exemplo non argumentis magis quam convitiis rem agebant, qualis larvatus *Dan. Snitlingius, Noricus*, * fuit, contemnere quam refutare maluit, ita ſecum prudenter reputans, qui ad inducias nauſeant, nunquam ſe ad pacis conſilia compoſituros eſſe (*y*). Interim noſtros erudire, eoque anniti Vir Cl. non deſiit, ut recepta ſcriptisque publicis Eccleſiarum Helveticar. confirmata doctrina, illibata retineretur. Huic fini comparata ſunt, quæ tum de *Formula Conſenſus Eccl. Helveticar.* tum de *Synodo Dordracena* ſuperioris Seculi A. 19. & 20. agitata diſputavit. Ad eundem ſcopum complures Diſputationes *de Gratia Dei Salutifera & connexis Capitibus* ab A. 1718. ad finem usque vitæ continuatæ ſpectabant. Ac ne quid in dulciſſimo ſibi argumento *de Gratia Dei*, quod argumentum ut abjiceret, à ſe ipſe impetrare nullo potuit modo, intentatum relinqueret, jam ſenex ad graviſſimum laborem animum appulit, ut, quæ primorum Patrum circa hanc Doctrinæ Chriſtianæ partem ſententia fuerit, quoad ex ſcriptis eorum colligere licet, quidve inprimis ab *Auguſtini* ævo & in antiqua & in recentiore Romana Eccl. de ea re actum ſit, quos Auguſtiniana Doctrina unoquoque tempore vel defenſores habuerit vel adverſarios, quid porro poſt Reformationis tempora & in eadem Romana Eccleſia, & in Eccleſiis purioribus de hiſce Doctrinæ Sacræ articulis agitatum ſit & agitetur adhuc, ſigillatim doceret, omniaque ſecundum ſeriem annorum in ordinem redigeret. Fuit hæc origo Operis, quod ipſe Cl. Auctor, cum forte alicubi adverſus iniquiorem Cenſorem aliquid injiceret, *non unius noctis labore* natum ſibi eſſe jure confirmavit,

* i. e. Ezhardus, Hamburgenſis. (*y*) Vid. Diſſ. *de Joannis Bapt. Miniſterio*, tertiam. §. 2. A. 1723.

vit (z), quod opus de *Fatis Doctrinæ de Prædeſtinatione & Gratia Dei ſalutari ſecundis & adverſis* inſcriptum eſt. Atque in hoc opere finem facimus recenſendorum Scriptorum Viri Celeberrimi. Quæ enim poſtea prodierunt, ſupra ſuis locis, uti res ferebat, enarrata, vel ſaltem ſubindicata à nobis ſunt.

Supereſt, ut, quem vitæ egregie transactæ exitum Vir Graviſſ. habuerit, conſideremus. Nam & heic certe non pauca, quæ tum ad docendum tum ad delectandum prodeſſe queant, reperias. Vir Præſtantiſſimus uſus eſt valetudine ſatis proſpera, corporis animique viribus integris, absque quo tot & tanti labores tolerari non potuiſſent. Ita ſingulari Dei gratia ſanus atque valens ad annum ætatis 77. pervenit, quo anno Eccleſiarum Helveticarum Hiſtoriam, uti relatum à nobis eſt, ad umbilicum perduxit. Hujus anni majorem partem jam exegerat, cum Summus vitæ Moderator & Arbiter novum in eo Providentiæ ſuæ exemplum præter omnium hominum opinionem ederet. Namque eum vitæ annum agens Vir Clariſſimus hemiplexiam paſſus eſt, ex quo caſu ſiniſter oculus cum illa faciei parte nonnihil diducebatur. Humanitus hoc ipſi accidit. Et quis ea ſumma ætate poſt tot exhauſtos labores multarumque noctium vigilias talem caſum miratur? Quod vero dicere properamus, id omnino θεῖόν τι, Divinum fuit. Brevi tempore ad priſtinam rediit integritatem, & ita quidem, ut nulla re minor videretur, quam fuerat ante. Caſum illum patiebatur 14. die Auguſti, Anni 1729. Ineunte vero Anno triceſimo corpore animoque tantum potuit, ut poſt Kalendas Januarias & deinceps per totos ferme quinque annos Lectionibus publicis, Conventibus ſacris, Diſputationibus & conſcribendis & habendis, nec

(z) Diſſertat. poſter. in Joannis Bapt. Teſtimon. tertium de Servatore noſtro. §. 34. A. 1732.

nec non privatis laboribus aſſiduus & intereſſet & præeſſet. His elapſis annis, ſuperiore anno, cum ſuæ ætatis octuageſimus tertius ageretur, non vis morbi, aut vehementior aliquis caſus illum infeſtavit, ſed ipſa ſenectus corporis vires paulatim debilitare cœpit, quo factum eſt, ut ſubinde domi teneretur. Nunquam tamen labores ſuos ſeu publicos ſeu privatos prorſus abrupit, ſed, ut erat indefeſſæ Vir diligentiæ, citius ferme quam potuit, multo certe citius quam debuit, ad eos reverſus eſt, ſic ut verno ſuperioris anni tempore duas magno vigore publice defenderet Diſputationes. Æſtatem quoque ſatis commodam habuit. Sed ut vertens anni tempeſtas in autumnum hiememque inclinabat, etiam morbus ſenilis ingraveſcere viſus eſt. Memini, cum aliquando appetente autumno, frigidiuſculo, ut fieri ſolet, die ſtudiis ipſum aſſidentem ardente fornace invenirem, atque in ſermone hoc injiceretur, bene ipſum facturum, ſi hanc aëris inclementiam vitaret, dicere illum, hiemem quidem foris imminere, at hiemem ſibi intus eſſe. Atque ex eo tempore nativus calor porro de die in diem imminuebatur, unde & vires magis magisque attenuari neceſſe fuit. Avertit tamen Deus O. M. qua fuit in Virum illum magna benignitate, ne diu lecto affigeretur. Nam ne hoc extremo quidem intervallo omni cura negotioque vacavit. Denique tamen, ut omnia aucta ſeneſcunt, orta occidunt, nata moriuntur, proſtratis viribus ad beatam ex hac vita ἀνάλυσιν omnia ſpectabant. Viderunt hoc, qui cum ipſo erant. Vidit ſenſitque ipſe: Nam mentis ad extremum usque compos erat, nec ferme mentis ſermonisque uſum prius quam halitum amiſit. Sic inter pias preces, inter calentia vota, inter ſalubria monita, tanquam à graviſſimo Sene, Parente & Avo venerando profecta, ſuos vitæ ſuæ, non famæ, ſuperſtites reliquit, placide in fide Domini noſtri Jeſu Chriſti mortuus die 18. De-

cembris

cembris ſuperioris 1735. anni præcipitis, in auguſtum cœli Templum intromiſſus, cum populus Chriſtianus in ſacram Ædem ad concionem vocaretur. Mente ad Deum reverſa, triduo poſt corpus exanime magna patrum civiumque frequentia humo mandatum eſt. Hactenus *Hiſtoria Vitæ & Obitus* Clariſſ. Viri.

Quod in Vitis Excellentium Virorum facere ſolitum eſt, ut poſt Hiſtoriam *Proſopographia*, ſeu perſonæ, ut vocant, deſcriptio,,quod ad corporis, præſertim vero animi, vires attinet, adjiciatur, ut ex illis characteribus, qui qualesve fuerint, quos laudamus, intelligi queat, quemadmodum ex lineamentis facies cognoſcitur; eo labore ſuperſedere mihi liceret, cum nullus dubitem, quin ex his, quæ rudi ac ſimplice ſtylo delineata à nobis ſunt, egregiæ Viri virtutes veſtris omnium animis non ſecus atque ea, quæ oculis cernuntur, luculenter appareant. Permittite tamen, A. ut in præcipuis quaſi index quidam & monitor Vobis adſim. Cætera enim Vobis cogitanda relinquo. Recolite, A. ſi placet, quæ ſupra in Sacrarum Literarum Doctore requiſivimus. Repetite, inquam, illa vobiſcum, tum oculos hic convertite, atque in iſto Viro expreſſa conſpicite. Quantum Doctrinæ atque Eruditionis theſaurum animo reconditum geſſerit, plurima ſcripta clamitant, in quibus inprimis S. Literarum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Philologiæ Sacræ ampliſſimam cognitionem Lector mirabitur. Hunc eruditionis theſaurum ſummo ſtudio ſummaque diligentia collegit, quæ ab ineunte ætate cœpta ne in ultima quidem ſenectute frangebatur. Domi vix erat, quin in Muſeo cum librisque eſſet. Heic ubi non erat, in publicis ſeu Conventibus ſeu aliis occupationibus illum eſſe, judicari poterat. Quæ ſua induſtria ſibi ipſe comparavit, ea cum aliis facillime communicare noverat. Magna enim erat promtitudine ad ea, quæ animo conceperat, vel ore enuncianda, vel literis ſcriptove conſi-

conſignanda, cui rei teſtimonio ſunt, quæ toties publice diſſeruit, quæque multis voluminibus publicæ luci expoſuit. Zelum cum caritate atque prudentia conjunctum ea præcipue loquuntur, quæ Ipſum de concordia Proteſtantium Eccleſiaſtica & ſenſiſſe & tractaſſe ſupra vidimus. Mores quod attinet, erant mites, manſueti, modeſti, faciles, jucundi. Cum non facile conveniri poſſet, quin in Literarum ſtudiis atque meditationibus verſaretur, usque adeo ut ad limen ejus ventitantes inclamari jure merito potuiſſent: *Tu quisquis ades, qui me vis, aut paucis & neceſſaria age, aut in labore me adjuva;* Nemo tamen quisquam triſtem illum aut torvo vultu ac difficilem reperit. Summa in eo erat vitæ ſermonisque ſuavitas, quod docti pariter teſtabantur & indocti. Morum ſuavitas an vitæ gravitas major fuerit, dubites. Victus atque cultus minime ſordidus, ſed ſimplex, priſcus & frugalis, quæ res, ſicut judicari poteſt, fecit, ut ad eam ſummam ætatem vitam perduceret, tot laborum, curarum, vigiliarum patiens, incorruptis corporis animique viribus, ea oculorum acie, quæ ad extremum usque libris & legendis & ſcribendis nullo adhibito artificio ſufficeret. Sed majora & ea, quæ caput rerum ſunt, dicamus: Magna probitate, fide, in Deum pietate, fuiſſe intelligi poterat. Sacris publicis aſſiduus aſtabat, nec facile, cum in templum coiretur, ſuus ipſum deſideravit locus. Reliqua quoque, quæ aliis commendavit, diligenter ſecutus eſt. Heic ſingulare quiddam, quod ad laudem Viri pertinet, præcipue propter illos, qui famam ejus acceperant, ſcripta legerant, ipſummet familiarius non cognoverant, commemorandum puto. Nullum ferme eſt Theologiæ caput, quod frequentius, quodque intentiore ſtudio tractaret, quam *de divina Providentia, & de ſalutari Gratia,* quam ab æterno Deus gratiæ ſuæ hæredibus liberaliter decreviſſet. Hoc enim caput ſolidæ cum pietatis tum conſo-

latio-

lationis fontem ac fundamentum eſſe judicabat. Cujus ſuæ ſententiæ, quanquam eſſe, qui paulo aliter ſentiant, non ignoraret, ipſum nec puduit nec pœnituit unquam. Hic tantus zelus labe non careret in iis, qui magnifice verbis talia prædicarent, in vitæ ratione alia omnia oſtenderent, quales homines in iis, quæ ad Religionem ac pietatem pertinent, o utinam non ſit verendum, ne multi ſint! *Dicere* enim & *Laudare* minore labore conſtat, quam *Facere*. At in hoc noſtro Viro res contra ſe habuit, id quod ad laudem ipſius plurimum confert. Quæ docuit, quæque acerrime defendit, iis vitam conformare, magnæ curæ habuit, ſic ut ex animi ſui ſententia loqui ſe certiſſimo indicio comprobaret. Hinc quæcunque rerum ac fortunæ facies eſſet, lætus ipſi, tranquillus & æquabilis vultus erat, videlicet, quod perſuaſum haberet, nihil fieri, quin Numine Dei ſapienter regatur. Juvat meminiſſe, quam præclare domeſticas, etiam graviores clades pertulerit. Obſtupeſcebant ſane, qui una dolendi aut conſolandi gratia flebiliter adibant, cum incredibilem Viri conſtantiam, non Stoicam tamen illam, ſed vere Chriſtianam, ſua perſona dignam, & his, quæ diximus, firmis principiis innixam inopinantes cernerent. Pari pietate invaleſcentes ſenectutis infirmitates & excepit & ſuperavit. Multo enim ante, id quod Chriſtiani, quod Theologi, quod Senis Theologi eſt, mortem, &, quæ hanc in piis ſequitur, felicem æternitatem cogitabat, cui rei binæ ejus poſtremæ Orationes fidem faciunt, quarum altera feria Caroli A. 1726. *De beata conditione Fidelium in terris adhuc peregrinantium, ex eorum cum Beatis in cœlo cum Chriſto triumphantibus comparatione illuſtrata.* altera: *De quotidiana Fidelium morte*, biennio ante obitum Encæniis Tigurinis recitata fuit. Itaque ut ſemper, ita præcipue illo tempore, quo infirmior eſſe inciperet, ſeu vivere ſeu mori, prout Deus vellet, paratus erat, in eo Divinæ clemen-

clementiæ gratias agens, quod votorum eſſet compos factus, ut, quoad viveret, muneri præſtando idoneus eſſet. Hoc enim maxime in optatis ſibi eſſe, familiaribus ſæpe oſtendit, nullam ut ante ſupremum diem militiæ vacationem vel petere vel accipere ipſi neceſſe ſit. Toto infirmitatis tempore, & quo propius mortis hora aderat, hoc magis forti & eodem ſemper animo fuit, recordatione ſuæ mirum in modum adamatæ Doctrinæ ſeſe oblectans atque erigens, nec tam verbis quam re oſtendens, id demum aliquo loco habendum eſſe, quod & in vivendo & in moriendo utile ſit. Auditæ ſunt ejus voces: *In Deo ac Servatore Jeſu ſe fiduciam collocare, in gratia illius unice acquieſcere, ad hanc unam aram ſe confugere, hujus Divinæ gratiæ dulcedine animum etiam nunc tangi, in eo tamen ſe conniti, ut majores adhuc fructus percipiat, non ſe tantum obtinere, quin plura ſemper ardente deſiderio ſitiat, & ſe confidere, Deum, quem Patrem non temere tompellet, non gratiam modo ad finem usque certaminis ſibi conſervaturum, ſed etiam incrementum illius larga manu conceſſurum eſſe.* Ultimis horis cum ab aſtante primus Catechiſmi noſtri Dialogiſmus, pio, moribundis quibusvis, doctis æque ac indoctis, & debito & neceſſario officio ſuggereretur, quamvis debili jam voce reſpondit, recte ſe habere, hoc quod puer didicerat, ſeni animo non excidiſſe, id ipſum brevi re ſibi cognitum iri. Cum campanæ ſonus, horæ indicium, audiretur: *Appropinquat*, inquit, *tempus: Veſpera, qua confecto opere quieſcere mihi detur, adeſt: Eſt mihi res cum propitio Deo meo.* Ita ergo vixit, ita mortuus eſt, æternum in cœlis ut viveret, utque in memoria hominum vivere dignus eſſet, & ut nonniſi ea conditione, qua nemo non hominum mortalis eſt, dici de eo debeat: *Fuit, Floruit, Vixit.* Cætera enim jure merito dixeris: *Eſt, Floret, Vivit.*

Facere non poſſum, Auditores, ut argumentum hoc prius relinquam, quam ad Vos, Præſtantiſſimi Juve-

Juvenes, Auditores noſtri dilectiſſimi, orationem meam deflexerim. Vobis enim, quæ diximus, recte penſitata inprimis magnam utilitatem afferunt. Vos ergo, Ornatiſſimi, qui florente eſtis ætate, quos florem juventutis noſtræ eſſe confidimus, flos aliquando, uti ſpes eſt, futuri divinæ humanæque Civitatis, cogitate, per Deum immortalem vos oro atque obteſtor, ſi vobis ſalus veſtra, ſi Reip. ſalus, ſi Eccleſiæ ædificatio, ſi gloria Dei curæ eſt, etiam atque etiam cogitate, quales eos mature eſſe oporteat, qui tantis rebus, quales eæ ſunt, ad quas aſpiratis, pares ſe fieri cupiunt. Nolim omnino vos exiſtimare, cum aliquando ad munera, ac nominatim, Vos enim, qui ſacri ordinis Candidati eſtis, jam præ cæteris volo, cum, inquam, ad munera ſeu Scholaſtica ſeu Eccleſiaſtica ſeu in urbe ſeu in agro obeunda vocamini, tempus fore otio fruendi, peractum eſſe ſtudiorum curſum, habere vos Theologiæ Syſtema quaſi in manu & poteſtate veſtra, nec facile occurrere, de quo non ad ſimplicem populum referre poſſitis. Pejus nihil eſt talibus cogitationibus. Eſt in iis infanda arrogantia, eſt ſupinus officii ſui neglectus, eſt temerarius contemtus gregis Chriſti, qui quovis auro ipſi carior fuit. At ex adverſo nolite etiam exiſtimare, tum demum, cum publicum officium capeſſitis, aut accipere mox cupitis, tempus eſſe ad ea vos conferendi, quæ utilia ei rei eſſe queant. Profecto niſi hoc veſtro tempore optimarum Literarum amor, indefeſſa ſedulitas, pietatis ſtudium, niſi Doctrinæ Eruditionisque ſemina in vobis reperiantur, fieri nequit, ut olim ii evadatis, qui eſſe debetis. Quare, ut paucis omnia complectar, nullum prætermittendum putate diem, quin aliquid, quod proſit in futurum, vobis adjiciatis. Sacras Literas diurna nocturnaque volvite manu, quæque in eam rem neceſſaria ſunt ſubſidia diligenter vobis comparate; præcipue Linguas ſacras non obiter & perfunctorie,

ctorie, ſed accuratius tractate; non enim id agitur, ut olim in concione Hebræas Græcasque voces ambitioſe proferatis: meræ hæ ſunt præſtigiæ, mera ad ſimplicem plebeculam oſtentatio, quaſi vero aliquis aliquid ſciat, quod illi, qui in ſubſelliis ſedent, non ſciunt: ſed ut vim Verbi Divini ſapienter prematis. Sanctæ Theologiæ veritates, ut eæ inter ſe connexæ ſunt, ſtudioſe perluſtrate, argumentis ex S. Scriptura depromtis easdem animo infixas confirmate. Errores, errorum fontes & momenta, quantum neceſſe eſt, probe obſervate, ab iisque vobis cavete. His jactis feliciter fundamentis, erit, quod in tota vita veſtra ſuperſtruatis. Hæc, hæc autem apprime vobis neceſſaria eſſe perſuaſum habetote, non tantum ſi Magnis Viris adæquari, aut eruditionis famam nominisque celebritatem vobis acquirere, ſed etiam ſi Bonorum Virorum & Fidelium Verbi Divini Miniſtrorum locum tueri velitis. Ita enim fiat, ut non tanquam ex ſyſtemate percepta & cruda, ſed tanquam animis veſtris incocta olim aliis clare, diſtincte, prudenter, ſolide proponatis. Ita fiat, ut Deus, cujus gratia piis conatibus non deeſt, ſucceſſus vobis liberaliter donet.

Ad me venio, cujus cauſa nunc cummaxime agitur. Nihil æque à vobis deprecor, Auditores, quam ne me hujus arrogantiæ condemnetis, quaſi, cum Viri Clariſſimi laudes, minus quidem quam pro merito ſuo, at conatu tamen aliquo prædicavi, mihi ipſe blanditus fuerim, quod in magno faſtigio locer, tanto Viro Succeſſor datus. Avertat à me Deus hanc cogitationem! Quin potius credite, & dum ea domi ſcriberem, & dum hac hora recitarem, non parvum metum ſæpe me inceſſiſſe, ut multa animo volutarem, ſubvereri incipiens, ut tanto oneri par ſim. Equidem ſupplex veneror divinam Providentiam, qua factum eſt, ut poſt vulnera Scholæ noſtræ poſtremis his annis inflicta mei aliqua ratio haberetur. Veſtrum benefi-

cium, Patres, Præſides utriusque Ordinis & Curatores Scholæ Ampliſſimi, Venerandi, Clariſſimi, grata mente agnoſco, qui ita de me exiſtimare voluiſtis, ut pulcherrimum atque ſanctiſſimum munus mihi concrederetis. Tantum tamen abeſt, ut ex Anteceſſore meo me metiar, ut potius omnibus vel exquiſitiſſimis precibus Vos obſecrem atque obteſter, id ut meminiſſe velitis, quod & res eſt, maximos Viros ferme nunquam magna frequentia, ſed gemmarum inſtar in cæteris rarius inſperſos fuiſſe. *Zvvinglios, Bullingeros, Hottingeros, Heideggeros,* vaſtiſſima omnigenæ Eruditionis promtuaria, non omnis tulit ætas. Ad hoc vero imaginis Hottingerianæ, quam atrio Scholæ noſtræ, quoad ipſa erit Schola, pia memoria aſſervandam intulimus, contemplatio mihi conducet, ut, ſi minus eruditionem, experientiam, fortitudinem, aliasque ſingulares virtutes, at certe in officio obeundo fidelitatem imitari addiſcam. Hoc quoque, Viri Proceres Magnificentiſſimi, Graviſſimi, quibus pro inſigni Veſtro in me amore atque favore iterum iterumque quas animo complector gratias perſolvo, quibus ſtudium, officium, obſervantiam, obſequium, omnia mea ſacra facio, hoc, inquam, ſanctiſſime Vobis promitto atque recipio, vitam viresque largiente Deo, operam me daturum eſſe, ut in officio mihi demandato temere aliquid neglexiſſe non deprehendar. A Vobis autem, Viri muneribus, meritis, dignitate, poteſtate, auctoritate Præſtantiſſimi, ſummiſſe rogo atque contendo, ut me, quem adhuc amaviſtis atque auxiſtis, patrocinio Veſtro porro clementer amplexari, inprimisque in exequendo officio meo ſublevare dignemini. Deus O. M. Vos, Patres, Præſides optime merentes, gratiæ ſuæ clypeo usque protegat, conſilia Veſtra ipſe regat & fortunet, ut quod optimum eſt ubique deligatis, & quod delegiſtis prudenter atque fortiter tueamini. Faxit Deus & Pater, ut ſub Veſtris

auſpi-

auſpiciis Respublica, Civitas, Eccleſia, Schola, ſalva diutiſſime floreat, & ut, quoad vivitis, pro eo in quo eſtis ampliſſimo honoris gradu, plurimum omnibus, præcipueque Eccleſiæ & Scholæ prodeſſe poſſitis!

Vos vero, Viri Venerandi, Clariſſimi, Sacrarum Literarum ſeu ad Populum Chriſtianum, ſeu in Schola Profeſſores ac Doctores eximii, Vos, inquam, inprimis magno mihi & emolumento & adjumento eſſe poſſe prævideo, ut in munere meo felicius mihi progredi liceat. Itaque ut me, hominem, quem benevolentia Veſtra ſemper proſecuti eſtis, quique Veſtrum alios ut veteres Magiſtros ac Doctores, ut Amicos alios, ſincero animi affectu ſuſpicit & colit, ejusdem Collegii neceſſitudine Vobis conjunctum hilari vultu recipiatis, omni ſtudio ac pietate à Vobis peto quæſoque. Jure à me expectatis, ut quem Vobis debeo animum beneficiorum veſtrorum memorem, & ad quævis officia atque obſervantiam paratiſſimum ſancte conſervem. Quæ ſpes ne Vos fallat, meum erit curare. Juxta Vobiſcum, quantum mea feret infirmitas, annitar, ut pro muneris mei ratione aliquod ad Eccleſiaſticam aut Scholaſticam rem ornamentum vel commodum afferam. Eum me eſſe credatis, qui cum pro officio dicendum eſt aut conſulendum, quod quidem ſentiam loquendum, at qui non tamen, quod ſemel vel ſenſi vel locutus ſum, præfracte mihi tuendum putem, ſed qui rectius monentibus vacivas aures præbeam. Talem ſi me agnoſcatis, ſtudiis, conſiliis, monitis minus peritum me juvate. Teque præ cæteris, Venerande CRAMERE, Collegii noſtri Præſes atque Decane digniſſime, cui in officii publici adminiſtratione, impar licet, proxime adjungor, qua poſſum animi contentione, omni officio atque veneratione oro rogoque, ut pro ea, qua polles, cum eruditione tum prudentia longo rerum uſu confirmata, ubicunque opus erit, in arduo difficilique, quod ſuſtinere jubeo, negotio mihi ſuccurras. Quod mutuum Tibi

offeram, præter propenſam ad omnia, quæ honeſte fieri debent, voluntatem, fidem atque obſervantiam minime ſimulatam, ſed ex certo animi mei judicio profectam, non habeo. In Te vero multa ſunt, quibus mihi commodare egregie poſſis, quæ cum in me contuleris, futurum ſpero, ut meritis tuis quadantenus reſpondere poſſim. Deus O. M. Te, Vir Præclare, Vos omnes, Viri Clariſſimi, ad exemplum Τοῦ νῦν Μακαρίτου, Profeſſoris, Collegæ, Senioris olim Veſtri, ea felicitate beet, ut Eccleſiæ Scholæque commoda ad extremam usque ſenectutem promovere, augere, ornare poſſitis, & ut, poſtquam viam veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, ceu fulgentiſſima lumina multis demonſtraviſtis, fama Veſtra Vobis in his terris ſuperſtes, ipſi Vos in cœlis velut nitidiſſimæ ſtellæ æternum ſplendeatis!

Ad Vos redit, in Vobisque deſinit Oratio mea, Lectisſimi Juvenes. Eſt aliquid de hujus diei ſolennitate, quod ſupra ea, quæ paulo ante generatim attigi, verbo Vos moneam. Quid noſtrarum partium ſit, intellexiſtis. His vero defungi, ut decet, mihi vix datur, niſi mutua veſtra accedat opera. Quamobrem maximopere à Vobis quæſo, ut me, cui hujus bonarum Literarum Officinæ cura in re haud parvi ſane momenti juxta cum cæteris Viris Clariſſimis commiſſa eſt, eo animo modoque, quo id fieri oportet, recipiatis. Habebitis me non aſperum, non immitem, non arrogantem, non, ſi quid eſt concedendum, difficilem. In iis vero, quæ ad officia noſtra pertinent, ut una mecum in officio accurate fideliterque maneatis, jure poſtulo. In eo præcipuum erit, ut in Lectionibns & publicis & domeſticis, præſertim iis, quæ ex publica Lege inſtituendæ ſunt, cum præſentiam tum animi attentionem nobis præſtetis. Citius quam putes hora labitur. Hoc magis intendendum utrinque eſt & dicendi & audiendi ſtudium, ut quod operæ pretium ſit confectum eſſe ſperare liceat. Hoc ſi à Vobis impetravero, fiet, ſpero, ut peracti laboris ratio & à Vobis

bis & à Nobis reddi haud cunctanter queat. Ego certe, quantum in me eſt, curabo, ut, cum ea à Vobis exigitur, tanquam in meta conſiſtentes ad confectum curſum reſpicere tuto poſſitis. Interim nolite, obſecro Vos, nolite hujus officii, quo ſanctius nullum, & quod cæterorum omnium officiorum caput eſt, unquam obliviſci, ut ſupplices Dei O. M. & Sancti Spiritus ejus ſaluberrimum præſidium & pro Nobis & pro Vobis enixis precibus imploretis. Hæc eadem Votorum meorum ſumma erit. Pater Luminum, Fons Sapientiæ, animos veſtros veritatis luce illuſtret, & pietatis ignibus inflammet, ut ceu Naziræi & à mundi inquinamentis ſegregati puri atque integri coram Deo in Templo ſuo ſiſtamini, ut viciſſim Vos Deus pro ſuis accipiat, atque ut in decore ſanctitatis ſuæ locum Vobis & poteſtatem Sermonem Chriſti, ut oportet, libere eloquendi concedat!

Domine Deus, duc nos omnes in via veritatis. Ad ſerviendum Tibi ipſe aptos redde, Etiam his cœptis meis clementer adſpira. Suffice robur Spiritus Tui, ut & ipſe oneri ſufficere poſſim, & ut ſervus nec infidelis nec inutilis in domo Tua fuiſſe reperiar. Da, Bone Deus, ut Tibi miniſtrando myſteria Tua ſapienter diſpenſem, & ut fructum exoptatum referat labor meus ad Nominis Tui gloriam, ad Eccleſiæ ædificationem, & ad meam ipſius aliorumque Salutem in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hoc propitius velis faxisque, Summe Deus!

DIXI.

II.
CATALOGUS
Scriptorum publicatorum
Viri Cel.
JO. JAC. HOTTINGERI,
p. m.
Juxta Seriem annorum compoſitus.

1. Diatribe Theolog. *de Spiritu prædicante Spiritibus in carcere, ad 1. Petr. III. 19, 20.* Præſide Jo. Henr. HEIDEGGERO, SS. Theol. Doct. & Profeſſ. Tig. 1672. in 4. pl. $2\frac{1}{2}$.
2. Bibliſche Prob des Züricheriſchen Catechiſmi; oder grundliche ſchrifftmäßige Beweißthum, daß die in gedachtem Catechiſmo enthaltene Lehr der Reformierten Kirchen, GOttes heiligem geſchriebnem Wort gemäß, hingegen die Neu-Römiſche in einem jüngſt-ausgegebnen alſo genañten Probſtein verſochtene Lehr demſelben zuwider ſeye. Zürich, bey Mich. Schaufelbergers ſel. Erben. 1685. in 8. Bogen 25.
3. *Sfortia Pallavicinus, infelix Concilii Tridentini Vindex*; ſive Exercitatio Hiſtorica operi, quod *Card. Pallavicinus de Conc. Tridentino* ſcripſit, oppoſita: Qua, præmiſſis quibusdam de Concilii Trid. Hiſtoria generalibus, Card. Pallavicini adv. *Hiſtoriam Conc. Trid.* ſub nomine *Suavis Polani* publicatam, præjudicia, accuſationes, exceptiones, &c. excutiuntur; & Hiſtoria ei à *Pallavicino* oppoſita, multis modis mendoſa, ſuſpecta, falſa, & cauſæ adverſus *Polanum* ſuſcep-

ſuſceptæ detrimentoſa eſſe oſtenditur. Tig. Typ. Bodm. 1692. in 4. pl. 14.

4. Schrifftmäßige Verthädigung der Evang. Lehr und Kirchen gegen P. Gerald Wielands / Conventualen zu St. Gallen, unter dem Namen Decalogus und Trialogus, außgegebne Geſpräch vom wahren Glauben. Zürich 1695. in 8. Bogen 48.

5. Kürzere Widerlegung der X. Geſprächen / welche P. Wieland / Conventual des Cloſters St. Gallen, vom wahren Chriſtlichen Glauben ans Liecht gegeben. 1695. in 8. Bog. 7.

6. Helvetiſche Kirchen-Geſchichten / vorſtellende der Helvetiern ehemaliges Heidenthum, und durch die Gnad GOttes erfolgetes Chriſtenthum, ſamt nothwendigen Anmerckungen von der Lehr, Gebräuchen und Regierung der Helvetiſchen Kirch, und denen dariñ vorgefallenen Veränderungen. Aus bewährten gedruckten und geſchriebnen Documentis unpartheyiſch zuſamen getragen, in richtiger Jahr-Ordnung bis auf gegenwärtige Zeiten außgeführt, und in VII. Bücher abgetheilt. Erſter Theil. Zürich, bey H. Bodmer. 1698. in 4. Alph. 4. Bog. 15.

7. Diſſertatio Theol. Dogmatis *de Juſtificatione* Summam & Hiſtoriam exhibens. Reſpondente Davide Holzhalbio, V. D. M. Aſſumente Joh. Rodolpho Cramero, S. Th. Stud. 1698. 4. pl. 3.

8. Δυόδεκας Poſitionum Theol. Reſpp. 5. Candid. 1698.

9. Diſſ. Theol. *de Præſcriptione in Cauſa Religionis*. Reſpp. 3. Candid. 1698. 4. pl. 3.

10. - - Doctrinæ *de Perſona, Statu & Officio Chriſti* compendium exhibens, *ex Epiſt. ad Hebræos*. Reſpp. 3. Candid. 1699. 4. pl. 2½.

11. Diſſ. Theol. *de Interceſſione Chriſti Mediatoria.* Reſp. Jac. Balbero, Aſſum. Dieth. Gygero. 1699. 4. pl. 3.

12. - - *de Reſipiſcentia Evangelica, ejusdemque nativa Indole.* Reſp. Henr. Zuicchio, Glar. 1699. 4. pl. 3.

13. - - *de Manducatione Corporis Chriſti.* Reſpp. 8. Candid. 1700. 4. pl. 3.

14. - - *de Eccleſia, Prior.* Reſp. Caſp. Theobaldo. Aſſum. Rod. Müllero. 1700. 4. pl. 4.

15. - - *Poſterior.* Reſp. Dieth. Gygero. Aſſ. Henr. Benkero. 1700. 4. pl. 4.

16. - - *de Magnitudine Dei,* Reſp. Erh. Suicero. Aſſum. Jac. Hottingero, Fil. 1701. 4. pl. 4.

17. Πεντάδεκας Aſſertionum Theol. *ex Catena potiſſimum Salutis Rom. 8 : 29, 30.* erutarum. Reſpp. 2. Candid. Palatinis. 1702. 8.

18. Diatriba Theol. qua *Pædobaptiſmi Jus & Antiquitas,* ex Verbo Dei, & primitivæ Eccleſiæ Praxi aſtruitur; modernis ſub *Pietiſtarum* larva hinc inde graſſantibus *Catabaptiſtis* oppoſita. Reſp. Rod. Hubero. Aſſum. Henr. Rhanio. 1702. 4. pl. 4.

19. - - *de Conſcientia, ejusdemque Obligatione & Directione.* Reſp. J. Jac. Peſtaluzio. Aſſum. Beato Simlero. 1703. 4. pl. 4.

20. - - *de Supremo Controverſiarum Judice, Hiſtorica.* Reſpp. 8. Candid. 1704. 4. pl. $4\frac{1}{2}$.

21. - - *de Potentia Verbi Divini.* Reſp. J. Jac. Hottingero, Fil. Aſſum. J. Jac. Oerio, 1704. 4. pl. 5.

22. - - *de Frequenti Communione.* Reſp. Joh. Henr. Hirzelio. Aſſum. J. Caſp. Fueſslino. 1705. 4. pl. 5.

23. - - *de Inviſibilis Viſione per Fidem, ad Hebr. XI. 27.* Reſp. Joh. Jac. Huldrico. Aſſum. J. Conr. Hottingero. 1706. 4. pl. 4.

24. Biga Exercitationum Hiſtorico-Theologicarum, *de Pœnitentia Primitivæ, nec non Romanæ Eccleſiæ,* quibus

Illius

Illius natales, variæ ætates & interitus, *Hujus* indoles; partes, partus, nævi, &c. ediſſeruntur, & crebræ *Rob. Bellarmini*, *Joh. Morini*, *Nat. Alexandri*, *&c.* de utraque hallucinationes & tergiverſationes excutiuntur. Tig. Typ. Bodmer. 1706. 4. pl. 43. NB. Hoc titulo Opus integrum atque Dedicatione & Indice inſtructum prodiit, quod octo Diſſert. Reſpp. 33. Candidatis publice ventilatum paulatim lucem adſpexerat. Vid. Scheuchz. Nov. Lit. Helv. A. 1701. p. 24. & Annis ſeqq.

25. Helvetiſche Kirchen-Geſchichten / anweiſende den Zuſtand der Helvetiſchen Kirch von den Zeiten Keiſers Friderici II. bis auf dero unter Keyſer Maximiliano I. angehebte Verbeſſerung; ſamt nothwendigen Anmerckungen, von denen bey ſelbigen Zeiten in der Lehre, Gebräuchen, und Regierung der Helvetiſchen Kirch vorgefallenen Veränderungen. Aus bewährten, gedruckten und geſchriebenen Documentis unpartheyiſch zuſammen getragen, und in richtige Jahr-Ordnung dargeſtellt. Zweyter Theil. Zürich, bey Henr. Bodmer. 1707. in 4. Alph. 5. B. 8.

26. Helvetiſche Kirchen-Geſchichten / vorſtellende, wie das Hochlobliche Reformations-Werck in der Eydgnoßſchafft und verſchiedenen mit-verbündeten Länderen und Städten gottſelig unterfangen, dapfer fortgeſetzt, glücklich zu End gebracht, und unter göttlicher Gnad bis auf unſere Zeiten erhalten worden; Aus bewährten meiſtens ungedruckten und glaubwürdigen Documentis zuſamen getragen. Dritter Theil. Zürich, bey Henr. Bodmer. 1707. in 4. Alph. 6.

27. Aſſertionum Theol. *de Imagine Dei primitiva & renovata*, Enneas. Reſp. Joh. Eſchero. 1707. 8.

28. Diatribe Theol. *de Veritate Secundum Pietatem.* Reſp. J.Jac.Corrodio. Aſſum. J.Conr. Wirzio. 1707.4.pl.4.

29. Diſſ. Theol. *de Supremo Controverſiarum Judice Chriſtiano:* Reſpp. 5. Candid. 1707. 4. pl. 6.

30. - - - - *Antichriſtiano* & Perſonato. Reſpp. 3. Candid. 1707. 4. pl. 3½.

31. - - - - *Papiſtarum opinione genuino & unico.* Reſpp. 11. Candid. 1708. 4. pl. 5.

32. Diſſ. Textualis *de Jeſu Chriſto ad Jordanem baptizato.* Reſp. Caſp. Rheinachero. Aſſum. Caſp. Hofmeiſtero. 1708. 4. pl. 4.

33. Heptas Poſitionum Theol. Reſp. Henr. Hagenbuchio. 1708.

34. Heptas Aſſertionum *de J. Chriſti Perſona & Officio.* Reſpp. 2. Candid. 1708. 8.

35. Diatribe Theol. *de Applicatione Juſtitiæ Chriſti.* Reſpp. 7. Candid. 1708. 4. pl. 5½.

36. Diſſ. Textualis *de J. Chriſto ad Jordanem glorificato.* Reſpp. 10. Candid. 1709. 4. pl. 5.

37. Exercit. Theol. qua *Oeconomia & Beneficia Salutis ex Joh. III. 16.* eruuntur. Reſp. Caſp. Brunnero. Aſſum. Henr. Goſsvveilero. 1709. 4. pl. 3½.

38. Εἰκὰς Poſitionum Theol. *de Cognitione D. N. J. Chriſti.* Reſpp. 5. Candid. 1709. 8.

39. Exercit. Theol. *de J. Chriſti in Deſerto cum Satana congreſſu & repetita ab hoſte victoria. Prior.* Reſp. J. Conr. Cramero. Aſſum. J. Jac. Hoſpitalero. 1709. 4. pl. 4.

40. - - - - *Altera.* Reſp. Caſp. Zieglero. Aſſum. Jac. Schultheſſio. 1710. 4. pl. 4.

41. - - - - *Tertia.* Reſp. J.Jac. Wolphio. Aſſum. Joh. Wernlino. 1710. 4. pl. 4.

42. Diatriba Theol. *de Anathemate Paulino ad Rom. IX. 3.* Reſpp. 7. Candid. 1710. 4. pl. 5.

43. Diatribæ Hiſtorico-Theol. qua, *Prædeſtinatianam & Gode-*

Godeſchalci Pſeudo-Hæreſes, *Adverſariorum Gratiæ commenta eſſe*, demonſtratur, *Sectio Prior*, *de Prædeſtinatianiſmo*. Reſpp. 8. Candid. 1710. 4. pl. 4.

44. - - *Sectio Poſterior*, *de Godeſchalco*, *ejusque de Prædeſtinatione & Gratia Doctrina*. Reſpp. 10. Candid. 1710. 4. pl. 6.

45. Diſſ. Theol. *de Fidei Juſtitiam Chriſti imputatam apprehendentis ἐνεργείᾳ & uſu ad Praxin Pietatis*. Reſpp. 2. Candid. 1711. 4. pl. 3.

46. Διάσκεψις Hiſtorico-Theol. qua *Ratramni*, qui vulgo *Bertramus*, Doctrina *de Præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in S. Cœna* inveſtigatur, & à *Mabilloni*, *Nat. Alexandri*, *&c.* vitilitigationibus vindicatur. Reſpp. 6. Candid. 1711. 4. pag. 44.

47. Diſſ. *de Genealogia Jeſu Chriſti*, *Prior*. Reſp. Marco Hoſpiniano. Aſſum. Rod. Bachofio. 1711. 4. pag. 42.

48. **Getreuer Gewiſſens-Raht in der hochwichtigen Lehr von der Gnad GOttes / in des ſündlichen Menſchen ohnverdienter Erwehlung / und kräftiger Bekehrung; nach den Grund-Reglen der Wahrheit aus H. Schrifft abgefaſſet, und auf Begehren in Druck verfertiget.** 1711. 8. pag. 28.

49. Solutio Scrupuli *de Diſſidio Proteſtantium & Pontificiorum* fundamentali, an non fundamentali. Reſp. Andr. Peſtaluzio. 1712. 8.

50. Diſp. *de Genealogia J. Chriſti*, *Poſterior*. Reſp. Henr. Schærero. Aſſum. Rod. Hofmeiſtero. 1713. 4. pag. 34.

51. Exercit. Theol. *de Miraculis J. Chriſti*. Reſpp. 7. Candid. 1713. 4. pl. $7\frac{1}{2}$.

52. - - *de Operatione Dei in Animo Hominis immediata*. Reſpp. 10. Candid. 1714. 4. pl. 7.

53. - - *de Religione in genere*, *in ſpecie de Veræ Characteribus*. Reſp. J. Conr. Wirzio. Aſſ. J. Henr. Ottio. 1714. 4. pag. 34.

54. Exer-

54. Exercit. Theol. *de Converſatione J. Chriſti Sanctiſſima in Carne humili*, Obedientiæ & Sanctitatis *Speculo* puriſſimo & *Exemplari* perfectiſſimo. Reſp. Conr. Hottingero. Aſſum. Conr. Cellario 1715. 4. pl. 5.

55. - - *de Doctrina J. Chriſti, Fonte & Norma Veritatis.* Reſpp. 9. Candid. 1715. 4. pl. 7.

56. Φρόνησις τῶν δικαίων. ſeu Doctrina *de Juſtitia Vera Peccatoris, Fide, & utriusque Imputatione*: Teſtimonio Legis, Prophetarum & Apoſtolorum roborata. Reſp. Beato Holzhalbio. 1715. 4. pl. 3. Conf. Verſuchungs-Stund. p. 36. ſq. Biblioth. Brem. Cl. I. p. 875.

57. Zuſtand der Seelen nach dem Tod: Aus H. Schrifft gründlich und deutlich dargeſtellt; Samt beygefügter beſcheidenlicher Widerlegung verſchiedener von vermeinter Begnadigung deren gefallenen und von GOtt in die Hölle geſtürtzter Engeln und Menſchen, unter dem Titul des Ewigen Evangelii/ der Widerbringung aller Dingen/ des mitleren Zuſtands der Seelen/ ohnlángſt ausgeſtreueter Schrifften. Zürich. in 8. 1715. Bog. 10.

58. Die unverfälſchte Milch der Chriſtlichen Lehre/ ꝛc. von der heilſamen Gnade GOttes; dero Beſchaffenheit/ Nothwendigkeit/ Urſprung/ Anfang/ Wachsthum/ Mittlen/ ꝛc. Aus H. Schrifft verfaſſet, durch einen, der heiligen Wahrheit, und wahren Heiligkeit Befliſſenen; Zu Unterweiſung der Unwiſſenden, zu Stärckung der Schwachen, zu Wiederweiſung und Aufweckung der Irrenden, und annoch fleiſchlich geſinneten. A. 1716. in 8. Bog. 9.

59. Nach-Bericht/ verfaſſende gründliche Nachrichten/ und getreue Warnungen/ wegen dermal

im

im Schwang gehenden übel-genenneten Pietiſmi. pagg. 36. in 8.

60. Μονοτεσσαρον, ſive *Harmonica Evangelicæ Hiſtoriæ Diſpoſitio*. Reſpp. 6. Cand. 1716. 4. pl. 7.

61. Meditatio, *de Doctrina J. Chriſti, Fonte & Norma Sanctitatis*. Reſp. Davide Lavatero. Aſſum. Caſp. Irmingero. 1716. 4. pl. 5.

62. Exercitationis Theol. *de Miraculis Jeſu Chriſti, Pars Poſterior*. Reſpp. 7. Cand. 1716. 4. pl. 3½.

63. Verſuchungs-Stunde über die Evangeliſche Kirche / durch neue ſelbſt-lauffende Propheten; Oder: Kurtze und wahrhaffte Erzehlung / was ſint A. 1689. bis 1717. in Zürich wegen des übel-genahmten Pietiſmi verhandelt worden, und Unterſuchung derer fürnehmſten neulicher Lehr-Sätzen und Beſchwerden, welche durch die Verfechter des beſagten Pietiſmi, wider die Reformirte Kirch in die Welt ausgeſtreuet worden; Samt einer Vorrede / von einer beſonderlichen und unzertrennlichen Paarung und Vereinbahrung der geſunden Lehr und des gottſeligen Lebens. Zürich, bey David Geßner. 1717. 1. Alph. in 8. Recenſetur in Biblioth. Brem. Cl. I. p. 870. ſqq.

64. Diſſertatio Hiſtorico-Theol. *de S. Johanne Baptiſta, Annunciationem Conceptionis ejus*, exhibens. Reſp. J. Jac. Lavatero. Aſſum. J. Georg. Neuſchelero. 1717. 4. pl. 5.

65. Exercitatio S. in *S. Johannis Bapt. Curriculum Vitæ & Obitus*. Reſp. Henr. Irmingero. Aſſum. Henr. Meiſtero. 1718. 4. pl. 5.

66. Ὑποτυπώσεως Doctrinæ *de Gratia Dei Salutifera, Sectio Prior*, quæ *generalis* eſt. Reſpp. 6. Candid. 1718. 4. plag. 5.

67. Diſſ.

67. Diſſ. Secularis *de Neceſſaria Majorum ab Eccleſia Rom. Seceſſione, & impoſſibili noſtro Tum in eandem Eccleſiam Reditu, Tum Pace cum ea.* Reſp. J. Rod. Lavatero, V.D.M. 1717. 4. pl. 7½. Hæc in vernaculum ſermonem quoque translata prodiit. V. Biblioth. Brem. Cl. III. p. 509. Conr. Hotting. Altes und Neues. St. IX. p. 633. ſqq.

68. Ὑποτυπωσ. Doctrinæ *de Gratia Dei Salutifera, Sectionis Poſterioris*, quæ *Specialis* eſt, Exercitatio *Prima*, Articulos *de Electione & Teſtamento Dei* exhibens. Reſpp. 4. Candid. 1719. 4. pl. 6.

69. Exercitatio Theol. *de S. Johannis Bapt.* Ἀναδείξει, præcipue Ejus *Miſſionem* conſiderans. Reſp. Conr. Wiſero. Aſſum. Jac. Meyero. 1719. 4. pl. 3½.

70. Δυοδεκας Aſſertionum Theol. Reſpp. 2. Cand. 1719.

71. Exercitatio Theol. *de S. Johannis B. Miniſterio, Prior.* Reſp. J. Jac. Ulingero. Aſſum. J. Jac. Breitingero. 1720. 4. pl. 4½.

72. Memoria Secularis *Synodi Dordrechtanæ* d. III. Cal. Febr. 1720. Solenni Oratione in publica Panegyri Tiguri celebrata. Extat in Biblioth. Brem. Cl. IV. p. 417-456. Conf. *Ejusdem Synodi Vindiciæ* adv. Cl. Moshemium, in *Fatis Doctrinæ de Prædeſt. & Grat.* L. IV. §. 367. ſqq.

73. Anhang an den Näheren Entwurff / oder Erklährung der Lehr der Reformirten Kirch von der ewigen Gnaden-Wahl / und anderen aus dieſer Quell flieſſenden Heil-würckenden Gutthaten GOttes, zu beförderung des ſo billichen und nöthigen Kirchen-Friedens der Proteſtirenden Kirchen, durch Salomon Alethæum. Zürich. 1720. 4. Bog. 4.

74. Exercitatio Theol. *de S. Johannis B. Miniſterio, Poſterior.* Reſp. J. Jac. Zimmermanno. Aſſum. Dav. Brennvvaldio, 1721. 4. pl. 4½.

75. *Diſſertatio Secularis* de Neceſſaria Majorum ab Eccl. Rom.

Rom. Seceſſione &c. adverſus iniquum & vaniſſimum *Ludov. Ruſca, Lugan. Judicium Eccleſiaſticum:* Ex Verbo Dei, puriori Antiquitate, celebribus Eccleſiæ Rom. Doctoribus, & quotidiana ejusdem Eccl. praxi, *Aſſerta & Vindicata.* Tig. Typ. Geſsn. 1721. 4. pl. 28.

76. Diſſertatio Irenica, *de Veritatis & Charitatis amiciſſimo in Eccleſia Proteſtantium connubio.* Reſpp. 8. Cand. 1721. 4. pl. 9½

77. Exercitatio Theol. qua *Reſurrectionis Chriſti Veritas,* ad Judæorum Convictionem: *& Efficacia,* ad Chriſtianorum infirmorum tum Correctionem tum Erectionem *demonſtratur.* Reſp. J. Caſp. Irmingero. Aſſ. J. Georgio Hirzelio. 1722. 4. pl. 5.

78. Ὑποτυπώσεως Doctr. *de Gratia Dei Salutifera: Sectionis Poſterioris, Exercitatio Altera: Gratiam D. N. J. Chriſti* ediſſerens. Reſpp. 3. Candid. 1722. 4. pl. 4½.

79. - - *Tertia, de Communione Spiritus Sancti,* Electos & Redemtos regenerantis, obſignantis & confirmantis. Reſpp. 2. Candid. 1723. 4. pl. 2.

80. Diſſert. Theol. *de S. Johannis B. Miniſterio, Tertia.* Reſp. J. Huldr. Kilchſpergero. Aſſum. Georg. Chriſtoph. Toblero. 1723. 4. pl. 5.

81. Πεντὰς *Diſſertationum Biblico-Chronologicarum,* qua tum ex indicibus temporis, adventui Meſſiæ adſignati, præcipue in 70. hebdomadibus Danielis: Tum ex SS. Evangeliſtarum de Johanne, Chriſto & Paulo, hiſtoria, Jeſum, & in plenitudine temporis natum, & Chriſtum eſſe, adverſus Judæos demonſtratur: & Sacri etiam Codicis Sinceritas paſſim defenditur. Accedit *appendix triplex:* 1. de Samaritanis primis, eorumque in Aſſyriam deportatione. 2. de novis ex Aſſyria &c. miſſis Samariæ incolis. 3. de XII. Tribuum diſperſione. *Præfationem,* de Chronologia Sacra ejusque Scriptoribus, præmiſit *Frid. Ad. LAMPE,* SS. Th. D.

SS. Th. D. & in Acad. Trajeƈt. Prof. Trajeƈti ad Rhenum, 1723. 8. 1. Alph. 13½. plag. V. Biblioth. Brem. Cl. VII. p. 1084.

82. Succincta, at ſolida ac genuina *Formulæ Conſenſus* conditæ & in Eccleſiis Helveticis receptæ & ſervatæ *Hiſtoria*, abſque ulla diſputandi altercandive prurigine emiſſa, una cum *literis* aliquot huc pertinentibus. Latino & Germanico idiomate junƈtim edita. 1723. 4. pl. 16. Eadem, ſed ſine adjunƈtis Epiſtolis Gallicis, Latine inſerta eſt Biblioth. Brem. Cl. VII. p. 669-702.

83. Verthädigte Formula Conſenſus Eccleſiarum Helvet. Reform. durch ausführliche Vorſtellung, daß die in beſagter Formula, von dem ewigen Rahtſchluß / von der Gnad GOttes / ꝛc. enthaltene Lehr-Sätze / gleich bey der Reformation, in denen Eydgenößiſchen Kirchen genehm gehalten, und bis auf gegenwärtige Zeiten beybehalten worden. Samt Schrifftmäßiger Unterſuchung der Wichtigkeit dieſer Lehr-Sätzen: Und grundlichem Beweißthum, daß die Reformierte Kirchen in und auſſert der Eydgenoßſchafft, zu allen Zeiten, ohne Gewiſſens-Zwang, Libros Symbolicos gehabt und noch haben. 1723. in 4. Bog. 11.

84. Exercit. Irenica, *de Momento Diſſenſus Proteſtantium, in Dogmate de Prædeſt. & Gratia*, qua D. D. *Godofr. Hofmanni*, Prof. Tübing. Cel. *Annotationes Irenicæ*, &c. ad examen modeſtum revocantur. Reſp. J. Conr. Cellario. Aſſum. J. Jac. Balbero. 1723. 4. pl. 7½.

85. - - *de Conſolatione Evangelica in Tentationibus:* num ſolidior ex Univerſali, an ex Particulari Gratia hauriatur? Reſpp. 2. Candid. 1723. 4. pl. 3.

86. Diſſert. Theol. *de Communione Spiritus S. &c. Continuatio I.* Reſp. Sam. Schmidio, Glar. 1724. pl. 2.

87. Diſſert.

87. Diſſert. Theol. *de Communione Spiritus S. &c. Continuatio Altera.* Reſp. Beato Werdmyllero. Aſſum. Jac. Hubero. 1724. 4. pl. 5.

88. - - - *Continuatio Tertia.* Reſpp. 2. Candid. 1725. 4. pl. 2½.

89. Diatribæ Theol. *de Auxilio Dei Protoplaſtis ad perſeverandum neceſſario. Pars Prior.* Reſp. J. Jac. Huldrico. Aſſum. J. Henr. Mejero. 1725. 4. pl. 5.

90. - - - *Pars Poſterior.* Reſp. J. Jac. Wolphio. Aſſum. J. Jac. Geſsnero. 1726. 4. pl. 5.

91. Diſſertationum Theol. *de Communione Spiritus Sancti &c. Continuatio Quarta.* Reſpp. 4. Cand. 1726. 4. pl. 4.

92. - - - - *Continuatio V. & Ultima.* cum Appendice ad Diſſert. *de Gratia D. N. J. Chriſti.* Reſpp. 6. Candid. 1726. 4. pagg. 58.

93. *Fata Doctrinæ de Prædeſtinatione & Gratia Dei Salutari,* ſecunda & adverſa, inde à beato SS. Apoſtolorum exceſſu, ad hæc usque tempora, in *Annales* digeſta. Accedunt *Exercitationes duæ Hiſtorico-Dogmaticæ.* 1. de Voluntate Dei Antecedente & Conſequente. 2. de Gratia Dei Sufficiente & Efficaci. *Tig. Typ. Heidegg.* 1727. 4. 6. Alph.

94. Ὑποτυπώσεως Doctr. *de Gratia Dei Salutari, Exercitatio Poſtrema,* Gratiæ Dei *Conſummationem in Gloria* conſiderans. Reſp. J. Caſp. Huldrico. 1727. 4. pl. 2.

95. Exercit. Theol. *de S. Johannis Baptiſmo.* Reſp. Joh. Scheuchzero. Aſſum. Henr. Bollero. 1727. 4. pl. 5.

96. Mantiſſa ad Exercitationes *de Auxilio Dei Protoplaſtis neceſſario,* qua *Auguſtini* mens de *Auxilio quo* expenditur. Reſpp. 3. Candid. 1728. 4. pl. 2½.

97. Diſquiſitio Theol. qua *Soliloquium pronuper à Jeſuitis ſparſum,* ad S. Literarum Cynoſuram expenditur. Reſp. Henr. Theobaldo. Aſſum. J. Jac. Fueſslino. 1728. 4. pl. 5.

98. **Helvetiſcher Kirchen-Geſchichten vierter Theil:**

darſtellend, was ſich von A. 1701. bis 1728. in denen Eydgenößiſchen Kirchen ſonderliches begeben. Samt Einer Zugabe / in welcher die VII. erſte Bücher an ein und anderm Ort verbeſſert, ſo dann mit verſchiedenen merckwürdigen Begebenheiten vermehret worden. Aus glaubwürdigen Documentis zuſammen getragen. Zürich, bey Heidegger und Comp. 1729. 4. 3. Alph.

99. Diſſert. Theol. *Teſtimonium S. Johannis B. de D. N. J. Chriſto* conſiderans, *Prior.* Reſpp. 7. Candid. 1729. 4. pl. 5.

100. - - *Altera.* Reſp. J. Caſp. Huldrico. Aſſ. Leonh. Holzhalbio. 1729. 4. pl. 4.

101. Exercitatio Theol. *Sinceræ de Prædeſtinatione & ſalutari Dei Gratia Doctrinæ*, ad genuinæ Pietatis praxin, *Neceſſitatem* oſtendens, *Prior.* Reſpp. 4. Candid. 1730. 4. pl. 3½.

102. - - - *Poſterior.* Reſpp. 3. Candid. 1730. 4. pl. 2.

103. - - *Ejusdem Doctrinæ*, ad conſtantem ſinceræ Pietatis praxin, *Utilitatem* demonſtrans, *Prima.* Reſp. J. Jac. Geſsnero. Aſſum. Henr. Bullingero. 1730. 4. pl. 5.

104. - - *Altera.* Reſpp. 5. Candid. 1731. 4. pagg. 26.

105. - - *Tertia.* Reſp. Huldr. Steinbrüchelio. Aſſum. Jac. Zimmermanno. 1731. 4. pl. 4.

106. - - *in S. Johannis B. Teſtimonium de S. Servatore N. Tertium. Prior.* Reſpp. 7. Cand. 1732. 4. pl. 4.

107. - - *Poſterior.* Reſp. Henr. Wolfio. Aſſ. Henr. Waſero. 1732. 4. pl. 5.

108. Theſium Theol. Decas. Reſp. Henr. Waſero. 1733. 8.

109. *Encænialia Scholæ Tigurinæ* celebrata Oratione *de quoti-*

quotidiana Fidelium Morte, ad d. 17. Cal. Oct. 1733. Tig. Typ. Geſsn. 4. pl. 3.

110. Exercitatio Theol. qua, *Solidam Conſolationem, ex ſincera de Prædeſtinatione & Gratia Dei Doctrina, ſponte, plane & plene fluere*, oſtenditur. *Prior.* Reſp. J. Jac. Balbero. Aſſum. J. Jac. Weiſſio. 1733. 4. pl. 5.

111. - - - *Altera.* Reſp. J. Rod. Rhanio. Aſſum. J. Jac. Huldrico. 1734. 4. pl. 5.

112. - - - *Tertia.* Reſp. J. Caſp. Heſſio. Aſſum. J. Jac. Hofmeiſtero. 1735. 4. pl. 4.

113. - - - *Quarta & Ultima.* Reſpp. 3. Candid. 1735. 4. pl. 2.

114. Exercitatio Theol. qua *Laborantium & Oneratorum Invitatio ad Chriſtum ex Matth. XI. 28-30. illuſtratur*; Exercitationum *de Conſolatione Solida* ex Fonte ſalvificæ Gratiæ Dei fluente, *Summa & Appendix*. Præſide *J. Jac.* LAVATERO, S. Theol. Prof. Reſpp. 11. Candid. 1736. 4. pl. 4. V. Tempe Helv. T. I. p. 576.

* * * * * * * * *

D 2 Ejusdem

Ejusdem

Orationes Solennes in MSC. reſtantes.

Novi Teſtamenti Eccleſia nata & renata. Hab. Vigilia Nativ. Chriſti. 1677.

De Antichriſtianis in Eccleſiam Reformatam machinis, conſiliis & graſſationibus. Paraſceve Paſchatis. 1687.

De Eccleſiæ Orthodoxæ in utraque India plantatione & propagatione. Vigilia Nat. Chriſti. 1694.

De Prærogativis Theologiæ Reformatæ præ Pontificia. In auſpiciis Profeſſionis Theologicæ. d. 10. Febr. 1698.

Oratio, qua Donum Prophetiæ in N. T. extraordinarium, adeoque minime commune eſſe evincitur. Encæniis Tigurinis. 1700.

De extremis Beſtiæ morientis conatibus. Feria Caroli. 1706.

De beata Conditione Fidelium à Chriſto adhuc peregrinantium & ſub Chriſto militantium, ex eorum cum Beatis in cœlo cum Chriſto triumphantibus comparatione & arcta cum his tum Unione tum Communione illuſtrata. Feria Caroli. 1726.

III. J. C. I.

III.

J. C. I.

CONJECTURA

In locum Dialogi de Cauſis corruptæ Eloquentiæ.

IN Dialogo de *Cauſis corruptæ Eloquentiæ*, qui à multis Cornelio Tacito, ab aliis Quintiliano tribuitur, melius fortaſſe incerti auctoris, quanquam ex meliore ævo, eſſe diceretur, ſermo quidam exſtat *M. Apri* alterius colloquentium, valde elegans, de præclaro laudis atque voluptatis fructu, quem extemporalis facundia afferre Oratori apta eſt; verum in certo loco ita obſcurus, vel potius tam aperte corruptus, ut nullo pacto intelligi, atque explicari queat. Verba ſunt Cap. 6. & 7. " Sed extemporalis audaciæ atque ipſius temeritatis vel præcipua jucunditas eſt. Nam ingenio " quoque, ſicut in agro, quamquam alia diu ferantur atque elaborentur, gratiora tamen quæ ſua ſponte naſcuntur. Equidem ut de me ipſe fatear, non " cum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus eſt, vel quo homo novus & in civitate minime favorabili natus, quæſturam, aut tribunatum, " aut præturam accepi; quam eos, quibus mihi pro " mediocritate hujus quantulæcumque in dicendo facultatis, aut reum proſpere defendere, aut apud " centumviros cauſſam aliquam feliciter orare, aut " apud principem ipſos illos libertos & procuratores " principum tueri & defendere datur. Tum mihi ſupra tribunatus & præturas & conſulatus adſcendere " videor, tum abire: quod ſi non in alio oritur nec " in codicillis datur, *nec cum gratia venit.* ,, Heic, ut opinor,

opinor, facile videt Lector, cum reliqua plana & aperta ſint, hæc certe verba: *Tum abire; quod ſi non in alio oritur*, minime continere ſenſum idoneum, & in vitio absque ullo dubio cubare. Nequaquam igitur admirandum, quando præſertim vetuſti codices nihil plane heic quidem adjuvant, variis conjecturis doctiſſimorum Virorum locum tentatum eſſe; verum ita, ut vix quisquam ipſi ſibi, nedum aliis, in eo reſtituendo ſatisfaceret. *Rodolphus Agricola* de prioribus ſaltem verbis ſollicitus, conjiciebat: *tum ſupra me abire. Douza ad Petron.* pariter iisdem tantum inhærens: *tum in cælum abire. Julius Salinerius* absque ulla mutatione ſatis habuit illud *tum abire* in ejuſmodi ſententiam accipere, ut idem ſit, ac: *tum vero mihi præ gaudio terras relinquere, tum ſublimi ſidera vertice ferire videor. Petrus Pithœus* ſentiens neceſſarium eſſe, etiam de afferenda ſequentibus verbis medicina cogitare, legebat: *tum habere quod non in alvo oritur. Lipſius* negans Pithœanam lectionem intelligi poſſe, ſimul ſubdubitat annon fortaſſis reſcribere Vir Cl. voluerit, *quod non in albo oritur*, ut jus ac formulas Prætorum iſto vocabulo deſignans Aper aliqua cum gloriatione infitietur, ſuam illam, quam jactat, laudem inde enaſci, vel etiam cum quantocunque Præturæ ſplendore in comparationem venire poſſe. At ipſe pro ſe *Juſtus Lipſius* potius conjectabat: *tum habere, quod ſcilicet non in atrio oritur. Muretus* in prioribus Pithœo & Lipſio conſentiebat: *tum habere*, ceterum vero ulterius haud eſt progreſſus. *Valens Acidalius* totum locum ita refingit: *tum habere quod non in tabulis diribitur. Hermannus Rhabodus Schelius, tum habere, quod non in alios congeritur* vel *confertur. Joh. Freinshemius: tum habere, quod ſi non in animo oritur, nec in codicillis datur, nec cum gratia venit.* Denique Joh. Clericus *Bibliothecæ Antiquæ & Novæ* Gallico ſermone editæ *Tom. XV. Part. I. p. 100. tum habere, quod non in alieno oritur, nec in codicillis datur &c.*

Quæ

Quæ in ſingulis iſtarum emendationum ſive conjecturarum deſiderari poſſint, nimis operoſum foret in medium hoc loco proponere. Petet, qui volet, ex ipſis Virorum Clariſſimorum ſemet invicem refutanium commentariis. Nobis mentem ac ſententiam Apri unice conſiderantibus in præſentiarum ſatis eſt obſervare, duo illum omnino velle, & his, qui ipſum audiebant, inculcatum ire: 1. Seſe, cauſa qualibet graviore feliciter perorata, & in judicio, vel apud Principem, victa atque obtenta, quod in ſe quidem potiſſimum naturali cuidam ingenii præſtantiæ pariter atque extemporali, qua pollebat, facundiæ attribui volebat, longe ſupra Tribunatus & Præturas & Conſulatus ſibi adſcendere videri. 2. Hujus ſuæ lætitiæ atque exſultationis cauſam juſtam atque idoneam eſſe, quod omnibus cunctis liqueat, ſeſe eximiis quibusdam ingenii ac facundiæ dotibus pollere, planeque ejuſmodi quid in ſe ineſſe, quod non favore ac beneficio Principis *per codicillos detur*, quibus videlicet uſos perſæpe Principes conſtat ad honores iis, quos diligebant, impertiendos, neque quod *gratia* Populi aut Senatus *acquiratur*, per quos pariter adhuc illa tempeſtate ad nonnullas insignes dignitates aditus patebat; verum è contrario, quod plane ſuum ac proprium ſit, &, niſi in ipſo homine naſcatur atque exſiſtat, fruſtra optetur exſpecteturque.

Audeo affirmare, quo quisque attentius locum perlegerit, atque expenderit, hoc manifeſtius intellecturum, iſtam eſſe intimam atque ipſiſſimam *M. Apri* mentem, neque adeo verba illa, *tum abire, quod ſi non in alio* ... *tur*, quibus medicinam afferre tanto ſtudio Viri docti laborarunt, alium in ſenſum refingi aut emendari debere, quam qui à me dictis reſpondeat.

Jam cum porro de hujuſmodi emendatione atque restitutione etiam ipſe pro hac mea tenui exiguaque parte incipio cogitare, illud primum adnoto, atque

adeo pro certo pono, in quo cuncti fere interpretes conſentiunt, *ἀντὶ τοῦ abire*, quod cum ſequentibus nullo pacto cohæret, legendum eſſe, *habere*. Deinde quod ad ſequentium verborum ſenſum attinet, proxime ſcopum collineaſſe Cl. Freinshemium legentem: *Quod ſi non in animo oritur.* Ceteri profecto, qui particulam *ſi* extrudunt, ſatis refutantur veterum Codicum atque editionum in ea retinenda conſenſu; præſertim quod ægre poteſt intelligi, quali aberratione vel ſomnolentia amanuenſium ea irrepere in textum potuerit, ſi non initio ſtatim ab ipſo auctore fuit poſita. Quod nimirum probe ſentiens *Lipſius*, cum & ipſe pariter ac *Pithœus* & reliqui, tollere oppoſitionem ex textu cuperet, mutare conatus eſt in *ſcilicet*, verum ita ut facile appareat, neque ad ſenſum neceſſariam eſſe iſto quidem loco voculam hancce, neque etiam quidquam habere elegantiæ aut venuſtatis, tantumque ita reſcribi, quia nihil idoneum excogitari potuit, cur tam conſtanter omnes hodie Codices *ſi* præferant.

Supereſt, ut meam igitur conjecturam proponam. Ea vero ita eſt comparata, ut immutata voce *alio*, quæ prorſus ab hoc loco aliena eſt, atque idcirco à cunctis ſine exceptione Interpretibus rejicitur, levi duarum litterularum additione illam ſententiam planiſſime nobis exhibeat, quam exprimere *M. Aprum* voluiſſe certum eſt. Nimirum lego: *tum mihi ſupra Tribunatus & Præturas & Conſulatus adſcendere videor, tum habere, quod ſi non in aliquo oritur, neque codicillo datur nec cum gratia venit.* Sive de ſcripto exemplari propagatum Codicem eſſe ſtatuimus, in quem primum error irrepſit, facilis & lapſus, ac minime rarus, amanuenſi haud ſatis attento, ex *aliquo* facere *alio*. Sive quod initiis præſertim editionum veterum, quando libri neceſſario manu exarabantur, frequentiſſime accidit, recitante ac dictante de ſcripto uno aliquo Lectore, plures ſimul Scribas, quanta quisque celeritate potuit, verba auctoris

ıuctoris litteris & chartis excepiſſe arbitramur, haud
minus proclive pro *aliquo* arripere *alio*; ut hac quidem
ın parte ampliore probatione minime opus ſit. Jam
quod ad ſenſum attinet, trita eſt ſatis, nec minus pu-
ra ac terſa locutio antiquis, ut, quoties hominem quem-
cunque generatim deſignare, nomine haud adjecto,
volunt, *aliquem* ponant. Ita *Cicero pro P. Sulla. Cap. 13.*
Sed ego in judiciis & in quæſtionibus non hoc quærendum arbi-
ror, num purgetur ALIQUIS: ſed num arguatur? Et paul-
o poſt Cap. ſequenti: *Vidi ego hoc Judices, - - - - fore*
ıt aliquando non Torquatus, nec Torquati quiſpiam ſimilis
(nam id me multum fefellit:) ſed ut ALIQUIS patrimonio
ıaufragus, inimicus otii, bonorum hoſtis aliter indicata hæc
eſſe diceret &c. Facile eſt, vel ſexcenta exempla ſimi-
ia congerere, ex omni auctorum genere. De ſenſu
ıihil opus, ut verbum addam. Si quem tam hunc
ocum ſpeciatim, quam integrum *M. Apri* ſermonem
ıon piguerit accurate conſiderare, nullo modo ambi-
gere poterit, quin is iſtud unum voluerit, ideo ſe ſibi
n ſuis forenſibus victoriis tantopere placere, ideo ſu-
pra quaslibet ſplendidiſſimas dignitates tum videri ad-
ſcendere, quoniam clariſſimo experimento tam ipſe
ıpud ſe ſentiat, quam omni Populo comprobarit, ejuſ-
modi in ſe facultatem ineſſe, & quidem ad res quasvis
præclariſſimas perficiendas aptam atque idoneam, in
qua nihil prorſus alienum ſit, nihil caſui, fortunæ,
gratiæ debeatur, cujusque adeo laudem totam in ſo-
idum ad eum, qui illa polleat, referri oporteat, vi-
delicet partim naturæ bonitate ac felicitate ingenii, par-
im ſtudio, induſtria, exercitatione partam & conſum-
natam; verbo: *quæ niſi in ipſo homine oriatur, aliunde*
ccipi nullo pacto queat. Ceterum ne cui iſta *M. Apri* glo-
iatio forte mira atque inſolens videatur, in fine obi-
er adnoto, plenos eſſe veterum libros commemo-
atione plauſuum, honorum, laudum, quibus Orâ-
ores, gravium cauſarum victores, ab omni homi-

 num

num genere celebrari ornarique olim conſuevere: prorſus ut turbam eam, quæ talem à Foro domum revertentem proſequi ſolita eſt, pro immenſa quavis & innumerabili multitudine *Martialis* poſuerit, *Ep. L. II. ep. 74.* de M. Regulo ſcribens, inſigni ſuæ ætatis cauſſidico, quem & alicubi Ciceroni comparat, licet aliis & Plinio juniori, ſaltem ob mores, haudquaquam valde probatum hominem. Verſus Martialis hi ſunt:

Quanta reduci Regulus ſolet turba,
Ad alta, tonſum, Templa cum reum miſit.

T A N T U M.

IV.
DISSERTATIO EXEGETICA

Ad locum PAULI
Ad EPHES. C. II. comm. 1, 2.

Auctore
JACOBO BRUCKERO,
V. D. M. Acad. Scient. Berol. Socio.

§. I.

D. Paulum oriundum Tarſo, ubi elegantiſſimarum ſcientiarum, & Philoſophiæ quoque cultura maxime floruit (*a*), in Græcanica Philoſophia ceteraque eruditione Græcorum admodum excel-

(*a*) Tarſi Philoſophiam adeo floruiſſe, ut Athenis æmula non minorem inde gloriam conſequeretur, teſtis eſt STRABO

xcelluiſſe, multi quidem ſunt, qui ſibi perſuadent, ihil tamen afferunt, quod nos ſententiæ huic polli- em premere cogat. (*b*) Illud tamen nemo negabit, anctum Apoſtolum ad Seculi ſui ſtatum & conditio- em attentum, non ad mores tantum temporis ſui que conſuetudines reſpexiſſe in ſuis epiſtolis; ſed ræcipue quoque ad doctrinas inter Judæos & Genti- s tum maxime receptas animum intendiſſe. Uti enim ræcanica Philoſophia tum temporis in Ægypto, Sy- a, atque Aſia fuit florentiſſima, ita inter Judæos uoque, ſi non Palæſtinæ incolas, certe illos, qui in- r Græcos habitabant, eam viguiſſe, alibi (*c*) nobis emonſtratum eſt atque evictum. Præcipue vero il- d Philoſophiæ genus, quod Alexandriam in Ægypto atriam habuit, & à Platonis auctoritate, quam potiſſi- um ſequebatur, Platonicum dictum fuit, aſcito cir- Sec. II. finem Eclecticorum nomine, ſæpe reſpexiſſe nctum Gentilium Apoſtolum, non uno exemplo in piſtolis ejus occurrente demonſtrari poteſt, & nos lim luculento teſtimonio confecimus. (*d*) Nec mi- ndum quidem illud eſt. Uti enim hoc Philoſophiæ enus, quod miram ſententiarum abſurdiſſimarum olluviem ſplendido eclecticæ Philoſophiæ titulo & cie continebat, ex Ægypto per Syriam & Aſiam ſe axime diffudit (*e*); ita multum quoque cauſæ erat Apoſto-

STRABO *L. XIV. p. 673.* & celeberrimi Viri inde orti ſatis evincunt, quos nominat doctiſſima induſtria Cel. HEUMANNI *Act. Phil. Vol. III. p. 141.* Conf. quæ diximus in *Hiſt. Philoſ. T. III. p. 1067.* (*b*) Confectum, niſi fallimur, luculenter in *Hiſt. Philoſ. T. IV. p. 983. ſqq.* (*c*) *ibid. p. 46. ſqq.* (*d*) in *otio Vindel. Mel. I. p. 41. ſeqq.* (*e*) Hoc vel ſolas EUNAPII *Vitas Sophiſtarum* legenti conſtabit; addenda, quæ fuſe de hac Secta diximus in *Hiſt. Phil. T. III. p. 427. ſqq.*

Apoſtolo, qui ad harum regionum Eccleſias ſcribebat, ut vigilaret, ne quis eas ſit συλαγωγῶν, διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων καὶ τὰ ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου, ut ipſe diſerte teſtatur *Col. II. 8.* Et hinc ratio petenda eſt, cur mox ad erronea hujus Sectæ dogmata refellendo reſpiciat, mox ex conceſſis atque poſitis ab ea diſputet, eaque ad ſanctiſſimam Chriſtianæ fidei & divinæ revelationis normam emendet. Poſterioris generis exemplum luculentum jam porro nobis exponendum, luxque loco Paulino *Epheſ. II. 1, 2.* affundenda eſt. Non vero compilabimus Scripta Exegetarum & Interpretum, nec quæ Viri doctiſſimi & potentes in Scriptura ad eum affatim de ſtructura & ſenſu hujus textus dixere, repetemus, facile alibi quærenda, & plenis cyathis haurienda (*f*), ſed ea tantum afferemus, quæ ad placita Philoſophiæ Alexandrinæ prorſus reſpicere nobis videntur, indeque lucis aliquid fœnerantur. Illam enim philoſophandi methodum Epheſi quammaxime ſuos cultores habuiſſe, Philoſophiæ veteris ejusque fatorum peritum fugit neminem (*g*).

§. II. In

(*f*) Conſulenda hic potiſſimum præſtantiſſima eruditio Ven. JO. CHR. WOLFII, qui in *curis Philol. & Crit. in N. T.* libro optimæ frugis pleniſſimo, *ad h. l. Vol. III. p. 38.* per lancem ſaturam ea collegit, & eleganter digeſſit, quæ prolixe attulit præſtantiſſimorum Scripturæ Interpretum diligentia.

(*g*) A priſco jam tempore Philoſophiam Epheſi viguiſſe, exemplum Heracliti nos dubitare non ſinit, qui dum librum ſuum de natura in archivis templi Dianæ ſecretum repoſuit, vid. LAERT. *L. IX. S. 6.* & MENAGIUS *ad h. l.* luculenter, quo loco ſuo jam tempore Philoſophia apud Epheſios habita ſit, docet. Philoſophiæ vero eclecticæ ſtudium apud Epheſios floruiſſe, Maximi Philoſophi

§. II.

In eo vero eſt ſacro inſtinctu actus divinus Scriptor, ut ſtatum converſionis Epheſiorum laudibus deprædicet, & quantis per Jeſum Chriſtum, Dei Filium, Mediatorem, miſeriis erepti ſint, quantis beneficiis mactati, exponat, validiſſimum inde argumentum ducturus, quo ad ſanctam in fide conſtantiam nullis afflictionum procellis turbatam excitarentur. Incipit itaque miſerrimum, in quo ante ſuam converſionem conſtituti erant, ſtatum vivis coloribus depingere, & in memoriam revocare, tum quæ ipſorum conditio ſub poteſtate infernalis genii fuerit, tum quæ corruptiſſima vivendi ratio cæcis cupiditatibus & præjudiciis turpiſſimis ducta. Sinamus hoc, aliis expendendum, & ad illud potiſſimum reſpiciamus, in quo D. Apoſtolum ad receptas tum temporis Judæorum pariter atque Gentilium, maxime Philoſophorum, ſententias digitum intendere, & ex conceſſis, ut eo magis conſtringat, diſputare putamus. Ita vero: Καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς τοῖς παρα-

ſophii exemplo conſtat, qui cum fratribus Claudiano & Nymphidiano præter elegantes literas Eclecticam ibi quoque Philoſophiam edoctus magnam ſibi nominis celebritatem & Juliani quoque Imperatoris venerationem, fata vero non minus dura & aſpera ſibi conciliavit. Prolixe ſatis ex Veteribus ejus res enarravimus *Hiſt. Phil. T. III. p. 700. ſqq.* Nemo vero inter Philoſophos Epheſi commorantes majori jure nominari meretur, Apollonio Tyaneo. Celeberrimus n. hic philoſophus id potiſſimum eo tempore, quo divus Paulus hæc ſcribebat, egit, ut diſciplinam Pythagoricam reſtauraret. Eo vero, teſte PHILOSTRATO haud ſemel Epheſi degente & longas moras nectente, *vid. l. I. c. 16. p. 19. l. IV. c. 1. p. 366. ſeqq.* facile inde concipi poteſt, modum quoque Pythagoricum cum diſcipulis apoſtatis agendi, doctrinaſque Pythagorico-Platonicas ibi non fuiſſe ignotas.

παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις, ἐν αἷς ποτε περιεπατήσατε κατὰ τὸν αἰῶνα τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ, κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξȣσίας τȣ̃ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. *Vos quoque, prævaricationibus & peccatis mortui ambulaviſtis in iis ſecundum ſeculum hujus mundi, ſecundum Principem poteſtatis aëreæ, Spiritum nempe, qui nunc quoque efficaciter operatur in filiis incredulitatis.* Delineat his verbis Paulus tum rationem conditionis Epheſiorum ante converſionem in genere, tum in ſpecie infauſto vivendi principio, quo agebantur & ducebantur, luculenter expreſſo. Primum illud vocat ſtatum *mortuorum in peccatis & transgreſſionibus.* Significationem verborum impropriam eſſe, nemo non videt: nec repugnamus, primario reſpexiſſe Sanctum Gentium Doctorem ad ſignificationem verborum: *vivus & mortuus*, in Scr. S. potiſſimum occurrentem, quo is *mortuus peccato* dicitur, tum qui omni ſpiritualis operationis efficacia deſtitutus ineptus totus eſt & incapax illius virtutis divinæ, in omnia alia diſcedens, & ſceleribus ſe mancipans; tum qui propter transgreſſiones & prævaricationes contra legem divinam morti à divina juſtitia addictus eſt, & ſeparatus à ſpe vitæ æternæ (*h*). Nec ignota quoque Judæorum magiſtris hæc phraſis, ex quibus R. ELIEZER in *Chetubh. fol. 3. col. 2.* עמי ארצות אינן חיים *Populi terrarum*, i. e. gentiles *non ſunt viventes:* & R. JER. BEN ABBA in *Sanhedr. fol. 92. col. 6. Oſſa Ezechielis arida ſunt filii hominum, in quibus* שאין לחלוהית המצוה *non eſt humiditas præcepti* (*i*). Erat tamen Apoſtolo res, non cum Judæis ſolum inter gentiles viventibus, ſeque eorum moribus, atque haud raro placitis quoque attemperantibus; ſed cum gentilibus quoque, à Doctoribus ſuis ſeductis, ad quorum dogmata perverſiſſima reſpicere

(*h*) Conf. B. GLASSIUS *Philol. S. l. V. tr. I. c. 12. p. m. 1807.*

(*i*) apud LIGHTFOOTUM *Hor. Hebr. ad Jo. V. 25. Opp. T. II. p. 623.*

cere videtur Paulus, ubi verſu ſequenti Epheſios ait feciſſe τὰ θελήματα τῶν διανοιῶν, ea, *quæ ſeducta in errores cogitationes & præjudicia imperabant.* Hic ſtatus maledictionis & impotentiæ ſpiritualis, quem ſupra tetigimus, clara quadam in re magni momenti voce, Epheſiis ſatis jam intellecta, erat delineandus. Utitur vero non alio, niſi emblemate mortis, dum eos in transgreſſionibus & peccatis mortuos habitos fuiſſe monet: cognita itaque ipſis hæc ſignificatio mortis impropria fuerit, neceſſe eſt. Unde vero hanc ſignificationem ſumſerit, inter Veteris Eccleſiæ Doctores oſtendet CLEMENS ALEXANDRINUS, patriæ Philoſophiæ peritiſſimus, qui alicubi (*k*): ἐν τῇ βαρβάρῳ φιλοσοφίᾳ νεκροὺς καλοῦσι τοὺς ἐκπεσοῦντας τῶν δογμάτων, καὶ καθυποτάξαντες τὸν νοῦν τοῖς πάθεσι τοῖς ψυχικοῖς. *In Barbarica Philoſophia vocant mortuos eos, qui exciderunt dogmatibus, & mentem ſubjecerunt animæ perturbationibus.* Ubi per barbaricam Philoſophiam Pythagoream intelligit, extra Græciam in Italia olim florentem, & à multis Veterum inter barbarica philoſophandi genera relatam. Narraverat enim Doctor Alexandrinus, quod & alibi (*l*) notatum legimus, Hipparchum Pythagoreum accuſatum, quod aperte ſcripſiſſet decreta Pythagoræ, expulſum fuiſſe ex ſchola, & ob id ipſum tanquam mortuo poſitam ei columnam fuiſſe. Cujus moris rationem luculentius nobis pandit JAMBLICHUS, qui in *vita Pythagoræ* (*m*) hæc habet: εἰ δ' ἀποδοκιμασθεῖησαν, τὴν μὲν οὐσίαν ἐλάμβανον διπλῆν, μνῆμα δὲ αὐτοῖς ὡς νεκροῖς ἐχώννυτο ὑπὸ τῶν ὁμακόων - - συντυγχάνοντες δὲ αὐτοῖς οὕτω συνετύγχανον, ὡς ἄλλοις τισίν. ἐκείνους δὲ ἔφασαν τεθνάναι, οὓς αὐτοὶ ἀνεπλάσαντο, καλοὺς καγαθοὺς προσ-

(*k*) *Stromat. l. V. p. m. 574. ſeqq.* (*l*) JAMBLICHUS *de Vita Pythag. c. XXXIV. n. 246. 247. c. XVI. n. 74.* (*m*) *c. XVII. n. 73. p. 60.*

προσδοκῶντες ἔσεσθαι ἐκ τῶν μαθημάτων. Qui vero reji-ciebantur opum, quas contulerant, duplum recipiebant, iisque monumentum, tanquam mortuis, extruebatur ab homacoïs; qui ſi aliquando illis obviam facti fuiſſent, cum iis tanquam cum aliis quibusdam agebant, ipſos vero dictitabant mortuos, quos hac ſpe reformaverant, ut ope diſciplinarum in bonos honeſtosque viros evaderent (*n*). Eadem habet ORIGENES *contra Celſum* (*o*), qui vitam idioticam opponit Pythagoricæ, ſolutam libidine ſubactæ ad regulas ſapientiæ. Ex quibus manifeſtum eſt, duplici nomine mortuos dictos fuiſſe, qui diſciplina Pythagorica deſertione mala fide, & corruptis moribus exciderant, nempe propter extinctam in ipſorum animis ſapientiæ & virtutis diſciplinam, & propter deletum inter ſocios nomen, ſublatamque accedendi Magiſtrum & audiendi poteſtatem, & ejectum ex numero Homacoiῶν ſocium. Quod ut ignotum eo tempore eſſe non potuit, quo Apollonius maxime Tyaneus Epheſii Pythagorica vitæ & philoſophandi inſtituta renovabat, ita non ineptum erat ad illum adumbrandum ſtatum, in quo Epheſii ante ſuam ad Deum converſionem verſabantur. Erat enim lux omnis ſapientiæ in illis extincta, & delati ad cupiditates animi, unde & nomen inter ſodales & amicos Dei deletum, & ejecti ipſi è numero cœtus divini, excluſi à gratia accedendi Deum, athei in hoc mundo, & ita ſenſu hoc duplici revera mortui. Ita enim in ſequentibus Apoſtolus conditionem eorum luculenter depinxit, ut dubii eſſe nequeamus, ad hanc potiſſimum à ſocietate excluſionem eum reſpexiſſe, quando *comm. 12.* ait, *ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς χριστοῦ, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες*

καὶ

(*n*) conf. SCHEFFER *de Phil. Ital. c. 12. p. 124. Hiſtoria de ideis, Sect. I. §. 23. p. 124. Hiſt. Philoſ. T. II. p. 89.*
(*o*) *l. II. p. m. 68.* ed. Hœſchel.

αἰ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ, in quibus verbis magnam cum
iſciplina Pythagorica convenientiam veteris Philoſo-
hiæ non ignarus facile deprehendit. Capiebant hoc
icile Epheſii, præſertim οἱ ὄντες μακρὰν, id eſt, genti-
:s, vel ut Pythagorica phraſi utar exoterici quaſi;
uibus illud novis & purgatis luminibus pateſcebat,
uod obſcure & per umbram ſaltem balbutiverant Phi-
oſophi, laſcivientes cupiditatibus extorres eſſe à vita,
:veraque habendos mortuos. Secuti ſunt hanc lo-
uendi rationem veteres Chriſtiani, ad quorum diſ-
plinam Eccleſiaſticam, modumque ejiciendi è cœtu
cro & pro mortuis habendi ſceleratos ORIGENES
ythagorea hæc inſtituta adplicuit, quando inter alia
a: (*p*) Καὶ τὸ μὲν τῶν Πυθαγαρείων σεμνὸν διδασκάλειον
νοτάφια τῶν ἀποςάντων τῆς σφῶν φιλοσοφίας κατεσκεύα-
λογιζόμενον, νεκροὺς αὐτοὺς γεγονέναι, καὶ οὗτοι δὲ ὡς ἀ-
λωλότας καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ὑπ' ἀσελγείας ἢ
ιες ἀτόπου νενικημένους ὡς νεκροὺς πενθοῦσι. *Pythagoreo-
m veneranda Schola ponebat Cenotaphia diſciplinæ ſuæ deſer-
ibus, nimirum quod haberent eos pro mortuis: hi vero, ut
erditos Deoque mortuos lugent eos, qui libidine aliove malo
ti fuerint* (*q*).

§. III.

Progreditur divinus Doctor, & infelicem Epheſio-
m conditionem à principio, à quo prius regeban-
:, deſcripturus, ait porro, *eos ambulaviſſe ſecundum
ulum hujus mundi.* Varia hic eſt Interpretum vocis
ὼν explicatio, cui enarrandæ non inhærebimus. Di-
nus potius, quod nobis in mentem venit, Paulum
: ad placita Platonicæ Scholæ inter Ægyptios & Aſia-
E ticos

(*p*) *contra Celſ. l. III. p. m. 14.* (*q*) Paria reperiuntur apud alios quoque, vide PHILONEM *Allegoriar. l. I.* quosque nominat Rev. WOLFIUS *ad h. l. Cur. exeg. T. III. p. 39.*

ticos vigentis reſpicientem conſiderantes. Deſcribit nempe Apoſtolus poſt generalem miſeriæ Epheſiorum delineationem, eam quoque ſpecialiter magis, oſtendendo, tum cujus imperio, ductu & impulſu, tum qua ratione modoque vitam turpiſſimam egerint. Prius commate ſecundo accurate perſequitur, inque eo totus eſt, ut oſtendat, malum genium peccati omnis malarumque cogitationum, ratiociniorum corruptorum, & pravarum cupiditatum auctorem fontemque iis fuiſſe, unde tota illa malorum ſeries ad ipſos dimanaverit. Hæc quilibet textum accurate intuitus capit & intelligit. Referenda itaque deſcriptio tota ad infernalium poteſtatum principem, & diſquirendum, quo ſenſu is dicatur αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου. Ubi in poſterioribus verbis obſcuritas nulla eſt, attendenti, per *mundum hunc* hominum perditorum, & ad ſpiritualem vitam non revocatorum turbam intelligi. Redit itaque difficultas omnis eo, quo ſenſu quave ratione Diabolus dicatur αἰὼν, *ſeculum*? Evaneſcet tamen omnis illa, ſi meminerimus, non apud Philoſophos tantum, qui ex Ægyptiaca Platonicorum Schola orti ſunt, ſed apud Eccleſiæ quoque Doctores, horum philoſophorum placita ſuo modo ſequentes, vocem αἰὼν ſignificare ſubſtantiam intellectualem, immortalem, temporisque ex mutatione ſucceſſivi expertem. Amplus ſe hic nobis aperiret campus, per ſcripta Platonicorum & Platonizantium Eccleſiæ Patrum exſpatiari, & hanc vocis αἰὼν ſignificationem probare, niſi hic nobis otium feciſſet præſtantiſſima celeberrimi BEAUSOBRII eruditio, qui in doctiſſima *Hiſtoria Manichæiſmi* id tam erudite, tamque luculenter confecit, ut malimus cupidum lectorem eo remittere, ubi lautiſſimis eruditionis dapibus ſatiatus abibit, quam parvo jentaculo appoſito eſurientem dimittere famelicum. Ne tamen ſine Symbolo abeamus, id potiſſimum, quod è re noſtra eſſe putamus, & à celeberrimo

imo Viro prætermiſſum eſt, hic notari bene volumus. Platonicos recentiores, ut nugis ingenii ſupra modum ſubtiles & acuti fuerunt, ita in deſcribendis naturis per ſe & ſine omni mutationum materialium viciſſitudine perſiſtentibus curioſiſſimos, ζοῦ αἰῶνος conſiderationem, quæ omnes partium viciſſitudines excludit, ad eſſentiam abſolute primam, ipſamque naturam intelligibilem, infinitam, tum & ad reliqua intelligibilia extendiſſe, ſicut ens intelligibile, ejusque tota ſimul atque perfecta veritatis & vitæ poſſeſſio ſine ulla partium mutatione per vocem αἰὼν intelligatur. Rem in Platonicorum ſcriptis paſſim obviam nemo majori ſubtilitate expoſuit PLOTINO, qui *Enneade tertia* in eo totus eſt, ut doctrinam περὶ αἰῶνος καὶ χρόνου illuſtret, (obſcuret verius dixeris, ita nimiam ſubtilitatem & frigidum acumen venatur;) ex cujus tractatione ratio demi poteſt manifeſta, cur Veteres Hæretici, Gnoſtici, Valentiniani, Manichæi, cur Veteres Theologi cætera orthodoxi, ſed in Scholis Platonicis inſtituti, Clemens Alexandrinus, Origenes, Syneſius & alii (r), ſubſtantias non tantum intellectuales, ſed & ipſum Deum, & ſanctiſſimas Trinitatis perſonas, quasve alias comminiſcebantur divinas emanationes, voce αἰώνων deſignaverint. Immo, ſi vel hunc locum noſtrum expias, alio non obſcuro in ipſa Scriptura S. per αἰῶνας intelligentiæ ſpirituales indigitantur, Paulo ad Hebræos, C. I. c. 2. ſcribente: *per filium Dei condita etiam ſecula*, τοὺς αἰῶνας; ubi ſi per ſecula Angelos intelligamus, locus optime & clariſſime cohæret, alias obſcurus ſatis, ut vix dicere liceat, quid per αἰῶνας intelligi debeat?

(r) Prolixe exponentem Videſis BEAUSOBRIUM *l. c. p. 574.* quocum conferendi SUICERUS *in Theſ. T. I. p. 141.* & PETAVIUS *Dogm. Theol. l. III. c. 5. §. 6. ſeqq.*

beat? unde & eruditiſſimis Viris hæc interpretatio arriſit, quos nominat Ven. WOLFIUS, quibus jure meritoque addimus Celeberrimos Viros FABRICIUM (s) & BEAUSOBRIUM. His rite perpenſis, veroſimile admodum videtur, Paulum, qui Principis infernalis in ſeducendis & gubernandis irregenitis potentiam & operationem deſcribere volebat, per αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου ſpiritum hujus mundi τὸν κοσμοκράτορα intellexiſſe; nam mox illum latius depingit, inque eo totus eſt, ut ex deteſtanda imagine auctoris vitæ Epheſiorum anteactæ horrorem illis injiciat, ſicque ad conſiderandam magnitudinem gratiæ divinæ in converſione ſe manifeſtantis eos eo fortius adducat. Egregie quoque omnia ſic cohærent, nec ad ſignificationes improprias & interpretationes duras vocis αἰὼν confugiendum eſt. Unde miramur, hanc interpretationem B. HIERONYMO *ad h. l.* jam dictam, prætermiſſam fuiſſe plerisque Interpretibus, ut vel ex congeſtis à POLO & WOLFIO *ad h. l.* videre eſt; Rectiſſime itaque celeberrimus BEAUSOBRIUS (u) hanc vocis αἰὼν ſignificationem alteri, quæ morem & conſuetudinem ſeculi interpretatur, quamque alibi (x) ſecutus fuerat, prætulit, uti poſtea obſervavimus, cum hæc jam meditati eſſemus.

§. IV.

Propius vero porro deſcribit Paulus malum hunc & infernalem genium, quo potiſſimum auctore Epheſii in ſupremæ corruptionis & miſeriæ ſtatum detruſi ſunt, dum eum vocat τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος. *Principem ſ. Rectorem poteſtatis aëris.* Ubi iterum in diverſas ſententias abierunt Interpretes, quid potiſſimum his verbis indicare voluerit Apoſtolus (y) ad tot

(s) *Cod. Apocryph. N. T. T. I. p. 710.* (t) *l. c. p. 575.* (u) *ibid.* (x) in *Not. ad h. l.* Verſ. Gallicæ additus *T. II. p. 431.* (y) Ven. WOLF. *ad h. l.*

tot ſententiarum divortia non diſceſſuri, ſi, quod initio monuimus, ad id attendiſſent, Apoſtolum ad receptas tum temporis inter Epheſios ſententias reſpexiſſe. Quod ut manifeſtum fiat, obſervamus, vocem ἐξουσίας hic aperte Magiſtratum, Potentiamve quandam imperio conſpicuam innuere. Nec inſolitum eſt & Scripturæ S. atque Judæis, & huic ipſi, ad quam ſuo modo reſpexiſſe putamus, Platonicæ catervæ, ſpiritus non bonôs modo, ſed & malos, poteſtatum, Principatuum, Magiſtratuumque nomine appellare. Illius luculentus teſtis eſto ipſe D. Paulus, qui *Rom. VIII. 38.* Πέπεισμαι γὰρ ὅτι οὔτε θάνατος οὔτε ζωὴ, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ οὔτε δυνάμεις - - δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ Κυρίῳ ἡμῶν. In quibus verbis de Potentiis ſpiritualibus & Magiſtratibus inviſibilibus ſermonem eſſe, vel ipſa addita vox Angelus ſatis evincet; boni vero Spiritus intelligi nequeunt, quippe qui ab amore Dei in J. C. fideles ſeparare non contendunt, quod infernalis draconis, ex veteri Paradiſiaco odio opus eſt. Horum, Platonicorum, vero libri his ſignificationibus pleni ſunt, & videndus imprimis, qui in his rebus delineandis totus eſt, IAMBLICHUS *de myſteriis Ægyptiorum*: qui inter multa alia, ubi de Ægyptiorum Diis loquitur (z), hæc habet: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλη τις ἡγεμονία παρ' αὐτοῖς τῶν περὶ γένεσιν ὅλων Στοιχείων καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς δυνάμεων, τεττάρων δὲ θηλυκῶν μὲν ἀρσενικῶν, τεττάρων κ. τ. λ. *Eſt & alius Principatus* (Spirituum) *apud illos ſuper elementa tota in gene ratione poſita, virtutesque eorum, nam quatuor maſculæ totidemque femininæ ſunt.* Sed & reliqua legenda ſunt, quæ manifeſte docent, ex ſententia philoſophiæ Ægyptiæ, ſive Platonicæ recentioris, elementis, aëri, cœloque præſides & poteſtates ſive Magiſtratus ex ſpiritibus fuiſſe tributos. Et hos

E 3 Magi-

(z) *Sect. VIII. c. 2. p. 159.*

Magiſtratus vocat τοῦ ἀέρος, quod duplici nomine dixiſſe intelligi poteſt. Vel enim ad eam opinionem reſpicit, quæ ſtatuit, eos ſedem ſuam habere in aëre, ibique principatum atque poteſtatem ſuam exercere; vel eam tangit ſententiam, cui mali hi Spiritus aërii aliquid in ſe habere, ſuperioribus Potentiis natura ſua multum inferiores videntur. Utraque trita tum temporis inter Judæos & Gentiles Philoſophiæ Alexandrinæ alumnos doctrina, genios malos poſt lapſum ſuum in aërem tenebricoſum tanquam in carcerem detruſos, in illo, velut in tartaro, ſedem ſuam habere, & in aëre potiſſimum poteſtatem exercere; ipſo vero lapſu ſuo, à ſpiritualitate ſua plurimum receſſiſſe, craſſiorique involucro circumdatos materiales ſuo modo factos eſſe atque malos. Κυρίως enim hæc δόξα eſt, quæ ex Scholis Alexandrinis ad Judæos quoque digreſſa, multum negotii otioſis Cabbaliſtarum ingeniis fecit. Poteramus id latius docere, & adductis veterum ſuffragiis probare, niſi ſupervacaneum putaremus Spicilegium noſtrum poſt meſſem eruditiſſimorum Virorum, ELSNERI (*aa*), WINDETI (*bb*), PARCKERI (*cc*), CUDWORTHI (*dd*). Unum obſervatis ab his doctis Viris addimus, reſidentiam hanc in aëre tenebricoſo gravique angelis malis, ex Judæorum & Platonicorum juniorum ſententia, tanquam carcerem contigiſſe, & naturam ipſorum corruptam & à ſpirituali perfectione longe abhorrentem potiſſimum genuiſſe. Non in rem trahemus vel S. Petrum vel S. Judam, ad has potiſſimum ſententias alluſiſſe viſos, non ignari, quid ad iſta potiſ-

(*aa*) *Obſerv. SS. p. 206.* (*bb*) *de vita functorum ſtatu Sect. XIII. p. m. 248.* (*cc*) *in libro* rariſſimo *de deſcenſu Chriſti ad inferos l. II. §. 78. ſqq. p. 128. ſq.* (*dd*) *Syſtem. intellect. c. V. Sect. III. §. 38. p. 1093. ſqq.*

Potiſſimum loca moneant Viri eruditiſſimi (*ee*). Judæos vero & imprimis Cabbaliſtas Philoſophos teſtes eſſe volumus, qui angelis damni, perditionis, vel mortis habitationem atque ſedem aſſignant ſub luna in regione aëris maxime ſeptentrionali, quod adductis Doctorum Judæorum teſtimoniis evicit EISENMENGERUS (*ff*), & nos alibi demonſtravimus (*gg*). Immo Cabbaliſtæ altius rem exorſi & Syſtemati emanativo propius inſiſtentes, in mundo Aſiahtico i. e. in aëre collocant Spiritus materiales, præputium ſerpentis, poteſtates malitiæ, quos cortices emanationis divinæ vocant, & multa de malitioſa eorum operatione garriunt. Quod qui latius cognoſcere cupit, ex R. ABR. COHEN IRIRÆ *Pneumatica Cabballiſtica* (*hh*) plenis cyathis haurire poteſt. Inter gentiles philoſophos, ut haud uni placuit (*ii*), aërem eſſe Dæmonum plenum, ita ſchola potiſſimum Platonica, de qua hactenus loquimur, multa de Spiritibus aëreis dixit, atque docuit, dæmones materiales in aëre variis modis ſe manifeſtare contendens. Tangunt hanc opinionem *Oracula Zoroaſtris* ab his hominibus profecta, quæ *Sect. XI.* (*kk*)

E 4 Πῦρ

(*ee*) Audiendus imprimis Ven. MOSHEMIUS *ad l. c.* CUDWORTHI. (*ff*) in *Judaiſmo detecto P. I. c. 18. p. 820. ſqq.* (*gg*) in *Hiſt. Phil. T. IV. p. 541. 577.* (*hh*) in *Cabb. denud. T. II. P. III. tr. I. p. 188. ſq.* Conf. *Hiſt. Phil. l. c. p. 874. ſqq.* (*ii*) Oſtendimus id de Chaldæis *Hiſt. Phil. T. I. p. 115.* de Thalete *ib. p. 360*, de Stoicis *ib. p. 1025.* de Pythagoreis & Empedocle *T. II. p. 156. 162. 224.* de Democrito *ib. p. 368. 386.* de Heraclito *ib. p. 425. 434.* nec doctrina de anima mundi aliud patitur. conf. CUDWORTH *l. c.* WINDET. *l. c.* Cel. FABRICIUS ad *Sextum l. IX. p. 571*, EUGUBINUS *de perenni Philoſophia l VIII. c. 27.* (*kk*) ap. STANLEIUM *Hiſt. Phil. P. XIII. p. 1191.*

Πῦρ ἴκελον σκιρτηδὸν ἐπ' ἠέρος οἶδμα τιταίνων
Ἢ καὶ πυρ ἀτύπωτον, ὅθεν φωνὴν προθέουσαν
Ἢ φῶς πλούσιον, ἀμφιφαὲς ῥοιζαῖον ἑλιχθέν. κ. τ. λ.

Ignem ſimilem ſaltuatim in aëris fluctum extendens,
Vel etiam ignem ſine figura, atque hinc vocem emanantem
Aut lumen dives, circumquaque radians, ſtreperum, convolutum.

Loquitur carmen ſacrum de apparitionibus dæmonum in aëre, (quales in ſacris quoque Eleuſiniis fieri jactabant;) quos vocat τὰ κακῆς ὕλης βλάσματα, *malæ materiæ germina.* Eos JAMBLICHUS (*ll*) ſtrenuus Theurgiæ artifex definit, δαιμόνων γένος τι ἀπατηλῆς φύσεως, παντόμορφόν τε καὶ πολύτροπον αἰτιωμένη τῆς μαντείας ὑποκρινόμενον Θεοὺς καὶ δαίμονας καὶ ψυχὰς τῶν τεθνηκότων, *dæmonum genus quoddam deceptorium, multiforme, quod ſpecies Deorum & animarum poſt mortem mentiatur:* quos & ἀντιθέους vocari, in ſequentibus monet. Clarius vero adhuc de his dæmonibus malis, aëriis & materialibus, ex hujus ſcholæ placitis differit PSELLUS, qui Marci ſui Chaldaicam, vel Alexandrinam potius Pneumaticam, edoctus (*mm*) ſcribit: πολλὰ εἶναι τὰ δαιμόνων γένη καὶ παντοδαπὰ τὰς ἰδέας καὶ σώματα, ὡς εἶναι πλήρη μὲν τὸν ἀέρα τὸν ὑπερθεν ἡμῶν, καὶ τὸν περὶ ἡμᾶς. *Multa eſſe Dæmonum genera formis corporibusque omnimoda, ita ut iis plenus ſit aër, & qui ſupra nos eſt, & qui nobis circumfunditur,* quos dæmonas quoque in ſeqq. juxta claſſes ſuas diſtribuit, dum ſunt, qui per aërem diſcurrunt, qui ſupra nos eſt, alii qui per contiguum nobis aërem & proximum vagantur. Plura in re Platonicæ Philoſophiæ

(*ll*) *de myſteriis Ægyptior. Sect. V. c. 31. p. 102.* (*mm*) *de operat. Dæmonum p. m. 76.*

ophiæ gnaris non ignota non cumulamus. Notum nim vel ex ALCINOO eſt (*nn*), eſſe καὶ ἄλλους δαίμονας, οὓς καὶ καλόιη ἄν τις γεννητοὺς Θεοὺς, καθ' ἕκαςον ῶν ςοιχείων, οἱ μὲν ὁρατοὶ, οἱ δὲ ἀόρατοι, ἐν τε αἰθέρι καὶ πυρὶ, ἀέριτε καὶ ὕδατι, ὡς μηδὲν κόσμου μέρος ψυχῆς ἄμοιον εἶναι μηδὲ ζωῆς κρείττονος θνητοῦ φύσεως. *Alios quoque æmonas, quos genitos deos* (*oo*) *nuncupare poſſis, in elemens ſingulis, partim quidem viſibiles, partim autem inviſibiles, æthere, atque igni, aëreque & aqua, ne pars ulla mundi xpers animæ animantisve mortali natura præſtantioris relinueretur* (*pp*).

§. V.

Facile hinc colligitur, tum Judæis tum Gentilibus, latonicis præcipue, dæmones hos non natura tanım ſua materiali, ſed & operatione malos habitos fuſe. Illis enim animum malitioſum, & ad ſcelera quæis ſeducentem, qui auctor omnis inter homines proervitæ ſit, adſcripſere. Judæi enim, imprimis Cabaliſtæ, malos hos, qui in aëre reſident, Spiritus eoımque regnum regno Dei opponunt; uti videre ex lis eſt, quæ prolixe diſſerit R. IRIRAI (*qq*) hic, ubi revitatem ſectamur, non exſcribendis. Paria habent latonici, ex quorum doctrina impii magi (*rr*) ῖς κακοῖς πνεύμασι συνάπτονται, πληρούμενοί τε ἀπ' αὐῶν τῆς κακίστης ἐπινοίας, πονηροὶ δὲ καὶ ἀνόσιοι γίνονται, ονῶν μὲν ἀκολάςων πληρεῖς, κακίας δὲ ἀνάμεςοι, *malis & impu-*

(*nn*) *Intr. in Platon. c. 15.* conf. OLIMPIODORUS *in Plat. Alcib. ap.* FABRICIUM *l. c.* (*oo*) male pro hoc legitur apud STANLEJUM *l. c. P. IV. p. 342.* *intelligibiles.* (*pp*) Patet hinc, unde Paracelſus ſuas Nymphas Salamandros, Gnomos, aliosque omnium elementorum Spiritus hauſerit. vid *Hiſt. Phil. T. VI. p. 1120.* (*qq*) *l. c. p. 197.* (*rr*) JAMBLICGUS *l. c. p. 103.*

impuris ſpiritibus familiares evadunt, quorum flatu prorſus replentur peſſimo, improbique fiunt ac impii, voluptatibus laſcivis & omni malitia referti. &c. Quæ pauca hic Jamblichus affert, ea prolixe ſatis ac jucunde PSELLUS (*ss*) exponit, multumque in deſcribendis malitiæ eorum, & peſſimæ in animas hominum operationis, modis induſtriæ ponit. Quæ maligna Spirituum malorum operatio cum nec Judæis nec Gentilibus Epheſi habitantibus ex dictis potuerit eſſe ignota, facile hinc ratio patet, cur D. Paulus iis ἐνέργειαν, *efficacem operationem* in incredulitatis filiis adſcripſerit.

§. VI.

Tandem & Principis his Spiritibus malis præfecti meminit Apoſtolus, quem ſcilicet τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος nominat. Nihil dicit, quod non receptum atque creditum fuit ſuo tempore Judæis pariter & Gentilibus. Illi enim catervam corticum, id eſt malorum Spirituum, in duos exercitus dividunt, quorum unus adverſus Seir Anpin, ſive Sephiras ſuperiores, alter adverſus Malcuth, quæque cum ea connectuntur, Sephiras inferiores,

infenſos animos alit at hoſtilia bella,

illique Samaëlem, huic Lilith præficiunt (*tt*). Nec aliter Platonici, à quibus didicere Cabbaliſtæ, qui interprete JAMBLICHO (*uu*) Spiritibus aëreis per varias cœli partes diſpoſitis ὑπερέχοντα αὐτῶν ἕνα προτιθέασι, *unum præficiunt, qui omnibus ſuperior ſit.*

§. VII.

Vidimus itaque & adductis tum Judæorum platonizantium, tum Platonicorum Philoſophorum, & ſequacium ſententiis atque calculis probavimus, planumque

(*ss*) *l. c. p. 63. ſq.* (*tt*) IRIRA *l. c. p. 211.* conf. EISENMENGER *l. c. P. I. c. 18. p. 820. Hiſt. Phil. T. IV. p. 577. 880.* (*uu*) *c. Sect. VIII. c. 3. p. 159.*

ımque fecimus, eo tempore, quo D. Paulus ad E-
ıeſios ſcribebat, & hoc maxime ſacræ doctrinæ ge-
ıs caput ex tollebat, homines perditorum & malo-
ım morum habitis fuiſſe inſtar mortuorum: vidimus
ɔce, αἰών, ſignificatas fuiſſe ſubſtantias Spirituales &
telligibiles; vidimus, malis ſpiritibus aërem vel ſe-
:m vel naturam quoque adſcriptam; vidimus omnis
alitiæ operationes ipſis eſſe tributas; vidimus prin-
pem illis fuiſſe præfectum. Hæc cum omnia tam
anifeſte in textu noſtro tangantur, quis nos veriſi-
ilitudinis leges migrare contendet, ſi dixerimus, ſan-
ım Apoſtolum in deſcribendo infeliciſſimo Epheſio-
m ante ſuam converſionem ſtatu ad receptas & ſatis
ɪgnitas inter eos ſententias reſpexiſſe, easque, quan-
m ſalva divina veritate poterat, ad ſuum ſcopum ac-
ımmodaſſe? ita non ſolum facilius in re gravi intel-
;endus, ſed & fortius ex conceſſa gentilibus doctri-
, à miſeria Epheſiorum priſtina ad excellentiam ſta-
; gratiæ præſentis argumentum ducturus. Etſi non
non dicimus, eandem prorſus Apoſtoli fuiſſe de ſta-
illorum miſero ſententiam, quæ Judæorum & im-
ımis Platonicorum fuit, quippe qui nec corruptio-
rerum fontem & profunditatem, nec infernalis
ıncipis in ſpiritualibus naturam & operationem ſatis
elligebant; facit tamen ipſa ſententiarum collatio
ınifeſtum, ad ejuſmodi doctrinas reſpexiſſe Apo-
ılum, ex quibus eo validius ad deteſtanda Gentiliſ-
ıni βδελύγματα argumentari, & quo beneficio di-
vino per converſionem ſuam affecti fuerint,
demonſtrare potuit.

* * * * * * * *

V. J. F.

V.

J. F.

ORATIO

DE

Diſciplina Arcani Veteris Eccleſiæ, noſtra ætate non uſurpanda. *

QUod plerisque, qui non ſponte, ſed auctoritate & legibus coacti, ad dicendum animum inducunt, contingere ſolet, ut nimirum non tam ſoliciti ſint, qua ratione argumentum aliquod rite tractare, quam quid potiſſimum in maxima utiliſſimarum rerum copia deligere debeant, id mihi etiam eveniſſe

* Non eſt quod miretur Lector, huic Orationi paſſim, præter conſuetudinem, citationes locorum, & Auctorum fuiſſe inſertas; factum hoc, quia Amici, quibus Auctor multum tribuit, eam publice legi voluerunt. Cæterum *de Arcani Diſciplina*, præter Cl. Pfaffium, legi poſſunt Geb. Meyeri Diſſertatio de recondita Veterum Theologia, Helmſtad. 1679. edita. Tenzelii Diſſertat. de Diſciplina Arcani, ejusque contra Eman. à Schelſtraten defenſio. Caſaub. Exercit. XVI. contra Baronium, Binghami Orig. Eccleſ. Lib. X. Cap. V. & quos ille in ſcenam producit; Basnage Annales Eccl. Polit. tom. II. Diſſert. 12. ut de noſtris Theologis, Claudio, Dallæo, Albertino, qui cum Eccleſiæ Romanæ Doctoribus congreſſi ſunt, nihil dicam.

ɾeniſſe diffiteri non poſſum. Quamprimum enim ˈenerabilis Eccleſiæ noſtræ Antiſtitis (cujus jacentis ·. M. Deus miſereatur!) auctoritate, atque imperio ıihi injunctum fuit; ut in Illuſtri hoc Auditorum onſeſſu, more Majorum verba facerem, multiplici rum præcellentiſſimarum varietate, quæ animo meo ɔjiciebantur, ita eram turbatus, atque in diverſas ırtes tractus, ut ubi potiſſimum pedem figerem, ıceps prorſus atque dubius eſſem. Sciebam equi-:m, nihil in tanta Virorum Excellentiſſimorum & octiſſimorum frequentia proferendum, quod Summorum Virorum Auctoritate indignum, aut à loco ɔc & tempore alienum, vel denique perſonæ, quam ſtineo, viribusque meis, minus aptum, atque conniens foret. Hoc unum autem animum meum anım, atque ſolicitum habuit, quo potiſſimum argumenti genere deſiderio veſtro & officio meo ex parte isfacere poſſem. Dum autem animus huc illuc inrtus ferebatur, in mentem venit, me forte haud maacturum, ſi de *Infelicitate Literatorum* verba eſſem faırus. Præterquam enim, quod ſingulari occaſione argumentum hoc tractandum fuerim inductus, ipsmateriæ dignitas, utilitas, atque jucunditas me inabant. Sine mora igitur animum ad meditandum ſcribendum appuli, varias infelicitatis, quibuſcum ıditi colluctantur, cauſas in ſuas claſſes diſpeſcui, ctiſſimorumque omnis ætatis Virorum Exemplis :nprobavi. Animus erat, Adoleſcentes amore lau-, & literarum ſtudiis incenſos, edocere, verum ntis præſidium, decus, atque requiem, non in Eruione duntaxat, ſed in virtute potiſſimum, probitaıtque fiducia in Deum, eſſe ponendum & quærenn. Huic autem labori & meditationi intento, ıc hæ, nunc illæ rationes, in mentem venerunt, e tanti mihi ponderis eſſe videbantur, ut iis tandem ere, & hoc quicquid erat laboris perire, potius

quam

quam rectæ rationis decretis refragari maluerim. Præcipua autem, ut verum dicam, ratio, quæ me in ipſo laboris curſu conſtitutum ab incepto abſtraxit, hæc fuit; verebar nimirum, ne in tanta juventutis literatæ paucitate & raritate, ii ipſi, qui incredibili quodam Literarum amore ſunt incenſi, auditis tot emergendi impedimentis, & infelicibus Virorum præſtantiſſimorum caſibus, torpeſcerent, animumque plane dejicerent. Cum enim nihil magis generoſæ indolis Adoleſcentes ad ſapientiæ atque Eruditionis ſtudium impellere poſſit, quam ſi audiant, virtuti atque recte factis ſuum conſtare decus, atque ſua eſſe repoſita præmia, viam honoris cunctis patere, neque generi, nedum inertiæ, ſed virtuti gloriam tribui; nemo non videt, eos tot argumentis & Exemplis in contrarium allatis, à recto tramite, qui ad ſerena virtutis & Eruditionis templa deducit, pedes eſſe deflexuros.

Atqui Doctoris publici officium eſt, omnibus viribus conniti, ut vera, recta, atque maſcula Eruditio in animis Auditorum magis magisque radices agat, uberrimosque proferat fructus. Depulſus igitur de hoc gradu, neglectoque qualicunque labore, de alio argumento, nulli periculo, atque ſiniſtræ interpretationi obnoxio, conſilium cepi. At nullum tum quidem temporis, quod quidem animo meo adblandiretur, in mentem incidit, unde mecum ſtatui, omnem de Oratione habenda curam, atque ſolicitudinem abjicere, atque in aliud tempus, aliumve animi ſtatum, hoc quicquid eſſet laboris transferre, atque ad quotidiana ſtudia & libellos meos recurrere. Factum autem opportune eſt, ut, de quo fruſtra eram ſolicitus, aliud agendo in libellum quendam *Chr. Matth. PFAFFII, Tübingenſis Academiæ Theologi, & Cancellarii, Viri non magis ob inſignem & vaſtiſſimam Eruditionem, quam vero ſingulare, fratres eheu! ob quasdam leviores quæſtiones diſſidentes*

compo-

mponendi ſtudium, *Celeberrimi*, inciderem (*a*). Heic *ruditiſſimus Vir* in eo erat, ut doceret, qua ratione, :l incredulis & luxuriantibus ingeniis, vel rerum .blimium minus capacibus, quorum eheu! noſtra æte maximus numerus eſt, frænum aliquod injici, atıe ad audienda rectæ rationis, & Revelationis decreinduci poſſint. Inter alia autem conſilia ſaluberria optat *Doctiſſimus ille Vir*, ut noſtra ætate ad reprimendum hoc malum *Diſciplina Arcani* antiquis Eccleſiæ octoribus uſurpata denuo poſtliminio in uſum revoretur, exiſtimans, pruritum illum, quo ſæpe optima genia abripiuntur, repreſſum, ſtudiumque ſanctisna quæque illotis manibus tractandi, extinctum, t ſaltem imminutum iri. Hæc cum mecum perpenſſem, eaque quæ apud Veteres, & Recentiores de c argumento legeram, in memoriam revocaſſem, ıtum abeſſe putavi, ut hæc *Diſciplina* in uſum revo:a, tollendo aut reprimendo huic malo apta atque ›nea eſſet, ut potius hanc ipſam Veterum conſuelinem multorum erıorum, ſpretæque Religionis caſtiſſimæ

(*a*) Digitum intendimus ad ea, quæ Cl. Vir in Diſſertat. de Præjudiciis Theologorum Parte poſter. pag. 133, & prolixius pag. 149. ſq. diſputavit. Nollem autem quenquam exiſtumare, nos ex profeſſo contra Præſtantiſſimum Theologum in arenam deſcendere; præterquam enim quod ab omni prurigine diſputandi abhorreamus, res de qua agitur non illius eſt naturæ, ut cum quoquam nedum Cl. Pfaffio litigemus. Meditationes ſaltem Cl. Viri Auctori anſam dederunt hoc argumentum pertractandi. Tantum abeſt, ut Auctor cum Cl. Pfaffio, Theologo erudito, modeſto, pacifico, de hoc argumento contendere in animum induxerit, ut potius cum Eo, & ei ſimilibus fratribus in unum cœtum coaleſcere optaret, ut unitis viribus contra Incredulos, & Papæ mancipia, inſurgere poſſent.

ſtiſſimæ cauſam fuiſſe, mihi perſuaderem. Eum in finem ſtatui, ſine ulteriore mora, ea quæ olim de hoc argumento legeram, denuo evolvere, atque in hoc ipſo *Virorum Eruditiſſimorum congreſſu* de hac *Arcani Diſciplina*, non contradicendi, ſed nudam veritatem dicendi ſtudio, verba facere. Argumentum, quod ex intimis Antiquitatis Eccleſiaſticæ receſſibus petitum eſt, neque perſona, quam ſuſtineo, neque auribus etiam forſan *Præſtantiſſimorum* Virorum indignum.

Cum autem non temporis tantum ſed & ordinis habenda ſit ratio, certis legibus atque cancellis Orationem includam. Atque cum in finem hujus *Diſciplinæ Arcani indolem* atque *naturam*, deinde illius *Originem* pandam; poſt ad *rationes*, quibus inducti Veteres eam conſuetudinem induxerant, pergam, quamque nullius ex roboris ſint non ſolum oſtendam, ſed & *varia incommoda*, quibus obnoxia fuit, in medium proferam, unde denique ultimo loco neceſſario erit inferendum, *eam Diſciplinam noſtra ætate in uſum non eſſe revocandam.*

Habetis Auditores O. O. P. rerum à me dicendarum Summam. Forte ipſius Argumenti novitas efficiet, ut vacivas mihi præbeatis aures. Cætera enim omnia, quæ Oratori decus atque benevolentiam conciliare poſſunt, mihi deeſſe, facile animadverto. Sive enim ad dicentis Auctoritatem ſive eloquii ſplendorem atque ornatum reſpicio, fruſtra me eſſe, pulchre video, Auctoritatem enim meam atque exiſtumationem, penes pleroſque veſtrum, aut nullam aut perexiguam eſſe, dudum ſcio. Eloquentiam ab eo exſpectare non poteſtis, qui ad res potius quam verba attentus eſt, atque ſeveriores utplurimum diſciplinas philoſophicas, at theologicas cumprimis, taliter qualiter hactenus excoluit; accedit quod univerſa mea Rhetorica, quod miremini, duabus ſaltem conſtet propoſitionibus, quarum *prima* hæc eſt: Orator, id quod elaborandum in ſe ſuſcepit argumentum, ita perſpicue, atque plane explicet,

explicet, ut Auditores vel Lectores id non poſſint non intelligere; *Secunda:* Orator, id quod probare aggreſſus eſt, aut invictis atque certiſſimis, aut vero quam maxime ſimilibus perſuadeat argumentis. At longe plura poſtulare artis dicendi Magiſtros notiſſimum eſt. Nihil ergo aliud mihi relictum eſt, quam ut Vos orem atque rogem, ut ſaltem per horulam, quod & aliis in dicendo non magis valentibus conceſſiſtis, aures Veſtras voluntatesque mihi commodetis.

Per *Diſciplinam Arcani,* ut tandem initium faciam, nihil aliud intelligimus, quam eam Veteris Eccleſiæ conſuetudinem, qua quædam Religionis Chriſtianæ Myſteria ritusque, eos inprimis, qui naturam atque indolem Baptiſmi, atque S. Cœnæ ſpectabant, Paganis nondum initiatis, lapſis & Catechumenis, ad majorem, uti putabant, reverentiam in animis eorum excitandam, celabant, neque ante certum peractæ Exercitationis tempus, ad accuratam eorum cognitionem admittebant. Ubi tamen probe notandum eſt, non hic ſermonem eſſe de ſcriptis publicis atque Confesſionibus, ſed Sacrorum publico exercitio, inſtitutionibusque ad populum habendis. Notum enim eſt, Veteres Eccleſiæ Doctores publice Religionis Chriſtianæ decreta non ſolum expoſuiſſe, ſed & acerrime eadem vindicaſſe; teſtes ſunt antiquiſſimorum Eccleſiæ Doctorum, *Juſtini M. Quadrati, Ariſtidis, Tertulliani,* &c. Scripta & Apologiæ; teſtes *Origenis,* atque *Cyrilli* contra *Celſum* atque *Julianum*, habitæ atque editæ vindiciæ; teſtes publica monimenta, quibus antiquiſſimorum Hæreticorum oppugnabant errores; teſtes denique concertationes, quæ Seculo IV,V,VI. atque ſequentibus ſunt ortæ, quibus de Filii divina origine, *ἐνσαρκώσει*, aliisque capitibus, utramque in partem vehementer fuit diſputatum. Ex quibus patet, de publicis ſaltem inſtitutionibus hoc ſacrum ſilentium eſſe intelligendum. Quæritur autem: utrum ad myſteria omnia,

v. gr. doctrinam de SS. Trinitate; an vero ad ſacra illa amoris pignora, Baptiſmum nempe atque S. Cœnam duntaxat, hanc Arcani Diſciplinam extenderint Chriſtiani. Atque heic contendunt Doctiſſimi Viri, *Caſaubonus*, *Albertinus*, *Tenzelius*, *Basnage*, aliique, ſola illa Symbola externa communionis noſtræ cum Chriſto, panem nimirum & vinum, non autem naturam illorum Symbolorum, nedum alia capita Religionis Chriſtianæ, ſilentii peplo fuiſſe involuta; (*b*) atque eum in finem provocant, ad omnia illa Doctorum antiquiſſimorum loca, in quibus diſerte & rotunde de omnibus Religionis Chriſtianæ capitibus mentionem fecerunt. Unum omnium loco teſtem producam, nimirum *Juſtinum* M. qui in *Apologia ſecunda*, pag. m. 97. ſq. (ut vulgo vocatur) enarratis præcipuis ſanctiſſimæ diſciplinæ decretis, ita de S. Cœna loquitur; *Nos ſecundum hujuſmodi Lavationem credentem jam & nobis adſcitum ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati ſunt ac communes preces ac ſupplicationes cum pro ſeipſis, tum pro Illuminato & aliis ubique gentium omnibus, animo intento peragendas: ut digni idoneique ſimus, qui veritate agnita per opera etiam ipſa boni atque officioſi rerum adminiſtratores & datorum nobis mandatorum cuſtodes inveniamur, atque ut ſalute ſalvemur æterna. A precibus finitis, mutuis nos invicem oſculis ſalutamus. Deinde ei, qui fratribus præeſt, offertur panis & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum univerſarum Patri, per nomen Filii & Sp. Sancti offert, & Euchariſtiam ſeu gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis ſuis hiſce dignatus ſit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actiones abſolvit, populus qui adeſt omnis fauſta approbatione acclamat, dicens; Amen. Præſidens*

(*b*) Vide Caſaubonum Exercit. in Baronium, Exercit. XVI. pag. 495. Albertinum de Euchariſtia, Lib. II. pag. 708. Tenzelium adverſus Eman. à Schelſtraten. Basnage, Tom. II. Diſſert. 12. Sect. VII. pag. 566. mitto alios.

dens vero poſtquam gratiarum actionem perfecit, & populus univerſus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Miniſtri diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum & aquam, & ad abſentes perferunt. Porro Alimentum hoc apud nos vocatur Euchariſtia: quod nulli alii participare licitum eſt, quam veram noſtram doctrinam credenti & lavacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto, ita ut Chriſtus tradidit viventi. Non enim ut communem panem iſta ſumimus: ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus, Servator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit; ad eundem modum etiam, in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe docti ſumus. &c.

At nec hic, nec alia loca, à Viris Doctis allata probant, in Sacris publicis omnia Myſteria Religionis cunctis promiſcue fuiſſe annuntiata; ſed hoc tantum; Chriſtianos in ſuis publicis ſcriptis & Apologiis, ad depellendas hoſtium calumnias, ſanctiſſimæ diſciplinæ capita perſpicue, quantum poterant, explicuiſſe. Duo ſunt, quæ, ut ita ſentiam, me inducunt. *Prius* eſt, quod rationes ipſæ, quas adferunt Veteris Eccleſiæ Doctores ad hanc *Diſciplinam Arcani* commendandam, hanc interpretationem neceſſario poſtulare videantur; *Poſterius*, quod hujus rei veſtigia clariſſima in veterum monumentis reperiantur. Quod ad *prius* attinet, provocant, ut infra pluribus audiemus, Doctores Chriſtiani hanc Diſciplinam commendaturi, tum ad rerum ipſarum ſublimitatem & verendam majeſtatem, tum ad mentis humanæ cæcitatem; at panis & vinum nihil habent, quod hoc titulo dignum ſit. Accedit, quod data opera allegoricis uterentur vocabulis, ad extollendum rerum propoſitarum pretium. Neque credibile eſt, Patres hoſce exiſtimaſſe, nondum initiatos facilius intellecturos fuiſſe decreta de æterna Filii ge-

neratione, atque divina ejus origine, quam vero præcepta de Sacris Symbolis, & ritibus circa eorum uſum adhibitis. Quod ad monumenta veterum attinet, ſatis conſtat, non ſolum meros ritus in adminiſtratione Sacramentorum uſurpatos, fuiſſe occultatos; ſed & ipſam rei ſignificationem, aliaque Religionis Decreta. Probemus hoc inductione teſtimoniorum. *Cyrillus* Hieroſolymitanus in Prologo ſuarum Homiliarum Catecheticarum fideles ſolicite adjurat, ne librum ſuum Catechumenis vel aliis Chriſtianis velint tradere, alioquin facti rationem Deo reddituros. In Sexta Catecheſi ſcribit idem: Περι μυϛηριων ἐπι κατηχȣμενων λευκως ȣ̓ λαλȣμεν, ἀλλα πολλα πολλακις λεγομεν ἐπικεκαλυμμενως, ἱνα οἱ ἐιδότες πιϛοὶ νοησωσι. i. e. *de Myſteriis, præſentes ſi ſint Catechumeni, clare non loquimur; ſed ſæpe multa dicimus tecte, ut qui norunt fideles intelligant.* Atque hoc in cauſa fuit ut Pagani Chriſtianis inſultarent. *Celſus*, acerrimus ille Chriſtianorum hoſtis, ludibrii cauſa Religionem Chriſtianam vocabat Κρυφιον δογμα; *doctrinam clandeſtinam. Origenes,* dum in eo eſt, ut hanc calumniam diluat, fatetur quædam doctrinæ capita non omnibus communicari (*c*). *Lucianus* vel quisquis Auctor eſt Dialogi, cui titulus *Philopatris,* huc digitum manifeſte inten-

(*c*) Locus qui extat Lib. I. cap. 8. ita juxta verſionem ſonat: Per totum orbem notior eſt Chriſtianorum prædicatio, quam Philoſophorum placita. Quis enim Jeſum e Virgine natum & crucifixum ignorat? Quis reſurrectionem ejus multis creditam, & denuntiationem judicii reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus & juſtis præmia? Quin & reſurrectionis futuræ myſterium vulgatum eſt, tametſi rideatur ab infidelibus. Quæ cum ita ſe habeant, perabſurdum eſt, doctrinam hanc vocare clancularium. Quod vero quædam inſunt, quæ non communicantur quibusvis, id non ſolius Chriſtianæ doctrinæ proprium eſt, verum etiam Philoſophicæ.

intendit, quando (Operum *Luciani* tom. II. pag. 770. ſq. Edit. *Grævii*) *Triephon* jubet *Critiam* jurare per Deum alte regnantem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria; reſpondet *Critias, ſe non intelligere, quid ſit unum tria, & tria unum;* tum explicationis loco ſubdit *Triephon,* Chriſtiani & quidem Catechumeni (uti expreſſe pag. 773.) perſonam induens: σιγα τα νερθε, και τα σιγης αξια, & paulo infra idem *Triephon: Catechumenus exiſtens perſuaderi à me tibi ſine, ſi modo vivere cupis in æternum* Atque hinc factum eſt, ut nondum Initiati Orationem dominicam, & Symbolum tum demum diſcere tenerentur, quando jamjam erant baptizandi. Rationem hanc adducebant; quod donum adoptionis nondum eſſent adepti (*d*). Hinc *Chryſoſtomus* toties in ſuis libris illud ἴσασιν οἱ μεμυημενοι ingeminat. Inprimis clariſſima ſunt teſtimonia in Scriptis *Tertulliani* de hoc argumento; unum alterumve adferamus. Apolog. Cap. VII. (pag. 81. Edit. *Havercampi,*) in eo eſt, ut deteſtandas Paganorum calumnias de infanticidio, Thyeſtæis epulis &c. diluat. Inter alia autem ſic loquitur: *Si ſemper latemus, quando proditum eſt, quod admittimus? Imo à quibus prodi potuit? ab ipſis enim reis non utique, cum vel ex forma omnium myſteriorum ſilentii fides debeatur. Samothracia, & Eleuſinia reticentur, quanto magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animadverſionem provocabunt, dum di-*

 vina

(*d*) Ita Chryſoſtomus Homil. XX. in Math. pag. 200. Tom. I. edit. Ffort. ὅτι πιςοις ἀυτη ἡ προσευχη καὶ οἱ νομοι της ἐκκλησιας διδασκουσι καὶ το προοιμιον της ἐυχης. Ὁ γαρ ἀμυητος οὐκ ἀν δυναιτο πατερα καλειν τον Θεον. i. e. quod fidelibus Oratio iſta conveniat, & Eccleſiæ regula ipſa teſtatur & ipſius Orationis exordium. Nondum quippe initiatus baptiſmatis ſacramento non poteſt Deum Patrem vocare. Plura loca collegit Bingham, loco cit. pag. 132.

vina ſervatur? ſi ergo non ipſi Proditores ſui, ſequitur ut extranei. Et unde Extraneis notitia, cum ſemper etiam piæ initiationes arceant profanos & ab arbitris caveant. Præſcript. contra Hæret. Cap. 41. ita eos impugnat dicens: *non omittam ipſius etiam converſationis hæreticæ deſcriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana ſit: ſine gravitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina, ut fidei ſuæ congruens. Inprimis quis Catechumenus, quis fidelis, incertum eſt; pariter adeunt; pariter audiunt, pariter orant: Etiam Ethnici ſi ſupervenerint, ſanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, jactabunt* (*e*). S. Cœnam & Baptiſmum, id eſt, utriusque natu-

(*e*) Alius extat Tertulliani locus libro I. ad Nationes, cap. VII. ubi ita loquitur: Si quem tamen apud nos prudentiæ locum iniquitas reliquiſſet, ad explorandam famæ fidem utique juſtitia poſcebat diſpicere, à quibus potuiſſet fama in vulgus, & ita in totum orbem dari. Ab ipſis enim Chriſtianis non opinor, cum vel ex forma ac lege omnium Myſteriorum ſilentii fides debeatur: quanto magis talium, quæ prodita non evitarent interim humana animadverſione præſentaneum ſupplicium? Si ergo non ipſi proditores ſui, ſequitur ut extranei. Oro vos, extraneis unde notitia? cum etiam juſta & licita Myſteria omnem arbitrii extraneum caveant. Contendit equidem Doctiſſimus Meyerus in Diſſertat. de recondita Veterum Theologia, Sect. XIV. pag. 27. loca citata non probare, Tertulliani ævo Diſciplinam Arcani in uſu fuiſſe. Sed non tam (inquit) quid apud Orthodoxos, quam quid apud Gentiles in uſu & lege fuerit, ex iſtis Tertulliani locis oſtendi poterit, & ſi quid illius continent, id de in ſeceſſu ab Eccleſia preſſa habitis Sacris intelligi, non autem ad ſingularem illam Veterum occultandi in promtu ſeu publico morem, utpote tum nondum in Eccleſia uſitatum, trahi debet. At fallitur in eo doctiſſimus Vir. Calumniæ de Thyeſtæis epulis, &c. Chriſtianis

naturam; dubium non eſt quin occultarint Veteres. Perſpicue non ſemel id deſignat *Auguſtinus*. Ita Comment. in Pſalm. 103. ait: *Quid eſt quod occultum eſt, & non publicum in Eccleſia?* reſpondet: *Sacramentum Baptiſmi, Sacramentum Euchariſtiæ, opera noſtra vident & pagani, Sacramenta vero occultantur illis.* Hinc illa *Maximi Madaurenſis* petitio in Epiſtola ad *Auguſtinum* data. *Illud quæſo Vir ſapientiſſime*, (inquit:) *uti remoto facundiæ colore atque exploſo qua cunctis clarus es, omiſſis etiam quibus pugnare ſolebas Chryſippeis argumentis, poſtpoſita paululum Dialectica, quæ nervorum ſuorum luctamine nihil certi quicquam relinquere nititur: ipſa re approbes, quis ſit iſte Deus, quem vobis Chriſtiani tanquam proprium vindicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis.* Mitto alia loca, quæ adferri poſſent ad probandum, in antiquiſſimis Chriſtianorum cœtibus, non ſolos duntaxat ritus, ſed & decreta ipſius Religionis, ſtudio à Doctoribus fuiſſe ſilentio obvoluta. *

nis intentatæ, & reſponſiones ipſius Tertulliani manifeſte oſtendunt, non de conventibus Chriſtianorum in genere, ſed de Myſteriis & Sacramentis ſermonem eſſe; in ultimo, quem adduximus loco, provocat Tertullianus ad ſilentii fidem Myſteriis debitam, longe aliter locuturus, ſi probare duntaxat voluiſſet, neminem extraneorum intereſſe poſſe cœtibus Chriſtianorum.

* Adductis locis ſuperaddimus clariſſimum Cyrilli locum ex Catecheſi VI. poſtquam enim dixiſſet: Myſteria Sacramentaque patefacere Eccleſiam ei, qui ex Catechumenis excedit τῷ ἐκ κατηχȣμένων μεταβαλλομένῳ, hoc eſt, competenti, nec moris eſſe Ethnicis exponere, atque in exemplum myſterium Trinitatis adducit. Non enim (inquit) Gentili cuiquam de Patre & Filio & Spiritu Sancto arcana Myſteria declaramus; neque palam apud Catechumenos de Myſteriis verba facimus, ſed multa ſæpe loquimur occulte.

At paulo diſtinctius, quos à Sacris illis & Myſteriorum perceptione arcuerint, quos admiſerint, & quid non initiatis tentandum fuerit ut ad audiendas res ſanctiſſimas præpararentur, dicendum.

Inter eos, quos à Sacrorum illorum uſu atque contemplatione arcuerunt, *primo loco* veniunt οἱ ἔξω, *Extranei*, quo nomine nonſolum homines à Religionis Chriſtianæ profeſſione alieni, ſed & Catechumeni intelliguntur; poſterius patet ex verbis *Cyrilli: Cum Catecheſis recitatur,* (inquit) *ſi Catechumenus ex te quæſierit, quid dicebant Doctores? nihil dicas externo,* μηδεν λεγε τῷ ἔξω. *Secundo* loco huc referendi *Profani*, id eſt, non initiati. *Theodoretus* Quæſt. XV. in Numerum; ἀσήμως διὰ τȣς ἀμυήτȣς περὶ των θειων διαλεγομεθα μυςηρίων. i. e. *obſcure propter non initiatos de divinis Myſteriis loquimur.* Sequebantur *tertio* Gentiles, & denique Catechumeni, quibus omnibus aditus ad audienda Myſteria occludebatur, de quibus pleni ſunt Veterum & Recentiorum libri. Illi vero qui admittebantur erant uno verbo *fideles*, quos & *Initiatos, Myſtas, Conſummatos, Epoptas* vocabant. Sexcenta ſunt hujus rei teſtimonia apud *Chryſoſtomum, Cyrillum, G. Nazianzenum, Auguſtinum,* quæ brevitatis cauſa non adſcribam. Modus occultandi hæc Myſteria duplex erat. *Prior* eſt, quo profanos, id eſt non initiatos, à Myſteriis procul eſſe jubebant. Eum in finem Diaconi altiſſima voce non Initiatos diſcedere jubebant. Teſtis eſt *Chryſoſt.* Homil. XVII. in Epiſt. ad Hebræos dicens: *Diaconus in altiore loco ſtans magna voce terribili clamore, veluti quidam Præco, manus ſuſtollens in altum, alios quidem vocat, alios prohibet, alios excludit, alios introducit.* Uſus autem eſt Diaconus his formulis: ἔξω περιπατεῖτε, ἀπελθετε, προελθετε, ὅσοι ἀμυητοι, ὅσοι κατηχȣμενοι, ὅσοι ἐνεργȣμενοι, ὅσοι ἐν μετανοιᾳ. Nec abire eos juſſerunt duntaxat, ſed & fores templorum diligenter cuſtodire tenebantur Diaconi, poſtea Subdiaconi & Oſtiarii. Teſtatur id *Chryſoſtomus* Homilia in Matthæum & *Auctor*

Con-

Conſtitut. Apoſtol. Lib. II. Cap. 57. hinc *Hieronymus* & *Epiphanius* Marcionitas increpant, quod Myſteria celebrent inſpectantibus Catechumenis. *Poſterior* occultandi ratio erat, quod de Myſteriis coram initiatis aut plane ſilerent, aut obſcuro dicendi genere data opera uterentur. Hinc *Chryſoſtomus* Homilia 40. in 1. ad Corinth. ait: *Volo quidem aperte id dicere, non audeo vero propter eos qui non ſunt Initiati. Ii enim difficiliorem nobis faciunt expoſitionem, cogentes aut non perſpicue loqui, aut eis arcana annuntiare. Epiphanius Anchorat.* n. LVII. de verbis inſtitutionis loquens, coram Catechumenis nolebat dicere: *hic panis corpus meum eſt; hoc vinum ſanguis meus eſt;* ſed *hoc meum eſt hoc & hoc.* Conferatur *Theodoreti* Dialogus primus & ſecundus. Eum in finem vocabulis etiam obſcurioribus utebantur, cum de Sacramentis ſermo eſſet habendus. Sacramenta paſſim vocabant μυήσεις, τελετὰς, ἐποπτείας, peculiariter Euchariſtiam τελετὴν τελετῶν: Baptiſmum *Unctionem, Illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, ſplendorem animarum, carnis abjectionem, peccati diluvium, lucis communicationem, cœleſtis regni clavem,* ut alia taceam. vid. *Caſaub.* Exercit. XVI. pag. 485. ſq.

Ut autem ad hanc Myſteriorum communionem admitterentur, vario exercitationis genere opus erat. Primus gradus erat καθαρσις *purgatio*, ſecundus μυησις *initiatio*, tertius ἐποψια *perfecta contemplatio;* ἐποπτην vocabant, qui perfectam, quantum fieri poſſet, cognitionem Myſteriorum & Sacramentorum haberet. Circa temporis ſpatium diverſa erat Veterum diſciplina. Nimirum aliter tractarunt eos, qui Chriſtianæ Religioni nomen dare volebant, aliter lapſos. *Priores* brevius ſtadium percurrere debebant, antequam panem cum fratribus frangere poſſent. Primo igitur fiebant *Catechumeni*, deinde *Competentes*, poſtremo *Fideles* & *Chriſtiani.* Quod vero ad lapſos attinet, quinque gradus ut-

plurimum veteres adhibebant. *Primus* erat, ut per triennium (utplurimum) in aditu Eccleſiæ, à fidelibus & Catechumenis ſeparati, ſtarent pœnitentiam agentes in ſqualore. *Secundus*, ut per aliquot annos audirent ſaltem lectionem S. Literarum. *Tertius*, ut abſoluto demum certo temporis ſpatio precibus publicis intereſſent. *Quartus*, quod cæteris fidelibus ſimiles habiti, excepta S. Euchariſtiæ communione. *Quintus* denique erat, quod jus utendi S. Cœna habebant, quam τελειωσιν & κοινωνιαν τῦ ἀγαθῦ appellare ſolebant. Hujus diſciplinæ dum circa lapſos meminit Iſ. *Caſaubonus*, in hæc verba erumpit Exercit. XVI. pag. 487. *Circa lapſos diſciplina fuit ſevera, & prorſus admiranda : cui revocandæ in uſum operam impendiſſe, res futura ſit Deo gratior absque dubio, quam de fidei dogmatis ſubtiliter diſputare extra ſcripturas & omnes diſſentientes ferro & flamma perſequi, in quo hodie ſummus pietatis apex ponitur.* Quæ quo loco ſint habenda, judicent me doctiores. Cæterum de hac diſciplina circa lapſos paſſim conſulendi *Binghami*, *Bonæ*, *Morini*, *Hottingeri*, *Albaspinæi* &c. labores.

Quod ſi quæratis *Auditores*, quo temporis articulo hæc *Diſciplina Arcani* in Eccleſiam Chriſtianam fuerit inducta, nihil certi de hoc dici poſſe reſpondeo. Hinc quidam ab ipſis Chriſti & Apoſtolorum temporibus hanc conſuetudinem repetunt; alii labente Seculo ſecundo; rurſus denique alii quarto demum & quinto Seculo receptam fuiſſe exiſtimant. Expenſis omnibus, quæ à Viris Doctis de hoc argumento adferuntur, vero quam maxime conſentaneum eſt, primos Religionis Chriſtianæ Doctores hanc conſuetudinem non uſurpaſſe; accedentibus vero ad Chriſtianorum cœtus Viris Doctis, præceptis Philoſophiæ imbutis, atque ſimplicitatem cultus ſacri faſtidientibus, arcanas & myſticas rituum excogitatas eſſe rationes, quæ ſucceſſu temporis, ut fieri ſolet, inſigniter auctæ, denique in

maxi-

maximam excreverint rituum molem (*f*); labente vero Secu'o ſexto denuo abolitam fuiſſe, quanquam Viri Docti hujus diſciplinæ veſtigia in hodierna *Eccleſia Græca* extare contendant. vide *Heineccii* Abbildung der Griechiſchen Kirchen. Lib. II. Cap. VI. Sect. 30. pag. 235. At

(*f*) Cl. Pfaffius originem Diſciplinæ Arcani repetit ab ipſo Chriſto & Apoſtolis. Ita loco citato pag. 150. ſq. ait: Cæterum hæc Arcani Diſciplina, & olim à Gentilibus, unde ipſam hauſiſſe Chriſtianos Viri quidam doctiſſimi arbitrantur, obſervata fuit, & à Judæis quoque &c. Neque hinc tamen (pergit) ejus petenda origo eſt, cum in ipſis N. Fœderis tabulis ea commendetur. Etenim ipſe Chriſtus Apoſtolis ſumma fidei Myſteria non ſtatim revelavit; - - unde & Arcani Diſciplina data opera ab iisdem inſtituta, & obſervata fuit &c. In hujus ſententiam concedere videtur Erudītiſſimus Moshemius Inſtit. Hiſt. Eccl. pag. 75. facile (inquit) mihi perſuadeo, Diſciplinam quam vocant Arcani in ipſis Eccleſiæ initiis jam locum habuiſſe, id eſt docendi rationem ex prudentiæ lege à Doctoribus temperatam fuiſſe. Sed illa Diſciplinæ hujus forma, quæ tertio, quarto, ſequentibusque Seculis recepta fuit, recentior eſt ætate illa, cujus res nunc enarramus. Quod ſimplex initio prudentiæ inſtitutum erat, id mirifice degeneravit poſtea ac non modo amplificatum, verum etiam ad normam Myſteriorum inter Gentes exactum, vocabulisque ab exteris petitis obſcuratum fuit. Ita Doctiſſimus Moshemius. Cavendum ne hic logomachiam committamus. Quando per Diſciplinam Arcani intelligitur prudens & circumſpecta docendi ratio, à Chriſto & Apoſtolis adhibita, nemo dubitat, quin origo hujus conſuetudinis ex hoc fonte peti poſſit. At ubi de Diſciplina Arcani Veteres & moderni agunt, longe aliud quam prudentem rerum docendarum tractationem, quam ab omni tempore

At tempus eſt, ut inquiramus, quænam ſit *Origo* hujus Diſciplinæ, & à quibus hanc occultandi Sacra conſuetudinem didicerint cœtuum Chriſtianorum Antiſtites. Heic quidam ad exemplum Chriſti & Apoſtolorum provocant; alii ex *Cabbala Judæorum* hauſtam exiſtimant; plerique omnem illum adparatum ex *præceptis Philoſophorum Sacriſque Gentilium* ortum eſſe contendunt, quæ ultima ſententia vero quam maxime ſimilis eſt. Certe neque à Chriſto, neque à primis Sectatoribus ejus hanc diſciplinam fuiſſe adhibitam conſtabit omnibus, qui ſine partium ſtudio res à Chriſto & Apoſtolis geſtas expendunt. Sanctiſſimus noſter Soter in media turba omnibus promiſcue ſanctiſſimæ diſciplinæ capita explicuit. Quamprimum quis percepta ejus doctrina, & inuſitatis miraculis conſpectis, nomen ipſi daret, atque ipſum pro Meſſia admitteret, ſine ambagibus, variiſque moleſtis exercitationibus, aqua tinctus, & inter Sectatores ipſius relatus fuit. Diſcipulis ſuis injunxit, ut quæ ipſe obſcurius dixiſſet, publice & coram omnibus perſpicue annuntiarent. Hinc *Paulus* Act. 20. Epheſiorum cœtui valedicturus nihil eorum ſe omiſiſſe teſtatur, quæ ad explicandam ſanctiſſimæ diſciplinæ naturam quicquam conferre poſſent. Et quid opus verbis? Cum ex libris N. Teſtamenti unice nobis conſtet,

pore Viri Docti & prudentes obſervarunt, intelligunt, cum autem manifeſtiſſimum ſit Doctores tertii & ſq. Seculorum hanc diſciplinam ex præceptis Ethnicorum, Sacriſque eorum petiiſſe, cauſam non video cur dicamus, Auctores Diſciplinæ Arcani Chriſti in docendo methodum duntaxat imitari voluiſſe. Tenzelius & Bingham, circa finem Seculi II. ortam hanc diſciplinam putant; Dallæus vero, Mejerus, aliique demum quarto Seculo inventam exiſtimant. Non errabimus, ſi initium tempore Tertulliani, progreſſum vero ſequentibus Seculis fuiſſe dicamus.

ſtet, quæ fuerit Chriſti & Apoſtolorum docendi ratio, quæ Sacramentorum & Diſciplinæ Sacræ conſtitutio, nihil autem plane de hac *Diſciplina Arcani* in iis traditum vel præſcriptum ſit; nemo non videt, aliunde hanc conſuetudinem eſſe arceſſendam. Adfert quidem *Cl. Pfaffius* quædam loca N. Teſtamenti, probaturus, Chriſtum & Apoſtolos quasdam Diſciplinæ ſacræ partes ſæpe occultaſſe (*g*). At ſi ſingula ordine expen-

(g) Hoc ut pateat, unum alterumve locum à Cl. Viro adductum proferamus. Pag. 152. provocat ad Math. XVI. v. 21. 22. Hoc loco præcipit Chriſtus ſuis diſcipulis, ut nemini dicerent, quod ipſe eſſet Jeſus Chriſtus. verſu 16. confeſſi ſunt diſcipuli, ipſum eſſe Meſſiam, & proxime poſt hoc interdictum perſpicue eos edocuit de futura ſua paſſione & reſurrectione. Nihil igitur, ipſos diſcipulos quod attinet, heic loci celavit. Hoc unum poſtulat, ut ſine neceſſitate & promiſcue de hoc argumento non loquerentur, ne ſibi moleſtias faceſſerent. Vide quid ad h. l. erudite moneat Grotius. idem fere dicendum de loco Joh. XVI. 12. in quo Chriſtus ait: ἐτι πολλα ἐχω λεγειν ὑμιν ἀλλ᾽ ὀ δυνασθε βασαζειν. ſi conſeq. perpendamus, nihil aliud ſignificare S. Soter voluit, quam, diſcipulos adminiſtrationis divinæ rationem jam quidem capere nondum recte poſſe, venturum tempus, quo id clarius & evidentius perſpecturi ſint. Provocat inſuper Cl. Pfaffius ad parabolas à Chriſto adhibitas. v. gr. Luc. VIII. v. 10. & qui huic parallelus eſt Matth. XIII. v. 11-15. ſi poſteriorem locum ultra modum urgeremus, ſequeretur, Chriſtum nonſolum data opera obſcure eſſe locutum, ſed & id eum in finem feciſſe, ut illi, qui ipſum non intelligerent, damnentur; quod ſane ab Optimi Soteris animo alieniſſimum erat: miſſis V. D. ad h. l. interpretationibus, breviter verba Chriſti ita παραφραζω.

„ Quæ-

expendimus, nihil aliud ptobant, quam, Chriſtum & Apoſtolos, pro ea, qua florebant, divina animorum & ingeniorum cognitione, prudentiæ legibus in

" Quæritis diſcipuli, cur parabolis ſæpiuſcule utar neque aperte huic turbæ mentem meam explicem. Sciatis igitur, pleroſque eorum glebæ adfixos, indignos eſſe, quibus omni data occaſione plane, dilucideque veritatem dicam: qui enim conceſſis beneficiis recte utuntur, digni ſoli quibus plura concedantur; qui autem iis ipſis abutuntur quæ ad manus ſunt, indigni ſunt, quos majoribus exornes donis; digniores imo, quibus ea ipſa, quæ conceſſa ſunt, auferantur. Hæc cauſa eſt, cur parabolis jam quidem, non perſpicuo ſermone utar. Hanc turbam intus & in cute novi, videntes non vident, id eſt, ea, quæ non ſemel dilucide absque ſimilitudine iis dixi de cœleſti mea doctrina, intelligere, & ad animum revocare nolunt; quæ ergo cauſa eſſet, cur videre nolentibus, id eſt cæco adfectu abreptis, clarius loquerer? ſimiles ſunt iis, de quibus Jeſaias locutus eſt &c.„ Ex univerſo ſermone Chriſti adparet, antea ſæpiſſime Chriſtum perſpicue tradidiſſe ea, quæ ad percipiendam ſanctiſſimam ſuam diſciplinam facere poſſent. Verba enim *videntes non vident*, alium ſenſum non patiuntur. Quod Apoſtolos attinet, nemo non conceſſerit, eos prudentiæ legibus uſos in doctrina Jeſu Chriſti promulganda, & huc faciunt loca, quæ Cl. Pfaffius adducit, nimirum 1. Corinth. III. 2. Hebr. V. 11. Quod ad ἄῤῥητα illa ῥήματα, quæ audiviſſe ſe teſtatur Apoſtolus 2. Corinth. XII. attinet, ſine dubio talia non erant, quæ noſſe univerſi cœtus Chriſtiani intererat. Unde & ad Diſciplinam hanc Arcani probandam nihil faciunt. Cætera loca mitto. Hoc unum quod attinet, moneo, Cl. Virum contra locum Pauli Act. XXV. 27. quem in ipſa Oratione adduxi excipere, hic

in docendo uſos, atque ad mores hominum ad Religionis Chriſtianæ profeſſionem adducendorum ſeſe attemperaſſe; at hoc ad rem nihil facit. Quæritur hoc unum, utrum Chriſtus & Apoſtoli data opera, iis, qui Religioni Chriſtianæ nomen dare volebant, aut obſcure, vel plane non explicuerint, naturam Myſteriorum atque Sacramentorum, aut peractis demum & toleratis multis exercitationibus, ad Baptiſmum & S. Cœnam admiſerint; atque hoc eſt, quod probari poſſe negamus. Quod *Cabbalam* Judæorum ſpectat, novimus quidem, Magiſtros, homines nugivendulos, dicere, Deum Moſi in monte Sina arcana quædam Myſteria revelaſſe; ea per Viros Sanctos ad Judæorum Doctores fuiſſe delata, ac nonniſi iis, qui divinioris mentis ſint, eſſe explicanda. Quo fundamento autem hæc nitantur, nemo non videt. Chriſtiani Doctores, excepto *Origene* & *Hieronymo*, linguæ Hebraicæ erant ignari., Conſuetudo allegorice cuncta interpretandi, ex ignorantia, inepto Eloquentiam oſtendendi ſtudio, & moribus Philoſophorum fuit orta. *Cabbalam Philoſophicam* recentiorem eſſe, & ex *Pythagorico-Platonicis principiis* repetitam, ſole clarius eſt. *Philonis Judæi* atque antiquiſſimorum Eccleſiæ Doctorum ſcripta atque decreta ſatis oſtendunt, eos *Cabbaliſtarum* nugas ignoraſſe, atque aliunde plane, quæ à diſciplina Chriſti abhorrent, adſciviſſe (*b*). Reſtat, ut dicamus, hanc *Arcani*

hic de converſis, non vero initiandis ſermonem eſſe; at præterquam, quod Cl. Vir hic ſupponit, aliter Apoſtolos cum initiandis, aliter cum fidelibus egiſſe, de quo tamen quæritur, ipſemet pag. 154. fatetur, ex libris N. Fœderis diſcrimen inter Catechumenos & fideles probari haud poſſe.

(*b*) De Cabbala Judæorum omnium inſtar eſt conſulendus Doctiſſimus Brukerus Hiſt. Philoſoph. Tom. IV. parte ſecun-

Arcani Diſciplinam è *Gentilium Sacris* atque *Philoſophorum Decretis* fuiſſe petitam. Notum eſt, ætate Chriſti & Apoſtolorum, maxime autem proxime ſequentibus Seculis, Philoſophiam Pythagorico-Platonicam maximo ardore à Chriſtianis, Judæis, & Gentilibus fuiſſe excultam, cujus rei innumera extant in Veterum monumentis veſtigia. Quod ſi ritus circa Diſciplinam Arcani uſurpatos rite & per partes conſideremus, eaque quæ apud Philoſophos, Pythagoricos cumprimis, & Sacrorum Antiſtites inter Paganos peragebantur, conferamus; manifeſtiſſimum erit, Auctores primos *Diſciplinæ Arcani* ſanctiſſimæ diſciplinæ formam decretis & moribus Philoſophorum attemperare voluiſſe; quod brevi ſpecimine demonſtrandum eſt. Dividebant Philoſophi Pythagorico-Platonici univerſam Philoſophiam in duas partes, teſte *Hierocle* in Aurea Carmina Pythagoræ. *Priorem* vocabant καθαρτικην, *poſteriorem* τελικην; prior mentem *purgare*, poſterior *perficere* dicebatur. Ita *Hierocles* definiebat καθαρσιν rem talem qua purgamur ἀπο τῆς ὑλικης ἀλογιας καὶ τȣ̃ θνητȣδȣς σωματος *à fæce rationi contraria mortalique corpore*. Huic jungebant mentis in ſe ipſam veluti converſionem aliquam, putantes, animum conſcium ſuarum virium & à vinculis corporis, ſordibusque materiæ liberatum, ante omnia in ſe verti, cæteris, quæ extra ſunt, oblivioni veluti traditis, & ut ad ſe nihil pertinentibus è memoria ejectis, hoc vocabant ἐπιςροφην εἰς ἑαυτον, quam deinde excipiebat ἄνοδος ſeu aſcenſus; volebant enim mentem puram, & ab omni contagione corporis liberatam, collectis quaſi ex ſe ipſa viribus, deſerere hæc inferiora ferrique ſurſum & cœleſtia divinaque petere, atque ad ipſum principium

ſecunda. Quod Cabbalam Philoſophicam attinet, ex eodem fonte promanavit, quo Diſciplina Arcani, quod idem Vir Doctiſſimus pleniſſime oſtendit, cum quo conferendus Basnage Hiſtoire des Juifs. alios taceo.

cipium ſuum verti. Hunc ſtatum mentis humanæ vocabant *ἀφαιρεσιν τῶν ἀλλοτριων, ἀποδοσιν τῆς οἰκειας ȣσιας, τελειοτητα*, &c. *Pythagoras* diſcipulos ſuos in *τȣς ἔξω* & *τȣς ἔσω* diſpeſcebat. Illi dicebantur velut *extranei*; & nondum in ſecretiora Philoſophiæ dogmata admisſi. Hi veluti *interiores* & participes ſecreti omnis. Teſtis eſt *Jamblichus* de *vita Pythagoræ* Lib. I. Cap. 17. *Αυτοι δε οἱ μεν* (inquit) *ἄξιοι ἐφαινοντο τȣ μετιχειν δογματων ἐκ τȣ βιȣ καὶ τῆς ἀλλης ἐπιεικείας κριθεντες μετὰ την πενταετη σιωπην ἐσωτέρικοι λοιπον ἐγινοντο*, i. e. *Qui vero digni apparebant, ut participes dogmatum fierent, partim ex vita, partim ex cætera moderatione animi judicati, poſt quinquennale ſilentium demum fiebant Eſoterici.* Diſcipulos Pythagoras, antequam tempus admiſſionis effluxerat, variis iisque duriſſimis exercitationibus explorare ſolebat, non ſolum ſiti & inedia, ſed etiam igne ferroque patientiam ſuam exercere cogebantur. Idem *Jamblichus* loco cit. cap. XVI. *In univerſum* (ait) *circa doctrinas & Inſtitutiones labores adhibendos cenſuit, circa innatas quoque omnibus immoderationes ac cupiditates varia ſupplicia & pœnas & amputationes ferro igneque varias adhibere inſtituit præcepitque, quales ſuſtinere queat nemo qui ſit malus.* Sublimium rerum *occultatio Pythagoræ* etiam & diſcipulis perquam erat familiaris, hinc *Jamblichus* de vita Pythagoræ diſerte: *Secundum rationem exotericam ſimul & acroamaticam expoſitione illuſtrabimus ſymbolum unumquodque; non permittentes ea; quæ arcana ſunt & ſilenda coram iis, qui nondum in interiorem diſciplinam ſunt recepti, divulgari.* Idem de *Pythagoræis* Cap. XXXII. *Nihil eorum, quæ alicujus momenti eſſent, patiebantur prodire in vulgus. Sed quæ longo temporis ſpatio tum docebantur, tum diſcendo percipiebantur, intra privatos tantum parietes cognoſcebantur. Cum externis vero & ut ſic dicam profanis, ſi quandoque uſus ferret congrediendum eſſe, nequaquam Myſteria ſua enuntiabant; ſed per Symbola & arcanas teſſeras obſcure latenterque ſibi mutuo ſenſa mentis ve-*

G luti

luti ænigmatibus ſignificabant (*i*). Eum in finem etiam, teſte *Porphyrio* de vita *Pythagoræ*, num. 3. *Dorica* utebantur *Dialecto* Pythagorici. Cum enim quæſiviſſet, quare ſic perierit Philoſophia Italica, reſpondet: πρωτον μὲν διὰ τὸ αἰνιγματωδες, ἔπειτα διὰ τὸ καὶ τα γεγραμμενα Δωρ. διγεγραφθαι, ἐχουσης τὶ καὶ ασαφες τῆς διαλεκτου, μηδὲν διὰ τουτο ὑπονοεισθαι, i. e. *primum quidem quod ænigmatibus eſſet involuta, deinde quod omnia eorum ſcripta Dorice eſſent ſcripta, nam cum ipſa Dialectus quid obſcuritatis habeat, hanc ob cauſam nec dogmata ea Dialecto conſignata poterant intelligi* (*k*). Neque ex præceptis duntaxat Pythagoræ & Sectatorum, ſed ex ritibus paſſim apud Gentiles in Sacris receptis multa ad *conſtituendam Arcani Diſciplinam* à Chriſtianis Doctoribus petita fuiſſe, clariſſime conſtat. Habebant, ut notum eſt, Græci plurima Sacra, ut *Matris Deum, Bacchi, Mithræ, Iſidis, Hecatæ, &c.* Hæc vocabant *Myſteria*, operationem ſacrorum μυησιν, qui vero ea percipiebant μυεισθαι aut τελεισθαι dicebantur. *Ratio eorum ſacrorum in univerſum erat*, (verba ſunt Caſauboni Exercitat. XVI. in Baronium:) *ut qui ſe diſciplina imbuendos traderent, paulatim purgati ab hujus vitæ inquinamentis & peccatorum ſordibus, per certos gradus & definita temporum intervalla, ad neſcio quorum ingentium arcanorum perceptionem atque notitiam perducerentur*. Luſtrationem autem per aquam, antequam in Adyta templorum admitterentur, inprimis in uſu fuiſſe notum eſt. Hinc *Apulejus* initiationis ſuæ mentionem faciens cap. XI. ait: *Stipatum me religioſa cohorte deducit ad proximas Balneas & prius*

(*i*) Confer plura apud Schefferum de Conſtitutione Philoſoph. Italicæ. pag. 90. Edit. Wittenberg.

(*k*) Pythagorici alias inſuper adducebant cauſas, cur hac dialecto uterentur. vid. Scheff. pag. 134. & Cl. Brukeri elegantiſſ. Diſſertat. de numeris Pythagoræ, Doctiſſimi Schelhornii Amœnitatibus inſertæ. Tom. VI. pag. 209.

prius ſueto Lavacro traditum, præfatus Domini veniam, puriſſime circumrorans abluit. Peragebantur hæc initia adhibitis quibusdam ſymbolis, quæ ad certarum rerum recordationem erant inſtituta, quod ex *Julii Firmici* libello, ut de aliis nihil dicam, ſatis ſuperque conſtat; ita nonſolum aquam & panem in quibusdam ſacris, ſed & myſticas quasdam voces adhibitas, veterum conſtat monumentis (*l*). Qui ad Myſteria hæc percipienda admitti volebant, graviorum peccatorum confesſionem prius edere tenebantur. Teſtis eſt *Plutarchus* in Laconicis dicens: *Cum aliquis Myſtagogus Laconem initiaret,*

G 2

(*l*) Vide Caſaub. Exercit. XVI. pag. 483. Tangit inprimis multa huc pertinentia Arrianus Diſſertat. Lib. III cap. 21. pag. 306 Edit. Cantabrig. inter alia ſic loquitur ex Verſione H. Wolfii: Quid aliud homo, niſi Cereris initia divulgas? Domicilium, inquis, eſt Eleuſine; Ecce & hic. Illic Sacrorum Antiſtes; Et ego faciam Antiſtitem. Illic præco; Et ego Præconem inſtituam. Illic facifer; Et ego faciferum. Illic faces; Et hic. Voces eædem; eadem rei gerendæ ratio. Quid hæc ab iſtis differunt? Homo impiiſſime, nihilne differunt? pro ratione loci & temporis proſunt: Item adhibito ſacrificio, adhibitis precibus, caſtitate, animoque ſic affecto, quod ſis ad ſacra acceſſurus vetuſtasque cærimonias. Sic initia fiunt utilia, ſi eam præbeant opinionem, quod erudiendæ & corrigendæ vitæ cauſa hæc ab Antiquis omnia fuerint inſtituta. Tu vero ea enuntias, & prodis alieno tempore, non in loco, ſine ſacrificiis, absque ſana mente. Non ea tibi veſtis eſt, quæ Sacrorum Antiſtitem deceat; non coma, non ſtrophium quale requiritur, non vox, non ætas: non caſte vixiſti ut ille, ſed cum ſolas voces memoriæ mandaris, dicis, ſacræ ſunt illæ voces ipſæ per ſeſe. Alio modo ad hæc accedendum eſt: magna res eſt, arcanum eſt, non pervulgatum, nec ejus generis, quod cuivis communicetur.

ret, interrogavit eum, cujus facinoris maxime impii ſibi conſcius eſſet. Gravioribus ſceleribus contaminatis *aditum* ad illa Myſteria fuiſſe *occluſum*, vetus formula, *procul hinc, procul ite profani*, fidem facit. Hinc teſte *Suetonio* Cap. XXXIV. *Nero* poſt occiſam matrem *Eleuſiniis Sacris intereſſe* auſus non eſt. Nihil jam dicam de certis initiationis ritibus, abſtinentia à Venere, cibo, lotionibus, comæ ac veſtium compoſitione. Commemorabile eſt, quod quemadmodum Chriſtiani in ſacris habebant ſua ἀντίφωνα, vel ὠδὰς ἀντιφώνȣς, ita ſimiliter hunc ritum in quibusdam Sacris Gentilium ante fuiſſe uſurpatum. Notat *Caſaubonus* ex *Ariſtophanis Scholiaſte*, in quibusdam ſacris Bacchicis Daduchos aut alios Miniſtros ſacrorum ſolitos adſtantium coronam ita compellare: αἰνεῖτε Θεὸν *laudate Deum*, illos autem reſpondiſſe Σεμαλήϊ Ἴακχε πλȣτοδότα. *O Semelæ fili Jacche, Opum Largitor.* Eosdem diligentiſſime non ſolum caviſſe, ne horum ſacrorum ἀμυήτοις arcana innoteſcerent, ſed & graviſſimis pœnis transgreſſores puniviſſe, innumeris veterum locis conſtat. Quid *Diagoræ, Orphei, Cabirorum*, & *Eleuſinia Sacra* publicanti contigerit, notum eſt. *Livius* libro XXXI. hoc exemplum adducit: *Arcananes* (inquit) *duo juvenes per initiorum dies non initiati templum Cereris imprudentes Religionis cum cætera turba ingreſſi ſunt. Facile eos ſermo prodidit, abſurde quædam percunctantes: deductique ad Antiſtites templi, quum palam eſſet per errorem ingreſſos, tanquam ob infandum ſcelus interfecti ſunt.* Mitto brevitatis gratia multa alia, quæ ad hoc probandum adduci poſſent. Hæc ſi quis cum ritibus in *Doctrina Arcani* uſurpatis diligenter contulerit, conſtabit, illos ritus non à Chriſti & Apoſtolorum diſciplina, ſed Philoſophorum præceptis, & Gentilium Sacris, eſſe petitos (*m*).

Sed

(*m*) Huic ſententiæ addicti Caſaubonus, Albertinus, Meye-

Sed audiamus tandem rationes, quibus induci ſe paſſi ſunt Veteris Eccleſiæ Doctores, ad *Diſciplinam Arcani condendam* atque ſtabiliendam, easque ad rectæ rationis leges expendamus. Tres autem potiſſimum ab Antiquis allatas eſſe deprehendi hujus ſilentii cauſas, quarum *Prima* hæc erat: *Ne Pagani & nondum Initiati rituum à Chriſtianis adhibitorum ſimplicitate, Myſteriorum contra ſublimitate offenderentur.* Ita *Chryſoſtomus Homil. 23.* in Matthæum: *Myſteria* (inquit) *clauſis ianuis celebramus, & eos qui nondum initiati ſunt, adeſſe prohibemus, non quia infirmitatem Myſteriorum aliquam deprehendimus, ſed quia ad participationem eorum illi adhuc quos arcemus infirmi ſunt* (*n*).

Meyerus, Tenzelius, Sam. Basnage, Joh. Clericus aliique. De Eleuſiniis Sacris confer Meurſium Cap. XX. & V. D. notas ad Tertulliani, Arnobii. M. Felicis, Athenagoræ &c. Apologias. de præceptis Philoſophiæ Pythagorico Platonicæ Brukerum, Schefferum, Buddei Analecta, &c.

(*n*) Ad primam illam ut & duas ſequentes Patrum rationes vide Meyerum, Caſaubonum, Bingham, qui plura adducunt loca. Caſaubonus, poſtquam primam illam Patrum rationem ſacra occultandi adduxiſſet & teſtimonio Cyrilli confirmaſſet, ita ait: Et veriſſime hoc dicit Cyrillus: nam quis à fide alienus paganus, aut Catechumenus in fide nondum confirmatus, myſterium noſtræ per aquam regenerationis, aut manducationis carnis Chriſti in Cœna Domini, ſine ſcandalo aut riſu audiat? ita paſſim in hac Exercitatione XVI. veterum conſuetudinem laudat. Nemo qui ingenium Caſauboni perſpectum habet, atque novit, quibus cummaxime Literis per omnem fere vitam vacaverit, mirabitur, eum ita judicaſſe. Talia ingenia, cum de diſciplinis Philoſophicis & Theologicis ſermo eſt, ut plurimum cœcutiunt. Ne quis putet, me audacius quam par eſt de Caſaubono judicium ferre,

At hæc ratio, utut ſpecioſa, nullius roboris mihi eſſe videtur. Tantum abeſt, ut *rituum ſimplicitas* ſapientum animos offendere, ut potius nihil magis eos ad publica Chriſtianorum Sacra amplectenda inducere debuiſſet. Quo quis magis caſtæ ſanctiſſimæque Religionis cogni-

ferre, teſtem adducam fide dignum, Eruditiſſimum, quique Caſaubonum magni fecerat. Is eſt J. Clericus, qui Bibl. choiſie Tomo XIX. pag. 228. de Exercitationibus illius contra Baronium agit, & poſtquam opus illud plenum Eruditione eſſe dixiſſet, hæc inter alia addit: mais il y a trois choſes qui ont fait dire, que Caſaubon avoit entrepris un Ouvrage au depuis de ſes forces, en voulant refuter Baronius. La premiere eſt, qu'il n'avoit pas aſſez médité les premiers principes de la Theologie, entre lesquels eſt par exemple celuici, qu'il ne faut rien propoſer comme de foi, que ce, qui eſt en termes exprés dans l'Ecriture ſainte, ou qu'on en peut tirer par une conſequence neceſſaire. - - Je dirai ſeulement à l'egard de la premiere, qu'on n'a qu'à lire l'article XLII. de l'Exercitation XVI. où Caſaubon montre, que les Peres par une pieuſe condeſcendance, comme il le dit, avoient appellé l'Euchariſtie un Myſtere, & avoient établis diverſes ceremonies, qui y ont du rapport, conformes à celles des Payens dans leurs Myſteres. Caſaubon trouve tout cela fort bon, au lieu qu'il l'auroit du blamer. Un bon Theologien Proteſtant ne reconnoitra jamais qu'il ſoit bien, de donner des noms tirez de la Religion Payenne aux ceremonies du Chriſtianiſme, de les imiter dans leurs rites, de raiſonner la-deſſus, comme ſi l'on pouvoit tirer des conſequences d'expreſſions Payennes inconnues, à cet egard, aux Apotres: & enfin ſe former des idées de ce qui regarde l'Euchariſtie conformement à ces manieres de parler. On ne peut changer

cognitione eſt imbutus, & amore ejus tactus, eo magis etiam ſentit, primam & præcipuam illius partem mentis ad Deum converſione, virtutum divinarum æſtimatione, officiorum à recta ratione præſcriptorum præſtatione; non vero vario atque multiplici rituum adparatu conſtare. Et quid habet tandem Baptiſmus & S. Cœna, quod homines offendere poſſit? non hic pudenda Sacra, ineptæ & ridiculæ ceremoniæ, quæ apud Gentiles locum habebant, atque à ſapientibus explodebantur. Cuncta, uti ex *Juſtino* M. ſupra audivimus, mira ſimplicitate peragebantur. Quod ſi tamen Patres illi exiſtumarunt, Paganos & Catechumenos, eo quod naturam Sacramentorum minus recte perciperent, abjecte de his Myſteriis ſenſuros eſſe, tantum aberat, ut obſcure de his loqui aut plane tacere debuiſſent, ut potius horum rituum naturam atque finem ſimpliciſſimis verbis explanare debuiſſent. Pagani & Catechumeni non erant Infantes, quos crepundia, & pupulæ delectant, ſed Viri rationis capaces. Facile igitur, ſi ſerio animum ad Religionis Chriſtianæ profesſionem adjunxerunt, edoceri potuiſſent, quis ſit finis atque natura rituum in ſacris adhibitorum. Inter prima Religionis Chriſtianæ Capita, quæ tradenda iis erant, ſine dubio hoc erat: Jeſum Chriſtum verum eſſe Mesſiam, eumque in gratiam generis humani ea omnia feciſſe & perpeſſum eſſe, quæ in Sacris Literis traduntur. Dudum autem monuit *Paulus*, quantopere Paganorum

ger les noms de choſes en matieres de Religion, ſans beaucoup hazarder: parce qu'avec ces nouveaux noms, on introduit des nouvelles idées, comme il eſt arrivé ſur la matiere de l'Euchariſtie. Caſaubon lui-même ne croyoit une ſorte de preſence reelle, que parce qu'il avoit la tête échauffée de ces expreſſions des Peres, qui ne ſont point juſtes, & qui n'ont aucun fondement dans la premiere inſtitution.

norum & Judæorum aures menteſque audito hoc Chriſtianorum dogmate offenderentur; non impedivit tamen ille contemtus neque *Paulum*, neque alios ſanctiſſimæ diſciplinæ alumnos, quominus *publice* & *privatim*, ringentibus licet veritatis hoſtibus, ſaluberrima hæc præcepta ingeminarent. *Chriſtus* ipſe, ſapientiſſimus ſine dubio Doctor, omnibus veritatis cupidis, & cœleſtis ſapientiæ amore incenſis, ſine ambagibus, multorumque rituum adparatu, ad divina decreta audienda aditum conceſſit. Longe aliter Patres noſtri; obſcure illi loquuntur data opera, eaque ſacro involvunt ſilentio, quæ clare, perſpicue, publice & privatim fuiſſent edocenda, explicanda, infigenda; quam ſapienter, judicent æqui rerum arbitri. At *ſublimitas* Myſteriorum, inquient Patrum inepti admiratores, eos abſterrere debuit, quo minus perſpicue de hoc argumento loquerentur. Utinam Doctores in eo ſibi conſtitiſſent! Utinam nunquam, quæ ignorarunt, explicare tentaviſſent! at notiora ſunt eheu! quæ de hoc argumento minus caute ab antiquis dicta ſunt, quam ut vobis A. referam. Primis poſt Chriſtum natum Seculis, quarto cumprimis, in publicis diſputationibus de æterna Filii generatione, ejus natura atque ἐνσαρκώσεως ratione, prolixiſſime diſſeruerunt Patres, atque intelligendo ſæpe effecerunt, ut nihil intelligas. Quicquid ratio & Philoſophia auxilii adferre poterat, ad ſublimia hæc & prorſus ἄῤῥητα Myſteria explicanda, id in medium protulerunt Chriſtiani Doctores. Ipſe *Alexander*, Alexandriæ Epiſcopus, teſte *Socrate*, de tremendo hoc Myſterio φιλοτιμότερον ratiocinans, infauſtiſſimorum certaminum, quæ per univerſum Orientem & Occidentem diffundebantur, cauſa extitit; ut de aliis Scriptoribus antiquis nil dicam. Quod ſi igitur exiſtimarunt, Myſteria illa omnem rationem ſupergredi, caute & circumſpecte loqui debuiſſent, non tantum in inſtitutionibus, & ſermonibus ad populum habendis;

dis; ſed & in Scriptis publicis. At aliud eſt prudenter & circumſpecte loqui, aliud prorſus ſilere; aliud fateri, nos naturam alicujus rei rite cognoſcere non poſſe; aliud data opera rem ſua natura captu difficilem obſcuris vocibus exprimere. Prius ſi feciſſent, cauſa non erat cur extimeſcerent non initiatorum contemtum. Qui Religioni Chriſtianæ nomen dare volebant, aut erant Viri *prudentes*, & præceptionum, quibus conſtat Diſciplina Chriſti, *gnari*, aut *Illiterati* prorſus atque *rudes* eorum, quæ inter Chriſtianos docebantur. Quod ad *priores* attinet, dubium non eſt, quin perſpicua Religionis Chriſtianæ explicatione edoceri potuiſſent, nihil in Sacris Chriſtianorum ritibus atque decretis eſſe, quod à Viro ſapiente admitti non poſſet. Certe, ſi Doctores illi veritatem Religionis Chriſtianæ ea ratione probaſſent, qua id à Doctiſſimis ætatis noſtræ Viris factum eſt, facile viros illos ſapientes eo adducere potuiſſent, ut quædam admitterent, quæ ingenio humano perſpicue ſatis explicari non poſſunt; partim quod omnium Philoſophorum confeſſione cognitio de natura & proprietatibus divinis arctiſſimis ſit circumſcripta limitibus; partim quod doctrina de tribus principiis inter celeberrimas diſſentientium ejus ætatis familias erat notiſſima, publiceque recepta. Demonſtrata divina origine Religionis Chriſtianæ, facillimum erat oſtendere, cur ſanctiſſimus noſter Soter memoriam mortis ſuæ certis ſymbolis repræſentari voluerit. Uno verbo, aut dicendum, Religionem Chriſtianam omnibus rectæ rationis decretis refragari, aut non: prius cum communi conſenſu negarent Chriſtiani Doctores, cauſa plane non erat, cur cognitioni Virorum ſapientum ad Religionis Chriſtianæ confeſſionem animum adjicientium explicationem Myſteriorum ſubtraherent. Quoad *rudes* vero, & diſciplinæ ſanctiſſimæ *ignaros*, dubium non eſt, quin prudenti opus fuerit inſtitutione. Edocendi ſine dubio erant publice & privatim prima

Religionis Chriſtianæ Elementa, atque ſenſim ſenſimque ad altiora fuerat progrediendum; at obſcuritas verborum, excluſio à Sacris, hoc efficere certe non poterat.

Secunda, quam Patres adducebant, ratio hæc erat: *Ut in animis hominum Reverentiam erga Myſteria Religionis excitarent.* Ita *Baſilius* de Spiritu S. Cap. XXVII. ait: *Myſteriorum veneratio ſilentio conſervatur. Auguſtinus* Serm. I. inter XL. editos à *Sirmondo* ait: *Non mirari debetis fratres Chariſſimi, quod inter ipſa Myſteria de Myſteriis nihil diximus, quod non ſtatim ea quæ tradidimus interpretati ſumus, adhibuimus enim tam ſanctis rebus atque divinis honorem ſilentii.* Hæc ratio ejusdem ponderis eſt, qua prior. Hactenus ego pro mea ſimplicitate exiſtumavi, eum demum alicujus rei *veneratione tactum iri*, qui illius naturam atque ſingularem præſtantiam cognitam atque perſpectam habet; at ſi Patribus credendum, contrarium plane verum eſt. Hi ut admirationem in animis hominum excitent, non ſolum profundo rem cognoſcendam involvunt ſilentio, ſed & data opera iis utuntur vocibus, quæ notitiam rerum graviſſimarum impediunt. Mira hæc & inſolita vel potius inepta agendi ratio. Ob ſublimitatem, ajunt Doctores noſtri Myſteriorum, nihil de Myſteriis coram initiatis loquimur; at hæc ipſa ratio, hoc ipſum ſilentium venerationem & admirationem in animis horum hominum excitare debet. Plane hic Doctores Chriſtiani *Gentiles* imitantur, penes quos, teſte *Demetrio Phalereo*, τὰ μυϛηρια ἐν ἀλληγοριαις λεγεται προς ἐκπληξιν καὶ φρικην ὥσπερ ἐν ἀδυτω καὶ νυκτι. i. e. *Myſteria allegoriis exprimuntur ad terrorem & horrorem tanquam in adyto & nocte,* & judice *Tacito* in *Agricola* Cap. XXX. *Omne ignotum pro Magnifico eſt.* Hos ipſos tamen acerbe Chriſtiani perſtrinxerunt propter Arcana, nonſolum quod fœda eſſent & ab honeſtate aliena, ſed & quod ineptum eſſet celare id, quod tantopere extollas. Dubium non eſt, quin hac ratione multos nondum initiatorum in eam adduxerint ſententiam, ut crediderint,

diderint, res obſcuras neque magni momenti tantopere tegi; intereſſe Doctorum illorum, ne in plana hæc Myſteria collocarentur luce, alias omnibus promiſcue explicaturos. Certe non ita Chriſtus, non ita Apoſtoli ratiocinabantur; diſerte, rotunde, clare, ſed modeſte tamen & prudenter, de rebus hiſce graviſſimis locuti ſunt.

Sequitur *tertia*, & ultima ratio. Nimirum *ut Myſteria hæc cognoſcendi deſiderium in Catechumenis tanto magis acueretur. Si Catechumenis* (inquit) *Auguſtinus Homil.96. in Johannem, Sacramenta fidelium non produntur, non ideo fit, quod ea ferre non poſſint, ſed ut tanto ardentius ab iis concupiſcantur, quanto eis honorabilius occultantur.* Hæc ratio *Auguſtini* contraria eſt Canoni inter omnes recepto: *ignoti nulla cupido.* Nemo ſane unquam aliquo ingenii conatu animum diſcendæ alicui arti vel diſciplinæ adjunget, quæ prorſus illi eſt ignota. Solent hoc quotidie optimarum artium & diſciplinarum Doctores experiri. Appetitus & deſiderium demum rei notitiam conſequitur. Impoſſibile igitur fuit, ut homo à Religionis Chriſtianæ profeſſione alienus, ſingulari deſiderio cognoſcendæ veritatis tangeretur, ſi Doctores ipſi pedibus manibusque obniſi ſunt, quominus indolem atque naturam tantarum rerum cognoſcerent. Aliud eſt, ſi de lapſis ſermo ſit, qui dudum cœleſtium præceptionum participes facti, ob graviſſima peccata tamen indigni habiti, quibus ſanctiſſima doctrina, turpiter neglecta, imo pedibus conculcata, clarius ingereretur.

Atque hæ *præcipuæ* ſunt *rationes*, quas Veteres adduxerunt ad Diſciplinam illam Arcani commendandam & uſurpandam. Utrum vobis graves & ponderoſæ videantur, ego quidem neſcio. Mihi, ut molliſſime dicam quod ſentio, non ſolum à *ratione alienæ* eſſe videntur, ſed & *tantorum Virorum perſonis indignæ.* Rationes cur ita ſentiam in medium produxi. At plura ſunt, quæ diſciplinæ illi opponi poſſunt.

Et

Et *primo* quidem manifeſtum eſt, allegoricas illas & obſcuras voces, quibus uſi ſunt veteres de S. Cœna loquentes, portentoſum tandem illud *Tranſubſtantiationis* dogma, in Religionis Chriſtianæ opprobrium, peperiſſe; atque effeciſſe, ut quod ſua natura aptum eſſet, vivam aliquam & admirabilem mortis Chriſti imaginem in animis hominum excitare, in ſcenicum & ludicrum degeneraverit actum. Hinc Viri Doctiſſimi, & in Antiq. Eccleſiaſtica verſatiſſimi, de *obſcuritate Patrum* circa hoc argumentum conqueſti ſunt (*o*). Quam rectius

(*o*) Cl. Dallæus, Vir ſi quisquam alius in Scriptis Patrum verſatus, in aureo libello de Uſu Patrum, Lib. I. Cap. 5. inter alia hæc ait: Cum ergo tum in hoc argumento, tum in aliis, ipſis propoſitum fuerit, mentem ſuam caligine quadam veluti involvere, non debet mirum videri, ſi quæ ſcripſerant ſæpe ſint obſcura, & (quod obſcuritatem conſequitur) ſi aliquando ſecum ipſi pugnare videantur. Mitto aliorum Virorum doctiſſimorum inter noſtros, ut Claudii, Albertini, Basnagii, Pfaffii, querelas. Hinc ſæpe dubitavi, utrum præſtantiſſimi inter Proteſtantes Viri operæ pretium fecerint, quod tanto labore & ſtudio de opinionibus Patrum circa Cœnam Domini inveſtigandis fuerint ſoliciti. Nemo ignorat labores Claudii adverſus Arnaldum, aliosque. Cum principium credendorum Proteſtantes dicant eſſe Verbum Dei, quid lucrantur tandem, poſtquam immenſo labore ex obſcuriſſimis Patrum de hoc argumento locutionibus probarunt, eos Tranſubſtantiationem non credidiſſe? hoc unum, nempe conſtantem Traditionem deeſſe Eccleſiæ R. Doctoribus. Cum autem evidentiſſime demonſtrari poſſit, Tranſubſtantiationem non ſolum S. Literis, ſed & rationi & ſenſibus contrariam eſſe, imo manifeſtiſſimam eſſe contradictionem, quid refert tandem noſtra, utrum hic vel ille Eccleſiæ Pater obſcure vel clare de hoc argumento

rectius feciſſent optimi Viri, ſi perſpicue mentem ſuam explicuiſſent, atque myſteria non feciſſent ubi nulla erant, ea vero quæ omnium confeſſione talia ſunt, obſcuris terminis non obfuſcaſſent!

Secundo fieri hac ratione aliter non potuit, quam ut pauciſſimi veram aliquam atque genuinam Sacramentorum indolem atque naturam perceperint. Cum de *Baptiſmo* & *S. Cœna* loquuntur Patres, aut data opera minus perſpicue locuti ſunt, aut iis utuntur vocibus, quibus non poſſis non *majorem vim* tribuere his ſymbolis, quam rei veritas admittit. Atque hæc etiam inter alia cauſa fuit, quod quidam Baptiſmum ad vitæ usque finem protraxerint (*p*); quod multi in cærimoniarum illarum uſu adquieverint, atque exiſtimarint, ſi modo Symbolis illis tandem frui poſſent, de ſalutis certo conſequendæ ſpe dubitari vix poſſe (*q*). Denique, ut alia mittam, per hanc *Arcani Diſciplinam ambitio, dominandique lubido*, quæ quarto jam Seculo altas in plerorumque Epiſcoporum animis radices egerat, magis

mento locutus ſit? Si inde à Juſtini M. vel Ignatii temporibus ad ætatem usque Bernhardi omnes Patres credidiſſent, dari circulum quadratum, credere id tamen, ſi vel maxime vellem, non poſſem; non magis poſſibile eſt credere Tranſubſtantiationem. Non invideo autem labori Doctiſſimorum Virorum, qui antiquiſſimorum Eccleſiæ Patrum de hoc argumento cogitata in lucem protulerunt; at tutior via eſt, ſi ad rectæ rationis decreta & Revelationem recurras. Fruatur autem quisque ſuo judicio.

(*p*) Vide Bingham. Orig. Eccleſ. Librum XI. & Arnold Abbildung der erſten Chriſten, Lib. II. cap. 14.

(*q*) Vide quid Julianus Imperator apud Cyrillum Lib. VII. pag. 245. edit. Spanhemii, & ad finem libelli, cui titulus: *Cæſares*, de hoc argumento dixerit; quamvis enim veritati aliquando calumnias adjecerit, dubium non eſt, quin abuſus eum ad ita loquendum induxerit.

magis magisque fuit *aucta*. Cum enim illi Sacramentorum vim atque efficaciam ſupra modum extollerent, atque ſine eorum participatione omnem ſpem ſalutis decollaſſe adſererent; ſibi autem ſolis ea diſpenſandi poteſtatem vendicarent, palam eſt, multos in eam ſententiam conceſſiſſe, Sacrorum Miniſtros propiore Numinis conſortio frui, illosque, ita volente Deo, de ſalute hominum pro lubitu diſponere. Quam vera ſint, quæ dico, eventus eheu! ſatis docuit.

Ex quibus facile, Auditores, colligere poteſtis, utrum hæc *Arcani Diſciplina* noſtra ætate in *uſum ſit revocanda nec ne*. Alieniſſimum hoc mihi videtur à Seculo quo vivimus. In eam enim incidimus ætatem, qua homines non obſcuris verbis ſibi imponi patiuntur, ſed rationes deſiderant. Diſciplinæ Philoſophicæ & Theologicæ, obſcuritati & examinis fugæ inimiciſſimæ, florent. Ridentur Pontificii Doctores & qui eorum vitula arant, quando in cauſis Religionem ſpectantibus ad Auctoritatem, vel ſacrum ſilentium provocant. Religio Chriſtiana nunquam tam egregie fuit demonſtrata, tam fortiter defenſitata, quam noſtra ætate. Lucem amant omnes, quotquot vera diſciplinarum pretia norunt; non extimeſcimus incredulorum vel cachinnos, vel ratiocinationes. Quem in *finem* ergo introduceretur hæc *Arcani Diſciplina*? Quo jure poſſumus ſperare, homines ingenuos, & amore veri tactos, ſacro ſilentio ab erroribus revocatum iri? Verbo: vel hæc *Arcani Diſciplina* adhibenda eſſet erga homines *luce Revelationis deſtitutos*, vel erga *Deiſtas* & *Revelationis hoſtes*, vel denique erga *Catechumenos* inter Chriſtianos natos, id eſt juventutem. Quod attinet *Paganos* luce *Revelationis deſtitutos*, quos certatim Chriſtiani ad Religionis Chriſtianæ profeſſionem adducere volunt, dubium non eſt, quin ante omnia, ſi nondum cognoſcant, prima Religionis Naturalis Capita edocenda ſint. At ſi hoc ſciunt, num Chriſtiani ſunt? minime, inquies. Ergo

ego

ego inquam, probanda eſt illis Veritas atque divina Origo Religionis Chriſtianæ; provocandum ad miracula Chriſti ejusque reſurrectionem; probandum, eum cœlitus miſſum ad generis humani ſalutem promovendam; atque ita, velis nolis, de Religionis Chriſtianæ Decretis eſt agendum. Sed non intelligunt hæc Myſteria, inquis. At forte illi, qui ad homines illos ignorantiæ tenebris immerſos mittuntur, ſæpe artem recte cogitandi & ratiocinandi ignorant; forte non eo ordine, quo oporteret, in docendo progrediuntur; forte Myſteria faciunt ubi nulla ſunt, aut ubi talia ſunt, luci tenebras offundunt; vel denique explicare volunt, quæ nulla arte & ingenio ſatis definiri poſſunt. Quicquid ſit, id quod à Chriſto traditum eſt, utut difficile captu, tacendum non eſt; noſtrum eſt facere quod poſſumus. Aut enim Homo ille *acri ingenio eſt* inſtructus *aut non.* Si *prius,* innumeris Exemplis rerum ad Religionem non ſpectantium eum edocebis, multa imperfecte cognoſci, pauciſſimaque eſſe, quorum perfectas rationes reddere poſſint mortales; ſufficere, ſi oſtendatur, Myſteria hæc neque inepta, neque rationi plane contraria eſſe. Et quomodo tandem Decreta hæc ſilentio præteriri poſſent, ſi ſingula examinare tenetur Paganus? Si vero *ſtupidus* ſit ille homo, nihil aliud facere poſſis, quam ut intelligat, quantum ingenium ejus capere poteſt.

Quod ſi Te cum hac *Arcani Diſciplina* ad *Deiſtas* convertes, fruſtra eris, & à turba illa rideberis. Homines illi (de Literatis loquimur:) omnes ingenii nervos intendunt, ut probent, nulla plane opus eſſe Revelatione; Religionem Chriſtianam vel eo nomine repellunt, quod ea Myſteriis plena ſit. Hæc impugnant quantum poſſunt. Quid Chriſtiani diverſiſſimarum Sectarum ſentiant, pulchre callent. Quod ſi igitur cum hiſce hominibus congrediendum eſt, certe neque obſcure loquendum, neque examen ſubterfugiendum.

Si

Si cenſes clamites, *Arcana* hæc eſſe, fruſtra eris; probabis, hæc Myſteria nonſolum quantum ſatis eſt cognoſci poſſe, ſed & debere; probabis, ea rectæ rationis principiis non ſolum non eſſe contraria, ſed Deo digna; probabis, nihil à Deiſtis, maximiſque ingeniis, pro vero haberi, quod variis difficultatibus obnoxium non ſit. Deſcendes cum iis in Philoſophiam, multorumque Exemplorum inductione probabis, quam difficile ſit, poſita etiam propoſitionis alicujus veritate, modum atque naturam rerum definire; docebis denique, nihil à Religionis Chriſtianæ Auctore credendum imponi, quod Viro ſapiente, & ingenuo indignum ſit (*r*). Quod ſi hac ratione nihil profeceris, parum te juvabit *Arcani Diſciplina.*

Quod

(*r*) Eruditiſſimi ætatis noſtræ Viri, qui Veritatem Religionis Chriſtianæ demonſtrarunt, perſpicue ſatis hoc oſtenderunt. Cum autem quæ hic dicenda ſunt, in ſummam redegerit Excellentiſſimus Genevenſium Theologus J. A. Turretinus in Tractatu de Veritate Relig. Chriſt. ea in gratiam Theologiæ Studioſorum, non Eruditorum, heic deſcribam. Extant Tom. II. verſionis Gallicæ, factæ per Doctiſſimum Venetum, Eccleſiæ Genevenſis Miniſtrum V. D. præſtantiſſimum; ita autem loquitur Eximius Vir pag. 58. ſq. Et combien n'y a-t-il de pareilles obſcuritez, ſoit dans la Nature ſoit dans l'hiſtoire, & même dans toutes les ſciences? Un Phyſicien trouve à chaque pas de quoi l'arreter. Comment la lumiere arrive-t-elle juſqu'à nous? Comment les rayons ſe modifient-ils pour prendre tant de couleurs differentes? Comment ſe croiſent ils en tout ſens, ſans ſe confondre? D'où vient la peſanteur? Qu'eſt ce qui fait la ſolidité de la matiere? Qu'elle eſt la force ſecrette qui meut les corps? Comment eſt ce que le mouvement ſe communique? Par quel nœud ſecret l'ame eſt elle unie

au

Quod denique ad pueros, quos *Catechumenos* appellare poſſis, attinet, nemo dubitet, quin prudenti atque circumſpecta Inſtitutione opus ſit. Utinam multi eſſent,

au corps? Comment les objets du dehors peuvent-ils agir ſur l'eſprit? Et d'où vient que ma volonté a le pouvoir de commander à mon bras ſans connoitre les reſſorts qu'il faut remuer pour cela? La Geometrie elle-même a des profondeurs impenetrables; ne fuſſent-ce que celles qui naiſſent de la diviſibilité de la matiere à l'infini? Il y a auſſi des faits tres-certains dans l'Hiſtoire, qui ne laiſſent pas d'être des enigmes, quand on en ignore certaines circonſtances. Les choſes les plus communes qui ſe rencontrent ſur notre chemin, dit Mr. Locke, ont des cotez obſcurs, où la vüe la plus perçante ne ſauroit ſe faire jour &c. Et la Theologie Naturelle, dont les Deiſtes ſemblent faire leur fort, eſt-elle exemte de difficultez? Conçoit on facilement, quel eſt le paſſage du Neant à l'Etre? Comment Dieu crée quelque choſe par ſa ſeule volonté? Comment eſt-ce qu'étant ſpirituel il peut agir ſur la matiere? Comment il eſt preſent partout ſans occuper un eſpace? Comment il peut prevoir la determination d'un Etre libre? Et l'idée de l'Eternité de combien d'abimes n'eſt elle pas environnée? Cependant on paſſe par-deſſus ces difficultez, & il le faut bien, parce que dès qu'on voit clairement qu'une choſe doit être, on ne s'embaraſſe pas d'en comprendre la maniere. La vüe de l'eſprit a une Sphere bornée &c. Inde concludit tandem dicens: Puis donc que la Nature eſt pleine de Myſteres, puisque toutes les ſciences ont leurs enigmes, s'etonnera-t-on que la Theologie Chrétienne ait les ſiens? Et au milieu des obſcuritez qui nous environnent, trouvera-t-on etrange, que la Revelation diſe quelque choſe de l'Eſſence divine qui paſſe nos conceptions? Il ſeroit bien plus étonnant que tout fut facile & de plain-pié dans un ſujet ſi Myſterieux & ſi ſublime.

eſſent; qui noſſent, qua ratione Religionis Chriſtianæ præceptiones facillime animis puerorum eſſent inſtillandæ, quod difficilius eſt quam vulgo putatur. At quicquid de hoc ſit, perſpecta ingenii capacitate, ſenſim & per gradus in adyta Religionis Chriſtianæ ſunt inducendi, atque adſuefaciendi, ut quid credant ſciant, rationesque nonſolum dare poſſint, cur his vel illis capitibus adſentiantur, ſed &, ut utilitatem Religionis & videant & ſentiant. Certe hæc methodus cum Catechumenis agendi ingenio ipſorum & naturæ rerum magis erit attemperata, quam Patrum Veteris Eccleſiæ, ad ſilentium & terminorum obſcuritatem confugientium.

Atque ſic A. P. vobis naturam, indolem atque originem Diſciplinæ Arcani à Veteribus uſurpatæ, quantum per tempus licuit, explicuimus; cauſas à Patribus adductas expendimus, atque probavimus, nullas eſſe rationes ſat graves, cur hæc conſuetudo denuo in uſum revocaretur; poſſemus igitur heic Orationi noſtræ finem imponere. At *duo* prius mihi facienda eſſe perſpicio. *Unum* eſt, ut ſpecioſæ alicui occurram objectioni. *Alterum*, ut optimarum Literarum Studioſos breviter edoceam, qua ratione facillime, neglectis etiam regulis quas Diſciplinæ Arcani Auctores commendarunt, incredulis atque veritatis hoſtibus os obthurare poſſint.

Primum quod attinet, facile prævideo non defuturos qui dicant, me magno conatu magnas egiſſe nugas, quod nonſolum conſuetudinem Veteris Eccleſiæ circa Diſciplinam Arcani delineaverim, ſed & probare aggreſſus fuerim, eam denuo in uſum non eſſe revocandam, cum me ipſo confitente jamdiu fuerit abolita, neque quisquam Chriſtianorum cultibus eam commendare in animum induxerit. Meum igitur eſt oſtendere, non prorſus uſu deſtitui, quæ de hoc argumento in medium protuli. Ut autem hoc oſtendam, non retorquebo argumentum oſtendendo, multa à Do-

ctiſſimis

ctiſſimis Viris, *Theologis*, *Philoſophis*, *JCtis*, *Hiſtoricis*, *Criticis*, prolixe ſæpiſſime excuti, quæ cum inſigni in Eccleſiam & Rempublicam uſu conjuncta non ſunt; nec probabo etiam maximi intereſſe, cognoſcere hoc argumentum, quod *Doctiſſimi* inter hodiernos *Eccleſiæ Romanæ Scriptores,* traditiones ſuas excuſaturi, ad hanc *Diſciplinam Arcani*, tanquam ad ſacram quandam ancoram confugiant (*s*). Sed uno alterove exemplo docebo, quod, licet hæc *Diſciplina Arcani* mature in Eccleſia Occidentali fuerit abolita, nihilominus tamen inter Chriſtianos, inde à tempore Reformationis, ad noſtram usque ætatem, talia fuerint publice adſerta atque tradita, quæ à Diſciplina quadam Arcani non multum abhorreant, neque adeo minorem cenſuram mereantur, quam conſuetudo antiquis Eccleſiæ Doctoribus recepta. Nihil dicam de Eccleſiæ Romanæ Doctoribus, qui Examen Religionis Chriſtianis ſeveriſſime prohibent, atque omnes ingenii & eloquentiæ nervos intendunt, ut probent, Examen Religionis cuivis conceſſum infinita poſt ſe trahere mala; non repetam, eosdem Doctores, in tanta Literarum luce, monſtroſum & ridiculum Transſubſtantiationis Dogma quibusvis artibus defendere. De noſtris, id eſt Proteſtantium, liceat hac voce uti, cœtibus aliquid dicam.

H 2   Si

(*s*) Singularem de hoc argumento ſcripſit Diſſertat. Emanuel à Schelſtraten, Vir in Antiquitatibus Eccleſiaſticis probe verſatus, quem ſecutus eſt A. Pagi in Critica in Baronium, aliique plurimi Eccl. R. Doctores, ad ineptiſſimas traditiones defendendas; nuper demum is, qui cum Cl. Verneto congreſſus eſt, Doctor Sorbonicus pag. 71. eadem uſus eſt arte. Quam incerta, imo nullo fundamento nixa ſit hæc diſputandi ratio, pluribus oſtendi poſſet; at vide in compendio Bingham. Antiq. Eccleſ. Lib. X. & Pfaffium Diſſertat. de præjud. Theolog. pag. 163. ſq.

Si quidquam perſpicue in Sacris traditum, & rationi conforme dici poteſt, is ſenſus certe eſt, quem *Reformati* verbis inſtitutionis Sacræ Cœnæ tribuere ſolent. Hæc ipſa explicatio vivam Religionis Chriſtianæ imaginem refert, omniaque complectitur, quæ animum ad amorem ſanctiſſimi noſtri Soteris inflammare poſſunt. Hoc ipſum tamen ſacrum Symbolum, quod ad pacem inter Chriſtianos alendam unice datum fuit, infauſtiſſimarum litium cauſa extitit, ob hanc præcipue cauſam, quod Fratres quidam, clariſſimum & manifeſtiſſimum ſenſum negligentes, Myſterium quæſiverint, ubi nullum eſt. *Magnus Lutherus* inſtitutionis Chriſti verbis pertinaciter inhærens, non vidit, ſe hac ratione ex ſimplici ritu eruere propoſitionem, quæ ne intelligi quidem, nedum à Doctiſſimis Viris explicari poteſt (*t*). Huic tamen *Beati Viri* explicationi etiamnum inhærent Fratres in Chriſto chariſſimi, atque inter alia etiam hanc cauſam eſſe volunt, cur minus in unum coaleſ-

(*t*) Vide quæ inter Celeberrimos Viros, Pfaffium & Turrettinum, occaſione quæſtionis, utrum ἀσυςατα credi poſſint, dicta ſunt. Certe Conſubſtantiationem ita explicari poſſe, ut à Viro ſapiente intelligatur, impoſſibile eſt. Cl. Pfaffius in Diſſertat. de influxu Dogmatis Reformatorum de S. Cœna in Praxin fidei & pietatis. pag. 17. ita ſe explicat: Scilicet ſubſtantiam corporis Chriſti in Euchariſtia non naturali nec carnali & craſſo, ſed ſymbolico, ſed divino, ſed cœleſti modo præſentem ſpiritualiter accipimus, (qui modus manducationis eſt à formula Concordiæ determinatus;) ſed ore tamen corporis accipimus, (quod manducationis organum eſt:) quoniam ore corporis panem accipimus, quo mediante ſubſtantiam corporis Chriſti ſacramentaliter ſpiritualiterque manducamus. Fateor me hanc interpretationem omni adhibita mentis acie intelligere non poſſe. Neſcio quid ſit, ſubſtantiam corporis Chriſti ſpiritualiter edere.

coaleſcamus cœtum. Annon hoc eſt *Speciem Diſciplinæ Arcani in Eccleſiam reducere?* Huc pertinent omnes illi, qui pio quidem ſtudio incitati diſſidentes fratres componere volunt, ſed ad id obtinendum *obſcuris* & *æquivocis* utuntur vocibus, ita ut utraque pars ſenſum quem quærit extundere poſſit. Inter eos eminuit Vir alias de *Cœtu Proteſtantium meritiſſimus M. Bucerus*, qui incredibili ſtudio atque labore, excogitatis dubii ſenſus de verbis Inſtitutionis S. Cœnæ formulis, diſſenſum tollere volens, nonſolum multa agendo nihil perfecit, ſed & utrique parti diſplicuit. *Beatus Zwinglius diſerte* atque *rotunde* de hoc argumento locutus eſt, laudatus ob hoc ab ipſo *Boſſueto*, *Epiſcopo Meldenſi*, ſacris Reformatorum infenſiſſimo (*u*). Utinam omnes, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt, Magnum hunc Virum fuiſſent ſecuti. Verum eſt, inhæret Reformata Eccleſia explicationi, quam præſtantiſſimus ille Vir, vel, ut rectius dicam, ſanctiſſimus idemque infallibilis Doctor J. C. noſter præſcripſit. At ſunt tamen eheu! inter Noſtros, qui manifeſtiſſimum verborum Chriſti ſenſum, ſi non data opera, ignorantia tamen, vel potius neſcio cujus ſapientiæ & pietatis ſpecie obſcurare ſolent. Atque huc refero omnes eos, qui circa hoc argumentum verſantes tot metaphoricis & æquivocis vocibus utuntur, ut vix à plebe, niſi meliora edocta, intelligi poſſint. Dantur *Concionatores*, qui ſe tum demum rite ſuo officio defunctos eſſe putant, ſi (quod Auctores Diſciplinæ Arcani feciſſe audivimus) omnia Emblemata, figuras omnes in unum congerant, exiſtumantes ſe tum omnes Viri Eruditi & Eloquentis numeros impleſſe. At ita rem ſimpliciſſimam mentibus parum acutis ſubtrahunt; ita impediunt, quo minus id quod admirabile & θεῖον eſt in hac optimi Soteris

(*u*) Vide Hiſtoire des Variations des Egliſes Proteſtantes, Tom. I. Lib. III. pag. 100. ſq.

teris inſtitutione homines cernant; ita efficiunt, ut plus ritibus ipſis & ſymbolis concedant, quam rei natura patitur, atque multi etiam neſcio quam præſentiam corporisChriſti ſomnient. Atque hæc conſuetudo adeo inolevit, ut paſſim libelli ad inſtitutionem plebis facti, Cantica item ſacra, metaphoricis vocabulis ſint referti. Præclare de *Pientiſſimo* ac *Doctiſſimo Theologo*, *Drelincourtio* ſentio; at doleo, præſtantiſſimum Virum in libellis, quos de recto S. *Cœna* uſu ſcripſit, quibusve Eccleſia noſtra communiter utitur, tot Emblematibus atque figuratis locutionibus eſſe uſum. Vix rudes, niſi aliunde de vero ſenſu, fine, & natura S. Cœnæ ſint edocti, eum multis in locis intelligere poterunt. At hoc malum ex alio fonte latiſſime ſeſe diffundente promanavit; nimirum hæc diſſerendi ratio ex falſa quadam *Eloquentiæ Sacræ* opinione orta eſt. Sunt multi, qui eum demum *eruditum* & *pium Oratorem* eſſe putant, qui innumeris floſculis, Meteoris, Metaphoris, Figuris & Emblematibus Auditorum ſenſus demulcere, & quicquid ingenium atque facultas imaginatrix elatum, mirum, atque ſublime excogitare poteſt, in medium proferat. Hinc vix ulla eſt creatura in cœlo & in terra, vix ullum inſtrumentum uſibus humani generis aptatum, quod ſolertiæ talium Oratorum non pateat: habemus ſpirituales ſtellas, ſoles, planetas; ſpirituales nares, pedes, oculos, ſpirituales ædes, ſpiritualia horologia, & quid non? Plana, perſpicua, & argumentis ſuffulta oratio pleriſque ſordet; unde & Doctiſſimorum inter Modernos *Anglorum* & *Gallorum*, qui aliam plane viam ingrediuntur, Orationes faſtidiunt, neque legere dignantur, quia, ut loqui ſolent, *unctionem* in illis non deprehendunt; qui tamen, ſi perſpicuis verbis dicere tenerentur, quid *unctionis* illius *nomine* intelligerent, vix prudentioribus, credo, ſatisfacere poſſent. Cum autem quidam e vulgo, ad verborum tinnitum, non ſenſum rerum attendentes, hos Oratores admi-

admirentur, atque exiſtiment, ex his floſculis eorum pietatem & eruditionem eminere, mirum non eſt, ſi ſibi plaudant, atque quo ſemel cœperunt pede pergant. Memini hac occaſione, quid in *Illuſtris Burneti, Epiſcopi Salisburienſis, Theologi nonſolum perſpicaciſſimi, ſed & de univerſo cœtu Proteſtantium qua patet meritiſſimi,* Commentariis rerum ſuo tempore geſtarum legerim. *Illuſtris* hic *Epiſcopus* narrat, tempore *Caroli II. Regis Angliæ* pleroſque Oratores Sacros prolixis explicationibus, controverſiis, citationibus Patrum & locorum è Scriptoribus Græcis petitorum inhiaſſe, atque ſublimitatem ſtyli, antitheſes, & vanum ſermonis ſtrepitum conſectatos eſſe. Ut huic malo occurrerent, Viros *Auctoritate, Eruditione,* atque *Pietate Eminentiſſimos, Morum, Worthingthon, Stillingfleetum, Tillotſonium, Eloydium, Patrick, Wilkinſium,* in unum coiviſſe, atque de emendanda Eloquentia Sacra nonſolum conſilium cepiſſe, ſed & ſuo exemplo edocuiſſe, qua ratione cum ratione & fructu ſacra hæc exercitia inſtituenda ſint. Maximorum horum Virorum exemplo factum eſſe teſtatur *Illuſtris Burnetus,* ut Eloquentia Sacra aliam plane acceperit formam, & ut prudentiſſimus quisque eam ſibi imitandam exiſtumaverit (*vv*). Qui unquam Doctiſſimorum inter Modernos Anglorum, quos & Galli ſecuti ſunt, Orationes legit, facile de utilitate hujus conſilii judicare poterit. Utinam hanc viam Noſtrorum multi ingrederentur! methodus eſt facillima. At hæc ab alio, quam me male parvo, dici malo.

Auctores *Diſciplinæ Arcani* (ut pergam) de Myſteriis in cœtu coram initiatis aut plane verba non faciebant, aut obſcuris utebantur data opera vocibus, in quo eos vituperandos eſſe ſupra diximus. Quanquam autem

 cœtus

(*vv*) Vide Illuſtris hujus Viri Hiſtoire des dernieres Revolutions d'Angleterre, Tom. primo pag. 202. edit. in 4. confer eundem pag. 620. ad annum 1684.

cœtus Proteſtantium hanc Veterum Diſciplinam minime approbet, dupliciter tamen circa hoc argumentum peccari, res in Cœtu Chriſtianorum geſtæ docent. Nimirum ſæpiſſime factum eſt, ut res, quæ ingenio humano explicari non poſſunt, quasque nos ignorare voluit Optimus & Sapientiſſimus Deus, arreptis tamen hinc inde ſimilitudinibus, & excogitatis novis vocibus, quidam in plena luce collocare voluerint, quo tamen nonſolum veritas fuit obſcurata, ſed & cavillis incredulorum objecta. Quid circa doctrinam de S. Trinitate actum fuerit, & adhuc dum, in *Anglia* præſertim, agitetur, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritis notiſſimum eſt. Quidam *Eruditus Anglus* ſex diverſas in medium adducit Myſterium S. Trinitatis explicandi rationes, ab Eccleſiæ Anglicanæ Doctoribus excogitatas (*x*). Nemo non, qui unquam ſerio de hoc argumento cogitavit, vel me tacente intelliget, quam pernicioſæ ſint illæ, quamvis ingenioſæ, diſtinctiones. Quam bene ageretur cum rebus Chriſtianorum, ſi nonniſi ex Scriptura homines ſaperent, ejus decretis unice inſiſterent, atque imbecillitatis ſuæ memores eſſent? Ab altera parte ſunt qui Diſciplinam illam Arcani, nonſolum circa quosdam ſaltem Articulos, ſed univerſam Religionem revocatam vellent; qua ratione id fiat dicam. Inter principia Proteſtantium primaria hoc eſt: Cujusvis hominis, cumprimis autem Doctoris publici, officium eſſe, ſacras legere literas, cunctaque examini ſubmittere. Hoc principio innixi fuerant *Reformatores noſtri*, Viri Religioſiſſimi, in ſuis adverſus Eccleſiæ Romanæ Doctores Diſputationibus atque publicis ſcriptis. Nunquamne autem factum eſſe legimus vel audivimus, ut quoties Viri veritatis amantiſſimi, & modeſtiſſimi, verita-

(*x*) Vide Collini Diſcours ſur la liberté de penſer. pag. 94. ſq. conferantur, quæ nuperrime à Doctiſſimis Viris, Maty, & de la Chapelle, diſputata ſunt.

veritatis inveniendæ ſtudio incenſi, in leviſſimis utiam à receptis opinionibus deflexerunt, peſſime fuerint habiti? An nunquam audivimus, dari in cœtu Proteſtantium genus hominum peſtilens & in optimarum Literarum perniciem natum, qui præſtantiſſimos Viros tacite perſtringere, eosque penes Magiſtratum, & qui plurimum in Republica & Eccleſia valent, variorum errorum ſuſpectos reddere conentur? an nunquam audivimus, Viros optimos conqueri de inſidiis fratrum, qui, ut aliorum meritis & eruditioni detrahant, ſeſe autem tanquam cœtus ſacri Columina extollant, licet nunquam per vitam diſſidentium Chriſtianorum Syſtemata inſpexerint, ſpreta conſcientiæ & charitatis lege, alios circumveniant, vitamque illis acerbam reddant? An non proſtant Exempla talium, qui, quantum ex eorum ſermonibus & ſcriptis patet, quammaxime vellent, ut in medio Proteſtantium cœtu, tales conſtituerentur, qui omnes in cauſa Religionis vel leviter errantes duriſſime haberent, atque omne Examen Religionis proſcriberent? Teſtor veſtram, Auditores, qui quæ in cœtu Chriſtianorum hinc inde acta ſunt noſtis, conſcientiam, utrum hæc à me ſine cauſa dicta ſint? an non autem hæc contraria ſunt primis Reformatorum principiis? an non hoc eſt in orbem revocare *Diſciplinam Arcani priore longe funeſtiorem?* Plura non addam, ſufficiunt hæc ad demonſtrandum, meditationem de *Diſciplina Arcani* non prorſus eſſe ſupervacuam & inutilem.

Tandem ad Vos, optimarum Artium ac Diſciplinarum Studioſos, qui in florentiſſimo hoc noſtro Gymnaſio ſapientiæ & pietatis culturæ vacatis, me converto. Vobis, qui hactenus benigne de laboribus meis judicaſtis, ſi non erudite, tamen ſincere & candide aperiam, qua ratione *neglecta Diſciplina Arcani*, feraci hoc Diſputationum Seculo, animos contra errores munire poſſitis. Omnia, quæ ſtrictim de hoc argumento di-

eam, ad duo ſumma capita poſſunt referri. Quædam vobis facienda ſunt, dum in hoc optimarum Artium Seminario Literis vacatis; Quædam, ſi officio Doctorum publicorum ſuo tempore fungemini. Quod ad prius attinet, rectius facere nil poteſtis, *Lectiſſimi Studioſi*, quam ſi iis Literis ac Diſciplinis animum excolitis, quæ ad Religionis momenta rite perpendenda animum præparant. Eum in finem ante omnia diligenter Humaniorum Literarum ſtudia excolite. In iis enim haud exigua, cum ad intelligendas S. Literas, tum ad retundendas Adverſariorum inſidias, latent præſidia. Non opus eſt ut in his Literis conſeneſcatis, aut omnes Grammaticorum minutias conſectemini, vita enim brevis eſt & ad majora contendendum, ſed ita ſaltem eas diſcite, ut genuinam indolem atque naturam Linguarum intelligatis; quicquid ex optimis Scriptoribus collegiſtis, more Doctiſſimorum hujus ævi Virorum, ad interpretandas S. Literas transferte. Humaniorum Literarum cultu ornati, progredimini ad Philoſophiam, divinam illam & nobiliſſimam ſcientiam, quæ non ſolum rectas ratiocinandi leges & generalia omnium ſcientiarum fundamenta vos edocet, ſed ad cognoſcendum Deum atque officia veſtra viam monſtrabit. Sine hujus Diſciplinæ accuratiore cognitione fruſtra in aliis Diſciplinis, Theologia cumprimis, deſudabitis. Hæc docet verum à falſo, leve à momentoſo, certum ab incerto, veriſimile à falſo, diſtinguere. Evolvite diligentiſſime Celeberrimorum ævi noſtri Philoſophorum Scripta, quibus ex admirabili pulchritudine, ordine univerſi, finibus rerum creatarum, Sapientiam, Bonitatem, atque Potentiam Numinis demonſtrarunt, validiſſimisque argumentis Atheiſmum hinc inde vires eundo adquirentem, impugnarunt. Hac nobiliſſima Diſciplina non eum ſolum in finem utimini, ut recte ratiocinari de objectis præſtantiſſimis poſſitis, ſed cumprimis, ut ſapientiores, modeſtiores,

res, prudentiores, meliores, evadatis. Conjungite cum ea, ſi per ſtudia veſtra ſtatumque rerum veſtrarum fieri poteſt, Diſciplinas Mathematicas, eo ſaltem fini, ut mature diſcatis, accuratum rerum cognoſcendarum examen inſtituere. Hac luce ſi perfuſa eſt mens veſtra, quantum pro cujusque ingenio fieri poteſt, ad Religionis examen pleni amoris & reverentiæ erga Deum accedite, atque primo quidem diligentiſſime expendite argumenta, quibus Religionis Chriſtianæ veritas atque divina origo probari ſolet. Hæc, miſſis omnibus præjudicatis opinionibus atque pravis adfectionibus, altiſſime in animum demittite. Pleni ſunt Doctiſſimorum ætatis noſtræ Virorum libri, ex quibus abunde deſiderio veſtro ſatisfacere poteſtis. S. Literas diurna nocturnaque verſate manu, ex iisque rite expenſis veram Religionis normam diſcite, ad hunc Lydium lapidem Syſtemata veſtra exigite; loca cum locis, argumenta cum argumentis conferte, neque ante ad cognoſcendas diſſidentium Chriſtianorum opiniones deſcendite, quam accurate ea omnia animo infixiſtis, quæ ad judicandum de veritate Religionis veſtræ requiruntur. Quod ſi eo usque progreſſi eſtis, licebit, quantum tempus permittet, aliorum ſententias examinare, atque verum à falſo diſtinguere. Ad hoc Examen inſtituendum accedite ſine partium ſtudio, ira, invidia vacui, pleni ſtudio veritatis inquirendæ & amandæ, male verum examinat omnis corruptus judex. Mature diſcite, quid leve ac momentoſum ſit in controverſiis; errores fundamentales cum erroribus, quos parum cavet natura humana, non confundite; modeſte de aliorum ſententiis judicate, memores imbecillitatis humanæ; nemini quicquam, quod à mente ejus alienum ſit, imputate, neque errores in majus extollite; ad nervos cumprimis argumentorum, quibus utuntur diſſentientes, & ad univerſi Syſtematis nexum attendite; profectumque tandem veſtrum

in

in cognitione rerum divinarum, non ſola ſcientia rerum præſtantiſſimarum, ſed pietatis, amoris, & candoris ſtudio, metimini. Et ut ſingularum opinionum Sectarumque, in quas eheu! ſciſſus eſt Orbis Chriſtianus, cauſas atque fontes cognoſcatis, conſulite Hiſtoriam rerum inter Chriſtianos geſtarum, atque aſcendite legendo ad prima illa & feliciſſima tempora Chriſtianorum, quibus admirabili ſimplicitate eluxit Chriſtiana pietas, atque ita per ſingula ſecula ad noſtram usque ætatem retrogrediendo prudenter diſpicite, quam vere vel falſo à ſanctiſſima Chriſti Diſciplina receſſerint multi Chriſtianorum. Emenſo curriculo ſtudiis veſtris præſcripto, licebit in patentiſſimum Eruditionis campum exſpatiari, & quicquid habent Diſciplinæ ſingulæ reconditum atque ſublime decerpere, atque in uſum revocare. Quod ſi his præſidiis ornati eſtis, rationemque diligenter excolitis; ſi præſtantiſſimorum omnis ævi Scriptorum libros evolvitis; variiſque exercitationibus, quid vires valeant, quid ferre recuſent, experimini, dubium non eſt, quin iis ſitis armis inſtructi, quibus ad retundendos veritatis hoſtes opus eſt.

Quod ſi vero, Deo ita volente, muneribus publicis ſive in urbe ſive in agro (de quo aliquid dicendum reſtat:) admovebimini, diligenter ante omnia expendite muneris noſtri naturam, dignitatem, atque pondus. Nolite quæſo exiſtimare, perinde eſſe, quo tandem modo officiis veſtris ſatisfaciatis; de re omnium ſanctiſſima graviſſimaque agitur, edocendi ſunt & pueri & adultiores Diſciplinæ ſanctiſſimæ principia, explicanda ſanctiſſima Dei voluntas, reducendi in viam errantes & præceptorum Chriſti transgreſſores; ad hoc quin ſingulari ſapientia, prudentia, Religione opus ſit, ipſimet facile intelligitis. Cum autem plerique veſtrum, qui Literarum ſtudiis vacatis, olim inter ruſticam plebem divinæ veritatis ſemina ſitis ſparſuri, eo dirigen-

lirigenda erit Orationis meæ & conſilii ratio. Ma-
ure igitur ſatis, qualis labor hic poſtuletur, meditami-
ii; difficilius eſt, quam putatis, graviſſima Religionis
Capita perſpicue ediſſerere, popelli ingenio ſeſe attem-
perare, & ad animum atque conſcientiam revocare
Religionis dignitatem atque pretium. Ante omnia
urate, ut non tantum boni viri eſſe videamini ſed &
itis. Incredibile pondus habet in animos hominum,
el bona vel mala exiſtimatio. Diſcite, qua ratione
alidiſſimis argumentis non ſolum errores, ſed cum-
rimis vitia magis magisque invaleſcentia impugnetis,
tque ad conſcientiam hominum demonſtretis, quam
eſſime ſibi conſulant ſanctiſſimorum Dei præcepto-
um transgreſſores. Singularem inprimis curam ad-
ibete, ut veræ pietatis ſemina tenellis puerorum ani-
nis clare atque perſpicue inſtilletis; adſueſcite illos, ut
uid credant ſciant, rationesque ipſimet reddere poſ-
nt; efficite quantum in vobis eſt, ut ſentiant, quam
im habeat vera pietas in univerſum vitæ noſtræ ſta-
um; exemplis hominum vitiis deditorum oſtendite,
uam triſtis tandem & funeſtus ſit vitiorum exitus. In
Orationibus veſtris nihil magis curate, quam ut per-
picue, plane atque ad omnium captum verba faciatis.
Nunquam exiſtimate eum eruditum & facundum
ſſe Oratorem, qui inanem Eruditionis gloriolam cap-
it, qui quicquid varia lectio, cruda licet, & male
igeſta ſuppeditat, profert; qui inanibus meteoris & fi-
uris Orationis aures titillat, & de controverſiis loqui-
ir, de quibus per omnem vitam Auditores ne fando
uidem quidquam inaudiverunt; ſed qui argumentum
ıum ita explicat, ut Auditores non poſſint non eum
ıtelligere; qui perſpicuis argumentis, quæ in medium
rofert, probat; qui animos vi veritatis adactos in
ıam ſententiam pertrahit, & ſtimulos veritatis & pie-
tis in animis Auditorum relinquit. Claris nolite
ıæſo tenebras offundere; quæ ipſimet non ſatis in-
telligi-

telligitis, aliis non commendate, non ſublimia & difficilia ſectamini, ſed utiliſſima & Auditorum veſtrorum ſtatui attemperatiſſima; omnia ad pietatis ſtudium excitandum dirigite, atque in familiaribus colloquiis experimentum profectuum, quos habent aut habere deberent in cognitione veritatis, ſumite. Et ut veræ atque maſculæ Eloquentiæ indolem perſpiciatis, præſtantiſſimorum ætatis noſtræ Oratorum meditationes legite, easque ad imitandum proponite.

Quod ſi hæc aliaque, quæ ob temporis anguſtiam adferri non poſſunt, præſtabitis, ipſo opere ſentietis, vos ad proferendam & defendendam veritatem longe aptiores futuros eſſe, quam eos, qui olim, optimo licet fine, *Diſciplinam Arcani* inter Chriſtianos induxerunt.

Claudamus Orationem noſtram voto *Illuſtris* alicujus & *Eruditiſſimi Viri*, ita ſonante:

Pater! precamur, des Gregi tuo lucem
Hic quanta ſatis eſt, hac des eſſe contentum.
Des non loquentes ſua reperta Doctores.
Des conſonantes omnium Linguas,
Aut corda ſaltem: præpotente vi flammæ
Caliginoſas litium fuges ſordes,
Ut ſpiret unum tota Civitas Chriſti,
Vitamque terris approbet, fidem cœlo.

DIXI.

* * * * * * * *

VI. CON-

VI.
CONSPECTUS
Operis, quod editurus eſt
ACOBUS ZIMMERMANNUS,
Tigurinus.

INter mala, quibuſcum ii, qui optimarum Artium ac Diſciplinarum ſtudiis vacant, colluctantur, merito referendæ ſunt atroces calumniæ criminatio-
ıesque, quas homines maligni atque in perniciem
iterarum nati, frequentiſſime in Optimos Viros con-
cere ſolent: Omnium Seculorum experientia docuit,
/iros Eruditiſſimos, atque de re literaria & publica
ptime meritos, graviſſimorum errorum fuiſſe poſtu-
atos. Quicquid unquam inepte atque ſtolide à ma-
eſanis & profanis hominibus dictum atque defenſita-
um fuit, id præſtantiſſimis & innocentibus Viris te-
nere impactum eſt. Ipſius *Atheiſmi*, cum altius aſcendere
alumniandi rabies non poſſet, publice ſunt accuſati.

Cum autem deteſtanda merito ſit hæc calumniandi
ıbido, atque fœcunda infinitorum malorum mater,
ıirum non eſt extitiſſe ſemper Viros ingenio & eru-
itione præſtantes, qui Optimorum Virorum cauſam
ıagna cum libertate peroraverint, atque Calumnia-
ɔribus fortiſſima ſua oppoſuerint pectora. Nihil di-
am de Apologiis publicorum cœtus ſanctiſſimi Do-
torum, in quibus divinam originem Religionis Chri-
ianæ adverſus acerbiſſimas Paganorum, & inſipien-
s Sapientiæ Conſultorum criminationes ſtrenue vin-
icarunt. Non referam, quot Virorum Optimorum
theiſmi poſtulatorum cauſam tuiti ſint Viri ætatis
noſtræ

noſtræ Doctiſſimi atque Religioſiſſimi. Notius eſt, quam ut heic ediſſeratur, quid in hoc argumento præſtiterint, *Olearii*, *Clerici*, *Fabricii*, *Cudvvorthi*, *Moshemii*, *Gundlingii*, *Heumanni*, *Wolfii*, *Syrbii*, *Brukeri*, aliique; mentionem ſaltem hoc loco faciam eorum, qui data opera de hoc argumento egerunt. Atque huc pertinent: *J. Fr. Buddeus*, Ὁ νῦν ἐν Ἁγίοις, ſcripto libello, cui titulus: *Theſes, de Superſtitione & Atheiſmo.* Cl. Reimannus, cujus extat *Hiſtoria Univerſalis Atheiſmi & Atheorum.* Jenkin. Thomaſius, *in Hiſtoria Atheiſmi.*

Quanquam autem Doctiſſimorum horum Virorum meritis atque eruditioni nihil prorſus detractum velit Auctor, exiſtimat tamen, negari non poſſe, Eos ſæpe jejune neque ſatis pro dignitate materiæ in hoc argumento fuiſſe verſatos; ad hiſtoriam potius Virorum Atheiſmi poſtulatorum, quam accuratum opinionum, quas fovebant, examen animum convertiſſe; denique de iis, qui vere pariter ac falſo graviſſimi erroris ſuſpecti erant, ſollicitos fuiſſe.

Hæc aliaque effecerunt, ut Vir doctus, verique amantiſſimus, *Joh. Jacobus Zimmermannus*, Hiſtoriæ Sacræ & Juris Naturæ in Gymnaſio Tigurino Profeſſor, ante plures annos in animum induxerit, hoc argumentum paulo plenius atque accuratius pertractare, eaque omnia colligere, quæ ad luculentam aliquam Apologiam Virorum Eruditorum falſo Atheiſmi poſtulatorum, facere poſſe exiſtumabat.

Eum in finem ſpeciminis loco Diſſertationes aliquot Apologeticas cum Eruditiſſimis Viris, *Schelhornio* Amœnitatum literariarum, *Haſæo* & *Nonnio*, Muſei Bremenſis, Conditoribus communicaverat. Hæ cum benevole à Viris harum rerum peritis fuiſſent acceptæ, Amicorumque acceſſiſſent vota atque adhortamenta, difficillimum laborem in ſe ſuſcipere, & quamvis moleſtiam devorare maluit, quam Amicorum exſpectationem,

nem, atque deſiderium fruſtrari; atque ita pertinaci labore effecit, ut integrum Opus ad prelum paratum ſit.

Ut autem *B. Lector* totius Operis quandam delineationem animo habeat præformatam, ſingularum partium, quibus conſtat, notitiam dabo.

Titulus Operis hic erit: *Apologia Virorum Eruditorum falſo Atheiſmi ſuſpectorum* vel (quoniam delicatas quorundam aures hic titulus offendit;) *Diſquiſitio libera & modeſta de Atheiſmo Viris quibusdam Eruditis impacto.* Opus ipſum duobus conſtabit tomis in forma, quam vocant, quarta. *Prior* duabus abſolvetur partibus. In *prima* comparebunt Hebræi, Cabbaliſtæ, Chaldæi, Ægyptii, Perſæ, Zabii, &c. Inter Hebræos *Moſes* contra *Spinozam* & *Tolandum* vindicatur; contra Anonymum oſtenditur, *Solomoni* Scepticiſmum fruſtra fuiſſe objectum; prolixe autem diſquiritur, quo jure Cabbaliſtæ *Spinoziſmi* poſtulentur.

In *ſecunda* parte omnium Græcorum Philoſophorum Syſtemata atque opiniones de rebus divinis excutiuntur, ita tamen ut ſingulorum Philoſophorum, cuicunque tandem Sectæ addictorum, ratio habeatur. Atque heic quidem inter *Jonicos* in ſcenam prodeunt, Thales, Anaxagoras, Anaximenes, Anaximander, Hippo, Diogenes Apolloniates, Archelaus. Inter *Pythagoricos*, Pythagoras & Empedocles, quos excipit Socrates nulli ſectæ addictus. Inter *Academicos* Plato, de cujus philoſophia prolixe diſſeritur. Inter *Cyrenaicos* Ariſtippus, Theodorus, Bion, Evehemerus. Inter *Megaricos* Stilpo. Inter *Cynicos* Antiſtenes & Diogenes. Inter *Peripateticos*, Ariſtoteles, Strato Lampſacenus, Alexander Aphrodiſæus; Inter *Stoicos* Zeno, cum diſquiſitione univerſi Syſtematis. Inter *Epicureos* Epicurus. Inter *Eleaticos*, Xenophanes, Parmenides, Meliſſus, Zeno Eleates, Leucippus, Democritus,

 Diago-

Diagoras; Inter *Scepticos* Pyrrho, cum examine Syſtematis. Accedunt hiſce Celeberrimi Græciæ Poëtæ, Oratores, Hiſtorici, Medici; Orpheus, Homerus, Heſiodus, Ariſtophanes, Euripides, Pericles & uxor ejus Aſpaſia, Critias, Protagoras, Prodicus Chius, Polybius, Strabo, Hippocrates, Galenus.

Poſterior Tomus quatuor abſolvitur partibus. In *prima* diſquiritur, quo jure Eruditis quibusdam inter Romanos Viris, qui ante natum Soterem noſtrum vixerunt, Atheiſmi crimen fuerit intentatum; In *ſecunda* agitur de Eruditis Græcis & Romanis poſt Chriſtum natum graviſſimi erroris poſtulatis; In *tertia* comparebunt Muhamedani; In *quarta* denique Chriſtiani in Oriente & Occidente, & de poſtremis quidem prolixiſſime diſſeretur.

Quod ad *Romanos* ſpectat, hic *primo* occurrunt *Poëtæ*, Ennius, Plautus, Virgilius, Horatius, Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius, Manilius, Lucanus, Juvenalis, Martialis, &c. *Oratores*, Porcius Cato, Cato Uticenſis, Cicero, Petronius. *Philoſophi*, Terentius, Varro & Plinius, Hiſtoriæ Nat. Scriptor. *Hiſtorici*, Livius. *JCti.* Numa Pompilius, T. Hoſtilius, Caligula.

Inter *Græcos* comparebunt, Lucianus, Plutarchus, Plotinus, &c.

Inter *Muhamedanos*. Muhamedes, Meslemus, Zindikæi, Secta loquentium, Darari, Al-hadi Avicenna, Averroës, Ibna Elchatib-Raſi, Mahomet Effendi.

Inter *Chriſtianos*, & quidem in *Oriente*. Sim. Magus, Baſilides, Marcion, Gnoſtici, Valentiniani, Manichæi, Tatianus, Origenes, Aëtius, Eunomius, Meſſaliani, Audæani, Julianus Cæſar, Philoſtorgius, Juſtinianus Imp. Tritheitæ, Albanenſes.

In *Occidentali Eccleſia*, & quidem in *genere*, Priſcillianus, aliquot Pontifices, nimirum Alexander VI. Johannes XXIII. Leo X. Scotiſtæ, Thomiſtæ, Almaricus, Da-

vides de Dinanto, Fridericus II. Franc. Accurſius, Boccacius, Herm. à Ryſvvik, Poggius Florentinus, Politianus, Herm. Barbarus, Laurentius Valla.

In *ſpecie*, inter *Italos*, Machiavellus, Ochinus, P. Bembus, Palingenius, Pomponatius, Aretinus, Cardanus, Cæſalpinus, Vaninus, Cæſar Cremoninus, Jordanus, Brunus, Coſmus Ruggerius, Joſephus Burrhi.

Inter *Gallos*, Bonavent. de Perieres, Poſtellus, Rabelais, Bodinus, Muretus, Doletus, Montagne, Charron, Garaſſe, la Mothe le Vayer, Claud. Berigardus, Carteſius, Malebranche, le Hontan, Auctor hiſtoriæ Severambum, Peyrerius, Bayle, Auctor des princeſſes Mulabares.

Inter *Hiſpanos*, Ant. Goveanus, Sanchez, Caramuel.

Inter *Polonos*, Caſimirus Lyskinzius.

Inter *Belgas* Theodorus Kornheert, Vorſtius, J. Weſtrene, Iſ. Voſſius, Cuperus, Bekkerus, Leenhof, Jaque Maſſe, Auctor Vitæ Philopatris, Deurhof, Burmannus, Theod. Santvort, Jacobus Wittichius.

Inter *Anglos*, Herbertus, Hobbeſius, Th. Brovvn, Connor, Lokius, Craygius, Collinus, Wolſtonus, Temple, Tolandus &c.

Inter *Germanos*, Enthuſiaſtæ, Fanatici, ex gr. Böhmius, Taurellus, Theoph. Paracelſus, Stellerus, Brekling, Scioppius, Wachterus, Auctor libri Seder Olam, Theod. Lau, Chriſtianus Wolfius, &c.

Notandum autem probe eſt, (quod neceſſe non eſſet, ſi nonniſi periti & æqui judices ejuſmodi libros legerent:) Auctorem non id agere, ut vel graviſſimos errores, quibus quidam addicti erant, defendat, aut mitiorem in partem interpretetur; vel omnes, quorum mentionem factam vides, ab Atheiſmi crimine prorſus immunes fuiſſe, probare velit, quod à veri amore & pietate boni Viri prorſus alienum eſſet; ſed ut errores graviores ab Atheiſmo probe diſtinguat. Eum in finem

non ſolum in Prolegomenis, ſed & hinc inde ſparſim Religionis Naturalis & Revelatæ cauſam agit, atque Atheorum & Deiſtarum objectiones fortiter impugnat. Atque, ut omnibus malignis ſuſpicionibus occurratur, ſciendum eſt, eum triplici defenſionis genere uti, vel enim argumentis evidentiſſimis certiſſimisque probat, Eruditis quibusdam falſo Atheiſmum fuiſſe impactum; vel argumenta, quibus innocentia quorundam demonſtratur, iis quibus impugnantur, fortiora eſſe oſtendit; vel denique probat, argumentorum ab utraque parte allatorum aliquod eſſe æquilibrium, atque adeo ad ἐποχὴν tanquam ad ſacram aliquam anchoram eſſe recurrendum.

Quandoquidem autem nuda narratio opinionum atque errorum, quos quidam Eruditorum Virorum foverant, cum proxime adjecto examine, Lectori tædium atque moleſtiam eſſet allatura, Auctor operam dedit, ut, quoties data opportuna occaſione paululum ab itinere deflectere potuit, aut brevem aliquam Commentatiunculam ad hoc argumentum ſpectantem, aut prolixiorem Diſſertationem adjiceret: Ita occaſione *Solomonis*, quem Vir quidam Eruditus Scepticiſmi poſtulavit, Dialogum operi inſeruit, in quo contra *Illuſtrem Huetium* probat, tantum abeſſe, ut Philoſophia Sceptica tutiſſima ſit ad percipiendam divinam Originem Religionis Chriſtianæ via, ut potius hæc ipſa hominem plane ineptum reddat, ad Religionem ſive Naturalem ſive Revelatam amplectendam. Occaſione Philoſophiæ *Socratis* non ſolum oſtenditur *præſtantia Religionis Chriſtianæ collata cum Philoſophia Socratis*, ſed & contra M. *Tyrium* probatur, minus recte feciſſe *Socratem,* quod innocentiam ſuam contra Athenienſes edita Apologia non vindicarit. Denique, ut alia mittam, non ſolum *Syſtema Stoicorum* de Fato prolixe explicatur, ſed & cogitata Auctoris contra objectiones Cl. *Buddei* τϐ Μακαρίτϐ vindicantur.

Ut

Ut autem univerſum Opus majori cum fructu legatur, atque Auctoris inſtitutum à maleferiatorum hominum malignis ſuſpicionibus liberetur, operi ipſi *ampliſſima* præfixit *Prolegomena*, in quibus de ſequentibus agit argumentis. I°. De hujus inſtituti neceſſitate atque utilitate. II°. De iis, quæ requiruntur, ut aliquis jure Atheiſmi, peſtilentiſſimi erroris, reus habeatur. III°. De cautelis, quæ in vindicandis Viris doctis circa hoc argumentum, probe ſunt tenendæ. IV°. De cauſis magis magiſque invaleſcentis & graſſantis Atheiſmi. V°. De mediis, quibus præmuniendi ſunt Juvenum animi, ad cavendum peſtilentiſſimum morbum. Ubi in ſpecie agitur de officiis Parentum, Præceptorum, Profeſſorum, Oratorum Sacrorum.

Quanquam autem *Auctor* nulli labori & ſumtui pepercerit ad ea colligenda, quæ ad hoc Opus feliciter abſolvendum & exornandum facere poſſunt, omnes tamen ſolidæ Eruditionis âmantes perhumaniter rogat atque obſecrat, ut rariores libellos, ad hoc inſtitutum rite perficiendum facientes, benevole communicare velint.

TANTUM.

* * * * * * * * * * * *

* * * * * * * * *

* * * * * *

* * *

VII.

JOH. CASPARI HULDRICI,

Utikon. Paſt.

Ad

Virum Celeberrimum

D. JOH. CASPARUM HAGENBUCHIUM,

Lingg. Græc. & Lat. in Athen. Tigur. Profeſſorem Clariſſimum,

EPISTOLA,

QUA

HERMA

(Antiquitatum Altſtedtenſium Specimen)

luci exponitur.

PAUSANIAS in Achaicis, ubi de Mercurio in Pharis loquitur:

Τὰ δὲ, inquit, *παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν ἕλλησι, τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι.*

Olim apud univerſos Græcos RUDES LAPIDES pro ſimulachris divinos honores obtinuere.

Viro pl. Reverendo atque Clariſſimo

Domino J. C. HAGENBUCH,

Lingg. Græcæ & Latinæ Profeſſori Celeberrimo,

S. pl. & officiorum promptitudinem

Joh. Caſparus Huldricus, *Utikon. Paſtor.*

Dubi-

DUbitaſſem equidem, lineis hiſce Muſis tuis obſtrepere, negotiaque tua, quibus obrutus ſemper es, quæque tibi per caput & circumſaliunt latus, interrumpere, niſi animus tuus, qui Antiquitatum amore, patriarum cumprimis, totus flagrat, mihi fuiſſet perſpectus. Patere proin, Vir Celeberrime, ut cogitata qualiacunque de *Statua Mercurii* ſeu *Herma*, nuper, ut puto, ex oblivione à me reducta, tibi exponam, judiciumque tuum de iis expetam.

Invenitur nimirum proxime Vicum noſtrum in via publica Lapis, ob inſignem magnitudinem oculos prætereuntium attrahens, cui Incolæ nomen Kindlis=Stein dedere *. Jam centies quidem, cum Prædium noſtrum Schlieranum peterem, lapidem prætermeavi, ſed pro Diluvii tantum monumento illum habui. Verum enim vero, ex quo jucundiſſimam, (quæ inſignis Dei in me eſt bonitas:) ſedem apud Venerandum D. Socerum, in Vico hocçe habeam, atque ita occaſio mihi ſubnata ſit, de Antiquitatibus heic vel inveniendis vel inventis cum Incolis confabulandi, judicium meum de hocce lapide in tantum mutavi, ut illum nunc pro *Statua Mercurii* habeam.

Studebo igitur opinioni propoſitæ argumentis fidem dare, quam in rem nonnulla præmittenda neceſſario & præſupponanda ſunt.

a. Primum eſt: Vicum noſtrum Altſtedten, (vel ſi mavelis Maltſtedten, uti veteres ſcripſerunt, nihil enim præſidii in nomine quæro:) cultum fuiſſe atque inhabitatum diu jam ante, quam Evangelium in his oris annunciaretur. Hoc quidem nec ex impreſſis nec ex manuſcriptis probare poſſum documentis. Impreſſa ultra annum 1432. quo Vicus Tigurinis ceſſit, non aſcendunt,

* Narrant nimirum infantibus ſuis, ex Lapide hocce matres ſobolem accipere. Nugantur alii, divitias uxorum ſuarum heic latere.

dunt, uti ex Bullingero, Stumpfio, Rhanio, & Hottingero videre licet; Manuſcripta vero præter donationes Chriſtianas nihil habent. Interim tamen, dum Vicus noſter omnia de ſe documenta vetuſtate ſuperet, eo ipſo, de Paganiſmo veterum incolarum non leve exhibet argumentum. Sed non deſunt alia rei hujus documenta, Nummi nimirum non raro obvii, variis Imperatorum Romanorum imaginibus inſigniti; varia inſuper ædificiorum veterum fundamenta, quæ aratrum incolarum & impediunt ſæpe & lædunt; Rudera tandem ædificii grandioris (eines Burgſtalls) ſuper quæ ex triginta circiter annis familia Ochſnerorum vites plantavit. * Pondus hic non leve addit, quod Venerabilis noſter *Archidiac. Ottius* nuper mihi narraverat: Ante triginta & quod excurrit annos, in agro quodam Udorffiano, agricolam theſaurum plus mille nummorum antiquorum inveniſſe, quem ipſe Ven. Archi-Diac. emerit. Quæ omnia ſatis, ſi quid judico, ſuperque probant, loca hæc jam in Paganiſmo fuiſſe inhabitata.

b. Secundum eſt: Mercurium, ſeu Hermen, viarum publicarum Præſidem fuiſſe. Norunt hoc quicunque ſtudium Antiquitatis vel à limine ſalutarunt. Hinc illum maxime Superum fore iratum, ſi quis viam erranti comiter non monſtraverit, canit Theocritus Idyll. κε.

- - κεχολῶσθαι,
Εἴ κεν ὁδῶ ζαχρεῖον ἀνήνηται τις ὁδίτην.

Ex

* Suſpicantur homines ſimplices, Cacodæmonem inſignem heic aſſervare Theſaurum, ut vocant, maledictum. Temperare me non poſſum, quin quæ nuper à Viro præſide (einem Stillſtänder) de hac re audivi, addam: Er erzehlte mit groſſer Ernſthafftigkeit, daß er auf eine Zeit ein Bruder-Menſch über Nacht gehat, welches ein Fraufaſten-Kind geweſen, das nun habe ſich hoch und theur verſchworen, es gang allerá Fraufaſten mit Gutſchen und Roſſen grüſelis Dings, das nüd z'ſägen ſey.

Ex quo officio varia ei impoſita ſunt nomina, ex. c. Ἑρμῆς ὅδιος, Ἐνόδιος, Εὐόδιος, ἡγεμόνιος, πομπεὺς, &c. &c. Numini huic Viali ſtatuas erigebant ita efformatas, ut caput ſolum appareret, reliquum corpus *quadratum* * ſtaret, *rude & informe* **, cum notis adſcriptis, quo viæ concurrentes ducerent, in triviis & quatriviis, quæ ſtatuæ ἄποδες Hermæ vocabantur. Nolo in hanc rem teſtimonia, Ἑρμῆς λόφȣ adinſtar, accumulare, cum id Euſtathius, Suidas, Heſychius, Magni Etymologici Autor, Gyraldus, Pitiſcus, Ramireſius de Prado, Kircherus, Reineſius, Barthius, Dietericus, Seldenus, Voſſius, Roſinus, Kippingius, Schilderus, Everhardus Otto, Zornius, Schedius, aliique abunde jam fecerint.

c. Tertium eſt: Helvetios olim Mercurium honoribus divinis affeciſſe. Antiquiſſimum in hanc rem extat teſtimonium C. J. Cæſaris, Lib. VI. de bello Gallico: *Deum Galli maxime Mercurium colunt. Hujus ſunt plurima ſimulachra, hunc viarum & itinerum ducem arbitrantur.* Veritas Scriptoris graviſſimi ex rerum teſtimoniis optime probatur. Vindoniſſæ ad Urſæ trajectum, in Templi angulo Ἑρμολατρειας certiſſima exhibentur indicia. Non ignotus quoque apud Soloduren ſes eſt locus Hermes-Bühel, qui etiamnum memoriam cultus Mercurii habet. Rætis quoque Hermes ſacer erat, teſte *Gulero* in Chron. Rætiæ p. 33. Es hielten die Rætier auch in ſonderen Ehren den Mercurium; er war den Wanderenden ſehr gnädig, und dieweil derſelben in Rætien, von wegen des gengen und gelegenen Durchzugs, unzahlbahr viel waren, ſind ihm daſelbſten zu Ehren eine groſſe Menge ſeiner Bildnuſſen aufgerich-

* Ex hinc Mercurius ipſe ὁ Ἑρμῆς τετράγωνος ab antiquis dictus eſt.

** - - at tu
Nil, niſi Cecropides, truncoque ſimillimus Hermæ.
Juvenal. Satyr. VIII.

ret worden. Tigurinos quoque Mercurium coluiſſe abunde probatum dedit melioris, dum viveret, ſanctiorisque Theologiæ Doctor Celeb. noſter *Joh. Jacobus Hottingerus*, Hiſtor. Eccleſ. Tom. I. qui nobis hac in re otium fecit. *

Cum ergo ex ſuperioribus pateat, Vicum noſtrum Altſtedten ab incolis ethnicis fuiſſe cultum atque inhabitatum: cum conſtet Helvetios Mercurium, *Hermen ipſis dictum*, inter primaria habuiſſe Numina: Cum certum ſit ſtatuas quadratas, rudes & informes, in honorem Mercurii in biviis atque triviis fuiſſe erectas, ad rem ipſam nunc accingor, atque ad Lapidem meum pergo.

Quem *Hermam* ſeu ſtatuam Mercurialem fuiſſe *a.*) ex nomine loci. *b.*) ex forma lapidis. *c.*) ex loco ipſo, mihi veroſimile ſit.

a.) Locus ubi Lapis noſter conſpicitur, ultra hominum memoriam (uti ex documentis der Dorfsofnung, Güter- und Kauf-Brieffen, Markſcheydungen ꝛc.ꝛc. patet:) Hermes-Loo vocabatur. Quod nomen ab Incolis quum non intelligatur, reliqui vero agri nominibus gaudeant Germanicis, ex Gr. hinter der Mülli, hinter der Killen, Stein-Acker, Gaſſen-Acker, Sandgrueb, ꝛc. ſponte ſequitur, nomen Hermes-Loo antiquum vel exoticum eſſe.

Quid Hermes ſibi velit, jam vidimus; quî addita ſyllaba Loo interpretanda ſit, jam nunc oſtendam. Mos erat antiquis, nomina arcium, domorum &c. ad loca excelſa, colles vel montes ædificatarum cum vocula Loo, *Collem* denotante, unire. Autoritate non pugno, alioquin *Martinium* citarem. Exemplis rem illuſtrare annitar.

* Videatur quoque Joh. Heinricus Hottingerus, de Method. Legend. Hiſt. Helvet. p. 528. & in Hiſt. Eccleſ. N. T. Parte VIII. p. 1004.

nitar; En nonnulla, quæ Vir admodum Reverendus Diepolzavienſium Paſtor *Ferus*, amicus mihi vere Verus exhibebat, Fichs-Loo in colle prope Marpach. Schwader-Loo in colle prope Tägerweylen. Eicht-Loo in colle prope Egnach. His addo, Tiſchen-Loo prope Tallweyl. Loo-Hoff, in colle prope Lengnau. Bitten-Loo, in colle prope Weiningen. Loo-Mülli, in colle prope Vicum noſtrum Altſtedten. & tandem Hermes-Loo in colle prope Aawangen, quem ultimum locum Viro Nobiliſſimo atque Spectatiſſimo D^o. *Steinero* Utikonenſium Dynaſtæ debeo. Valet proin noſtrum Hermes-Loo, quod Solodurenſium Hermes-Bühel, quod optime in locum Statuæ noſtræ Mercurialis, quæ ad collem ſita eſt, quadrat.

b. Forma Lapidis cubum format, in quolibet latere cubitos novem habens, longitudine ad decem aſcendens. Id quod non ſolum cum Herma ſeu ſtatua Mercuriali convenit, ſed & inſuper clare oſtendit, *Arte* non *Caſu* in cubum Lapidem fuiſſe efformatum.

c. Locus tandem ubi lapis invenitur Via publica eſt, ubi Hermæ ſtatui ſolebant, & quidem, ubi Trivium viatorem abducere facile poſſet.

Ex dictis concludo: Cum Coloni veteres Mercurium coluerint, illique procul-dubio etiam ſtatuas erexerint, atque Lapis hic noſter, ratione Nominis, Figuræ & Loci, cum ſtatuis Mercurialibus apprime conveniat, veroſimile fieri, illum hunc in uſum ab Altſtedtenſibus ethnicis, aut hic fuiſſe poſitum, aut ſi jam à temporibus Diluvii hic projectus jacuerit, in Cubum ab illis fuiſſe efformatum, ut Hermæ uſum præſtaret. Hæc hactenus.

Quod ſi, Vir Celeberrime, tantum tibi à ſtudiis gravioribus & publicis occupationibus otii ſuſperſit, judicium tuum ut perſcribere velis, etiam atque etiam rogo. Complico nunc epiſtolam, verbum non amplius

plius addo, niſi ut valeas meque inter Cultores Tuos cenſeas & ames.

Dabam è Muſæo meo Altſtedtenſi ipſis Kal. Maji. M DCC XXXVI.

VIII.

URIELIS FREUDENBERGERI, *V. D. M.*

Reſponſio ad Doctiſſ. GAB. HÜRNERI *Epiſtolam Criticam* Contra novam *De Origine Cultus Serpentum* Sententiam.

Amico Critico perſpicaciſſimo,
DN. GABRIELI HüRNERO,
S. P. D.
URIEL FREUDENBERGER.

DEproperaveram hortatu Cl. noſtri Altmanni Obſervationem meam de OrigineCultusSerp.quam in Tempe T. I. Sect. I. Celeb. Editor exhibuit, cum maluiſſem eam incudi reddere, ut ſententia mea & cla-

& clarius pateat, & rationibus amplius firmetur. Placuit, Amice, illam incomtam adhuc ſub cenſuram revocare; quod tuum propoſitum mihi diſplicere non potuit, tecum agnoſcenti, quod Eruditorum rixis multa eaque egregia debeamus: Diſputatio enim manifeſtat veritatem. Quod non eo animo ſcribo, ac ſi me Eruditum putarem; in Tui gratiam hoc aſſero, qui tanta Eruditione me miſerum penitus proſtratum dediſti. Laudas me propter modeſtiam, vituperas propter ignorantiam. Maluiſſem poſterius ab inimicis meis paſſus eſſem, non vero ab Amico. Nec nunc cum Illuſtr. Huetio fateri cogerer *in Diſſ. Apol. ad Cl. Basnagium,* inſerta Epiſtolis *Abb. Tilladeti T. I. p. 387. Je ne vous deſavoüerai point cependant Monſieur, que j'ai eu du chagrin, que vous ne m'ayéz nommé, que pour me reprendre, que les careſſes, que vous m'avéz faites, ſemblent n'avoir été faites, que pour me preparer à recevoir de vous des playes. &c.* Provocatus tamen quædam regeram, ut inſimul obſervatio mea in majorem lucem ponatur.

Primum quod ſcandalo Eruditioni tuæ eſt, (ut ne Exordium quidem intactum à Te relinquatur,) quod ſcripſi ab initio §. I. *Hominem inter ac Serpentem naturale quoddam odium &c.* Illud *Naturale* adeo diſplicet, ut variis illud impugnare operæ pretium duxeris. Videamus rationes tuas. Contendis:

A. Illud odium non eſſe naturale, ſed argumentum illius eſſe acquiſitum. Reſpondeo.

1.) Haud dubie non negabis, Philoſophe acutiſſime, Deum Naturæ Parentem affectus hominibus inſeviſſe ad ipſorum bonum & conſervationem; itaque affectus naturales fateberis; & cum odium ſit affectus, an illud naturale non dices?

2.) Non etiam negabis, omnem commotionem affectuum, adeoque & odii, eſſe ab objectis, omne itaque argumentum omnium affectuum erit acquiſitum; ſed an propterea affectus ceſſabit eſſe naturalis?

3.) For-

3.) Forſan etiam concedes, non mihi ſed Viris Magnis, Deum mortalibus propter ſeductionem, pronuntiata maledictione, ſpeciale odium contra ſerpentes indidiſſe. Si evolvere dignaberis Viros Claros de Serpentibus agentes, fortaſſe & huic effato fidem non denegabis. Concludo itaque, ſi affectus hominibus ſunt naturales, quia Deus eos ipſis inſevit, (1.) Si objectum eos movens non impedit quo minus ſint naturales, (2.) Si Deus peculiari modo mortalibus odium in ſerpentes propter ſeductionem indidit, (3.) non adeo abſurdum erit, affectum odii hominum in ſerpentes naturalem dicere. Cæterum ſi non ad aures usque novæ Philoſophiæ immerſus fuiſſes, facile illud naturale, quod poſueram ex Illuſtr. *Grotio* de J. B. & P. Lib. II. Cap. XII. §. 26. n. 2. interpretari potuiſſes, quod odium illud *altas radices egerit & in naturam verſum fuerit.*

B. Aſſeris, *nos magis horrere urſos, lupos, leones &c. quam ſerpentes*, unde concludis, odium in ſerpentes non eſſe adeo internecinum. Hic non ſatis attendiſſe videris, Vir Doctiſſime, ad naturam hominis & odii ſtricte ſic dicti: Horremus belluas, ſed eas non ita ut ſerpentes odio habemus; horremus belluas, quia corpus perdere poſſunt, odio habemus ſerpentes, quia Diabolus per ſerpentem corpus & animam perdidit. Illa ſpecies odii, quæ horror dicitur, non ſemper involvit illud, quod nomen generis retinet, & odium ſtricte ſic dictum vocatur. Poteſt quid mihi incutere horrorem, quod tamen non præciſe odio habeo; ut tonitru, alia. Leo mihi poteſt incutere horrorem, per conſcientiam loquor, non tamen unquam odio habui leonem, potius miratus ſum animal generoſum.

C Pergis, *monumenta hiſtorica clamare, Serpentes cicuratos non odio ſed in deliciis habitos.* Ergo non eſſe naturale odium inter homines & ſerpentes. Sed

1.) Quandoque & inimicum amare videor in caſu neceſſitatis & utilitatis: manet interim ſemper alta

mente

menté repoſtum antecedaneum malum, nec unquam radicitus extirpatur odium.

2.) Ipſa ſacra pagina dicit, domari poſſe animalia omnia, ſed nullibi aſſerit, amari & odium extirpari.

3.) Vanitas, arrogantia, impietas, ſtoliditas hominum varia excogitavit, quæ tamen non probant *naturalem* quandam, vel, ut tu dicere mavis, acquiſitam propenſionem: non aliud quid, quam commodum inde captum.

D. Promoves, *Credebantur* (ſcil. ſerpentes:) ſymbola ſalutis, abundantiæ, prudentiæ, pacis & felicitatis; Concludis, ergo amabantur.

Reſpondeo: Nulla plane eſt conſequentia. Crediti ſunt ſymbola ſalutis ſerpentes, quia ſpeluncas & adyta amabant, & quando innoxii altaria depaſcebant, ſacrificium gratum & ſalutare putabant miſeri gentiles, qui vani facti ſunt in ratiociniis ſuis.

Habebantur ſymbola abundantiæ, quia mirum in modum concupiſcentiæ dediti ſunt. Prudentiæ, propter calliditatem, ipſi Sacræ Scripturæ celebrem. Pacis & felicitatis, quia ſæpius apparebant in Fanis & ad altaria, quando cæſæ hoſtiæ pacificatoriæ. Fructus pacis eſt felicitas omnimoda. Sed hæc omnia nondum probant odium hominum in ſerpentes extinctum.

E. Poſtquam §. II. multis dixeras, non adeo exoſum fuiſſe mortalibus genus ſerpentum, jam ad finem §. Tui oblitus aſſeris, omnino ex timore ſerpentes divino cultu honoratos fuiſſe. Si ex timore, ergo ex odio, uti tu ipſe putas. Non enim ego hoc ſentio, ſed tuam ſententiam eo concedo, quatenus inſervit, ut teipſum proprio jugules gladio. Ex fervore enim mihi contradicendi, qui Sect. mea II. §. I. timorem tanquam cauſam cultus ſerpentum rejeceram, tu tibi ipſi contrarius es in uno eodemque §. in cujus principio amorem & in fine timorem doces, quod deinde

§. III.

§. III. confirmare ſatagis ex iis ipſis, quæ citaveram ex *Juvenali* §. III. Addere potuiſſes reliqua, quæ adduxi § V. & facilem habuiſſes reſponſionem, ſacrum pavorem & horrorem offerentium nullo modo fuiſſe originem cultus ſerpentium, ſed tandummodo ſignum imbecillitatis & timiditatis offerentium.

Ludis verò hiſce: *Quomodo autem de Crocodilis dici queat, homines cum iis temporis fallendi cauſa luſiſſe & nequaquam timuiſſe, nondum video.* Ante ipſe probaveras luſum hominum cum ſerpentibus, jam provocas ad maxime inanem. Reſponde tu, ſi placet, Vir Doctiſſime, jamjam ludis cum Crocodilo. Reſpondeat pro me & te Cl. *Bochartus* Hieroz. Part. II. p. 774. l. 19. *Nonne cicurari* (Crocodilos:) *etiam nonnulli ſcriptores tradunt, ita ut ſe vocantes intelligant, & offam patiantur in os ingeri, & aperto rictu purgandos manibus dentes & linteolo detergendos præbeant?* Hæc jam tibi & mihi reſpondeant.

Quoad ſecundam ſententiam, cum prolixus eſſe noluerim, non omnia licitum fuit adferre, quæ cenſura tua poſtulat. Ex parte §. VI. explicationem dabit, ubi differentiam inter Virorum Celebb. quos impugnavi, & meam ſententiam oſtendi. Obvia erant, quæ adducis, apud Mythologos & Philologos, nec contra me faciunt, cum non omnem ad hiſtoriam lapſus alluſionem in illis gentilium ritibus negem.

In tertia ſententia male te habet, quod non teſtimonia Veterum adduxerim, *quibus probaverim, gentes antiquiſſimas cultui ſerpentum deditas fuiſſe.* Sed cum relegaverim §. III. Lectorem ad eos Authores, qui teſtimonia antiquiora adduxerunt, non opus habui plura afferre, quominus per tædioſam repetitionem moleſtus eſſem. Addi tamen poſſunt, quæ Sect. III. §. V. attuli. Doctis talia ſatis probata ſunt, indoctis nunquam probabuntur. Si velis adire *Euſeb.* præpar. Ev. Lib. I. C. 10. & *Juſtin. Mart.* Apol. II. invenies, quæ te docebunt

cebunt, antiquiſſimos Phœnicios Deum ſub forma ſer-pentis adoraſſe.

Dum Tabulam Iſiacam non magni facere videris, plane aliter ſentis quam Eruditiſſ. *Pignorius*, qui Expoſ. p. I. illam vocat *puræ putæ antiquitatis inſigne monumentum*. Sed Eruditi ſæpius in diverſa abeunt. Quando cum Cl. *Spencero* provocas ad *Oboth*, ſcias velim, Amice doctiſſime, me illud argumentum nihili plane facere, eo quod faciam cum *Cl. Millio* Diſſ. Sel. VII. Quartam ſententiam quod attinet, de calliditate ſerpentum; quare quæſo non etiam vulpes callidiſſimas divino honore proſequuti ſunt Veteres? Mihi ſane ſæpius viſum, nimium anxios eſſe hodierni ævi Eruditos in excuſandis Veteribus idololatris. Si legere dignarentur *Diodorum* & *Lucianum*, non tanti ſane facerent Ægyptiorum adeo famoſam ſapientiam.

Sed tandem deveniendum ad propriam ſententiam. Propoſueram eam hiſce Sect. III. §. I. ſcilicet: *Scaturiginem Cultus Serpentum in primo Evangelio quærendam, dum Diabolus illud Oraculum falſum reddere conatus ſit eo, quod gentibus ſui ipſius cultum ſub ſerpentis ſpecie imperaverit.* Duobus præcipue offenderis Vir Docte;

1.) Quod Diabolo imperium adſignaverim.

2.) Quod dixerim, ſcaturiginem mali in primo Evangelio quærendam.

Ad duo hæc reſpondendum erit, & quidem, dum falſe rides, quod Diabolo imperium adſcripſerim, ſequentia repono.

A. Haud dubie Eruditionem Tuam haud latet, Diabolum vocari *Principem*, *Dominum*; ita audit ἄρχων τοῦ κόσμου & ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος. Joh. XII. 31. Eph. II. 2. Cui competit titulus *Domini*, illi ſane & competit *Imperium*, ille itaque imperat.

B. Expreſſe Diabolo adſcribitur imperium mortis, Hebr. II. 14. Ita ludit eruditiſſ. Antagoniſta, ac ſi ne

ſando quidem audiviſſet olim controverſiam in Belgio agitatam de poteſtate & imperio Diaboli in fideles Vet. Teſtamenti.

C. Urges autem quam maxime, Vir Docte. terminum huncce *imperandi* ineptum eſſe, quia alias, ſecundum hypotheſin tuam, Diabolus *debuiſſet humana forma vel viſibili ſpecie inter homines apparere*, vid. p. 428. l. 7. Verum quam abſona hæc, nemo ſanus non videt. Quaſi vero Scriptura Sacra, quando Diabolo imperium tribuit, inſimul in illo imperio neceſſario apparitionem Diaboli humana forma vel viſibili ſpecie præſuppoſuiſſet. Talia refutationem non merentur. Novit Philoſophus, prædicata ſemper convenienter ſubjectis eſſe intelligenda.

Quando vero dixi, *ſcaturiginem cultus ſerpentum in primo Evangelio quærendam*, iterum mea non intellexiſſe videris Amice, dum Andabatarum more inaniter ſemper feris. Mens mea erat: *Seductionem primam non fuiſſe cauſam cultus ſerpentum apud miſeros mortales. Sed Diabolum propter maledictionem in ſe & inſtrumentum ſeductionis pronuntiatam, irritatum, tentaſſe effatum illud irritum reddere, eo ipſo, quod ſuſceperit cultum animalis à Deo maledicti ſeductis mortalibus adorandum præbere, & ſub hoc emblemate ſemetipſum.* Hanc meam ſententiam ita impugnas p. 432. *Te judicem poſco, ipſemet momentum hujus diſtinctionis ponderato; Alterutrum horum innuitur, aut quod Diabolus non ut ſeductor ſed conculcandus hunc cultum inſtituerit, aut quod gentiles non ad ſerpentem ſeductorem, ſed conculcandum reſpexerint.*

Sed quid ſi reſponderim, neutrum horum me innuere voluiſſe? Nec Diabolus hunc cultum inſtituit ut conculcandus, nec gentiles reſpexerunt Diabolum ut conculcandum. Non *prius*, cum plusquam abſurdum fuiſſet cultum Numinis conculcandi imperare. Non *poſterius*, cum tantum ſaltem ſanæ mentis gentilibus ſuperfuiſſet, ut judicare potuiſſent, Numen imbecille

concul-

conculcandum adorandum non eſſe. Hoc innuere volui: Diabolum inſtituiſſe huncce ſui & ſerpentis cultum ad irritum reddendum Oraculum maledictorium in ſe & ſerpentem enuntiatum, hocque inſtituto demonſtrare voluiſſe, ſe revera eſſe Dominum & Principem hujus mundi nullo modo conterendum. Gentiles vero & miſeros mortales Diabolum & ſerpentem reſpexiſſe ut talem Principem & Dominum, qui habeat virtutem & regnum, qui itaque ſit colendus. Et hoc ſenſu dixi, ſcaturiginem cultus ſerpentum in primo Evangelio quærendam, hacque ratione Diabolus revera implevit divinum Oraculum, & ſerpens propter imperium & aſtutiam Diaboli divino honore mactatus fuit. Hanc meam ſententiam adeo clare propoſui Sect. III. §. 2. ut me capere debuiſſes Vir Docte, ni pruritus refutandi Amicum impedimento fuiſſet.

Nec etiam hoc argumentum meum nimium probat, uti credis p. 433. Reapſe quidem omni niſu Diabolus ſtuduit dilatare regnum ſuum per cultum idololatricum, ſpeciatim vero huncce ſerpentum cultum, ad debilitandum in ſe & ſerpentem prolatam ſententiam, quam tamen eo ipſo implere debuit.

Et hanc meam ſententiam jam olim foviſſe Celeb. *Pignorium*, magno cum gaudio reperi in Expoſ. Menſ. Iſ. p. 23, 24. cui tamen nemo tam acerbe dicam ſcripſit, uti Amico in me placuit. Sed habent ſua fata libelli. Haud dubie amicorum eſt detegere nævos. Apponam autem verba Eruditiſſ. *Pignorii* ita ſe habentia: *Oſiridis ſubſequentis caput ornat ſacra ſerpens, in Tabula ita frequens, ut in mentem veniat mirari hominum ſtoliditatem, qui à Deo Opt. Max. ita aberrarent, ut ſordidam hoc animal venerarentur. Neque vero Ægyptii tantum huic dementiæ affines. Indi enim, Phœnices, Arabes, Babylonii, Pœni, Bœotii, Epirotes, Sicyonii, Epidaurii, Romani, è noſtris hæretici quidam, & novi Orbis incolæ huic inſaniæ manus dedere. Tanto ſtudio Diabolus, triumphati hominis ſymbolum ut aſſereret, laboravit,*

boravit. *Credo, ut eam jacturam reſarciret, quam olim fecerat, cum Serpentem Deus inter omnia animantia & beſtias terræ maledictum eſſe juſſerat.* Viden' Cl. *Pignorium* eodem inſaniæ prolapſum mecum; liceat mihi cum ipſo ſuaviter inſanire, & cum hæc Cl. Viri plane omnia mea comprehendant, in quæ Amice inſurrexiſti, adeo ut non tam me, quam Virum Celeberrimum refellere voluiſſe cenſendus ſis, plura circa illa non addam, & finem reſponſioni meæ imponam, poſtquam pauca circa Epiſtolam tuam eruditiſſimam adhuc monuero.

Satyricum agis in Obſ. tua tertia, cum mea ſententia omnem Philologicam veterum errorum diſquiſitionem inanem fieri contendis. Minime vero: ex ipſa Diſſertatione mea videre potuiſti, me Philologorum opera haud raro uſum fuiſſe; Ut enim nimiam in ſtudiis ejuſmodi exoticis diligentiam improbo, ſic moderatam & ſacris cum judicio applicatam magni ſemper facio. Nec ideo omnis veterum rituum indagatio rejicitur, quando ad fœdum ſerpentum cultum inveſtigandum ad imperium Diaboli, & ipſius conatum, ut primum Evangelium irritum redderet, recurrendum cenſetur. Conſequentia ad reliquos ritus idololatricos non valet, cum huic cauſæ tam facile applicari nequeant, etſi Diaboli inſtinctu omnes introducti fuerint, uti ipſemet fateris.

Nec magis ſeria eſt Obſerv. tua quarta, ubi me, omni poſthabita ratione ac modo, ſola authoritate, Diabolum ſui ſub ſerpentis ſpecie cultum imperaſſe ſtatuis. Non excludo modum, quo ſpiritus impurus illud effecerit, etſi eum me ignorare ingenue fatear: Latet enim nos modus, quo Spiritus in alios agit, etſi rem ipſam negare non poſſimus. Tam arctis cognitio noſtra, hac ut plurimis aliis in rebus, circumſcripta eſt limitibus, ut ignorantiam ſuam in iis fateri probro minime duci

debeat.

debeat. Et hæc reſponſio etiam contra ſeq. obſervationem valebit.

Ludis tandem, Vir Docte, in eo, quod Diabolum non *tardaſſe*, hunc ſui ſub ſerpentis ſpecie cultum inſtillare, dixerim, cum ante Diluvium nulla cultus ſerpentum veſtigia nobis ſuppetant. Non eo tendit hæc mea locutio, ac ſi ſtatim poſt lapſum homines ſerpentes adorarint. Sufficit, quod inter prima idololatriæ genera obtinuerit; nec, uti tu putas, ab Ægyptiis demum hic cultus ex figurato in verum ad alias gentes permanavit, cum tum è loco Cl. *Pignorii* ſupra citato, tum ex ipſamet Diſſertatione mea paſſim clarum ſit, alias & antiquiores gentes quamplurimas ſerpentes adoraſſe. Deinde probabile admodum eſſe credo, Idololatriam jam ante diluvium locum habuiſſe, etſi à plurimis Viris Doctis hæc ſententia impugnetur: Non vacat nunc Diſputationem hanc ingredi, ſufficiat citaſſe locum inſignem, qui mihi nunc opportune occurrit, ex Epiſt. S. *Judæ*, commate 2. ubi via Caini cum τῇ πλάνῃ Bileami & antilogia Kore conjungitur. Quid autem aliud Bileami peccatum quam Idololatria fuit, & annon Korachus cum ſociis ſeſe horrendo Idololatriæ crimine commaculavit, cum ignem alienum ſacro Dei cultui inferre ſtuduit. Ergo via Caini Idololatria erit; Et ſuperſtitio magis dominata eſſe videtur temporibus illis primævis, quam Atheiſmus ſtricte ſic dictus. Sed his immorari non lubet: Reliqua vero, quæ hinc inde per Epiſtolam tuam diſperſa ſunt, tum tecte mordacia, tum animum criticum & irriſorium prodentia, non moror. Tanti enim non ſunt ut altum

eripiant mihi ſomnum, & dulcia tempora perdam.

Hic ergo pedem & limites Reſponſionis meæ figere conſtitui; nolo enim ulterius tempora tua circa hanc materiam morari, quæ majoribus dicaſti. Gratulabor mihi, ſi aliqua ex parte Tibi ſatisfecero; ſin minus, & ſi tibi lubuerit orbem literatum circa eandem ma-

periam amplius ſcriptionibus tuis diſtare, per me quidem licet, quamvis profitear ingenue, me verbum non amplius additurum, nec lectoribus noſtris moleſtum ulterius futurum; Alia magisque proficua & aliis & mihi deinceps tractanda habebo, ut ejuſmodi diſceptationibus amplius vacare nec licitum nec lubitum futurum ſit.

De tua ſententia nihil addo, etſi enim magna cum oſtentatione & multo acumine ingenii propoſita ſit, ſponte tamen firmata mea corruit, quippe quæ invicem conſiſtere nequeunt.

Vale Doctiſſime Vir, & orbem litteratum docere perge. Vale!

* * * * * * * * * * * *

* * * * * * * * *

* * * * * *

* * *

IX. ACA-

IX.

ACADEMIÆ TIGURINÆ HODIERNA FACIES. *

Qua

Profeſſorum publice in ea docentium

Natales, Munera & Scripta, recenſentur.

I.

JOH. RODOLPHUS CRAMERUS, natus d. 14. Febr. 1678. V. D. M. 1699. Ex Peregrinatione Literaria domum redux A. 1702. Succeſſit Fratri Cel. *Jo. Jacobo Cramero*, præcocii nimium fato Reip. Liter. abrepto, in Profeſſione Linguæ Hebr. in Collegio Inferiore, quod Humanitatis vocant. Dehinc demandata Ei Provincia docendi Hiſtoriam Sac. & Profanam, A. 1705. nec non Linguam Sanctam, in Collegio ſuperiore ſeu Carolino, A. 1706. receptus eſt A. 1717. in Collegium Ven. Canonicorum. Factus tandem Profeſſor S. Theologiæ V. Teſt. A. 1725. Præpoſitus

* Conf. Biblioth. Brem. Cl. II. p. 561-579. unde patet, quanta, exiguo abhinc temporis decurſu, intra decem circiter annos, mutatio heic contigerit, ut pauciſſimi, qui A. 1718. floruerunt, adhuc dum ſuperſint.

tus vel Decanus Ven. Canonicorum Collegii, A. 1731. & Profeſſor Theol. Novi Teſt. A. 1735.
In lucem edidit, quæ ſequuntur.

1. Decas Theſium Theol. ſub Præſidio Fratris, *J. Jac. Crameri*, S. Th. Doct. & Prof. Herb. defenſa. 1700. 4.
2. Diſſertatio, Filium Dei, Eccleſiæ non Novi tantum, ſed & Vet. Teſtamenti, præſentem ex loco Jeſaiæ XLVIII. 16. exhibens. Eodem Præſide. Herb. 1701. 4. pl. 5. V. Scheuchz. Nov. Liter. Helv. 1701. p. 15. ſq.
3. הלכות בכורים, ſeu Conſtitutiones de Primitivis, R. Moſis F. Maimonis, quæ inter Titulos III. Partis Operis Maimoniani, משנה תורה ſeu יד חזקה appellati, habentur, cum Verſione & Notis Philologicis, &c. Lugd. Bat. 1702. 4. pl. 22.
4. Henr. Altingii Hiſtoriæ Sac. & Profanæ Compendii, cum Orbis & Incolarum Deſcriptione, ut & J. H. Suiceri, S. Th. D. &c. Hiſtoriæ Eccleſ. Chronologicæ Delineationis, Continuatio & Supplementa usque ad annum 1707. cum plurimorum locorum Emendatione. Tig. Typ. Geſsner. 1707. 8. pl 35.
5. Diſſertatio Philol. de Lege העגלה הערופה, ſeu Juvencæ decollandæ, ob repertum in agro cadaver, ex Deuter. XXI. 1-9. Reſp. Fratre J. Conr. Cramero. 1708. 4. pl. 3.
6. Danckbare Gedächtnus des groſſen Jubel-Jahrs der Gnaden-reichen Reformation, darzu der ſelige und hocherleuchtete Magiſter Ulrich Zwingli, mit ſeiner am Neu-Jahrs-Tag 1519. allhier bey dem Groſſen Münſter gehaltenen erſten Evangeliſchen Predig, den Anfang gemachet. Nun auf den Neu-Jahrs-Tag 1719. Hoch-Oberkeitlich angeordnet, und bey Verhandlung der Worten Pſal. CVII.

I, 2.

1, 2. in der Kirchen zun Predigern kurtz und einfältig vorgeſtellt. Zürich, gedruckt in der Geßneriſchen Druckerey. 1719. 4. Bogen 3.

7. Der liebliche Geſang-Dichter in Iſrael. Oder: Die Pſalmen Davids, nach der Züricheriſchen Uberſetzung, mit ihren Summarien, Abtheilungen, vilen zum Zweck, Verſtand und nothwendigen Zueignungen derſelbigen dienenden Anmerckungen; (erſtlich von Hrn. Præl. Friſchen gemachet, aber unter Hrn. D. Hedingers Namen herausgegeben, jetz aber vermehret;) darvon in der Vorrede der erforderliche Bericht zuerſehen iſt; erläutert und herausgegeben. Zürich, bey David Geßner. 1721. in groß 8. Bogen 42.

8. Diſſertatio Theol. de Certitudine Principiorum Religionis vere Chriſtianæ. Reſp. J. Jac. Breitingero. Aſſum. J. Caſp. Hofmeiſtero. 1724. 4. pl. 4.

9. - - - de Filio Dei, Salvatore N. ſub Vet. Teſtamento jam Sacerdote. Reſp. 2. Candid. 1724. 4. pl. 2½.

10. - - - de Summa Prædicationis Apoſtolicæ: Quod JESUS ſit CHRISTUS. Reſp. J. Caſp. Hagenbuchio. Aſſum. J. Jac. Bigelio. 1725. 4. pl. 5.

11. Diſquiſitionis Theol. de genuina indole Fidei Jeſum ceu Chriſtum recipientis, Pars Prior. Reſp. Joh. Heſſio. Aſſum. J. Caſp. Heſſio, Fratribus. 1726. 4. pl. 3.

12. Ejusd. Pars Poſterior. Reſp. G. Chr. Toblero. Aſſum. J. Jac. Toblero, Fratribus. 1727. 4. pl. 4.

13-18. Diſſertationes Theol. de Benedictione Moſis in Tribum Levi enunciata, Deut. XXXIII. 8-11.

(hactenus) Sex. Reſpp. 26. Candidatis. A. 1725. ſqq. 4. pl. 15. Vide Tempe, T. I. p. 240.

19. - - - Septima. Reſpp. 7. Candid. 1736. 4. pl. 2½.

20. Poſitiones Theol. ex Paſtorali Inſtructione S. Pauli ad Titum data, excerptæ. Reſpp. 2. Candid. 1727. 4. pl. 1.

21-28. Demonſtrationis Theol. quibus in rebus Vera Religionis à Chriſto & Apoſtolis prædicatæ Præſtantia ponenda ſit, Partes (hactenus) Octo. A. 1728. ſqq. 4. pl. 33. Vide Tempe, T. I. pag. 444, 445. & Helvet. Biblioth. St. IV. Bl. 197. f.

29. Theſes Theol. exhibentes nonnullos Antichriſti Characteres, ex S. Scriptura depromptos. Reſp. Joach. Streiffio, Glaron. 1729. 4 pl. 1.

30. - - primaria Religionis ſalutaris Capita continentes. Reſp. Joh. Sulzero, Vitod. 1730.

31. - - ex Epiſtola S. Judæ Apoſtoli. Reſp. Chriſtiano Scherero, Togg. 1731. 4.

32. Poſitiones Theol. de Religione. Reſp. J. Lud. Meyero. 1733. 4.

33. Meditatio Theol. Evangelicæ Reſipiſcentiæ & Fidei ex Pſal. CXXX. Specimen exhibens. Reſpp. 2. Candid. 1734. 4. pl. 2½.

Edi quoque curavit Fratris ſui, J. Jac. CRAMERI, SS. Theol. Doct. ejusd. ut & Ling. Orient. atque Eccl. Hiſt. Profeſſ. Herbornenſis, Opuſcula Philologico-Theologica. Sive *Theologiam Iſraelis*, qua Goelis Officium & Myſterium, ad confirmandam Jeſu Chriſti Deitatem & Officium, ex Hebræorum potiſſimum Scriptis proponitur, & varia alia Philologica ac Theologica pertractantur, &c. Acceſſit J. Henr. Schrammii Oratio Funebris in Ejus Obitum. &c. Francof. & Lipſ.

Typ.

Typ. J. N. Andreæ. 1705. 4. duabus partibus. Conf. Scheuchz. Nov. Liter. Helv. 1702. p. 5. & 1704. p. 6, 7.

Solennes Orationes habitæ ſunt ab Eo ſequentes:

I. Inauguralis, de Philologis à Reformatione in Schola Tigur. claris. dicta 14. Cal. Octobr. 1702 cum Profeſſio Linguæ Hebr. in Coll. Hum. auſpicanda fuerat.

II. Paſchalis, de Chriſtianorum Veterum Feſtum Paſchatis diem celebrandi modo ac ritibus. d. 22. Martii. A. 1704.

III. Oratio, qua Eccleſiam Gallicanam ſeu Galliarum Reges una cum Populo, ab initio Chriſtianiſmi ad noſtra usque tempora, Pontificis Rom. abſolutæ Poteſtati, cumprimis in Temporalibus, fortiter & feliciter ſeſe nunquam non oppoſuiſſe, demonſtratur. dicta d. 12. Sept. 1707.

IV. Pentecoſtalis, qua Spiritum, qui in Fidelium cordibus loquitur & operatur, & qui in Scriptura S. locutus eſt, unum eundemque eſſe, demonſtratur. d. 23. Maji. 1711.

V. De Jure Naturæ ejusque primis Principiis ſeu Officiis. d. 12. Sept. 1718.

VI. De Veterum, Schiſmata in primitiva Eccleſia orta componendi ſeu tollendi, modo ac mediis. d. 28. Jan. 1724.

VII. Inauguralis, de Experientia Theologica; qua Profeſſionis Theol. Vet. Teſt. Inauguratio facta. d. 11. Sept. 1725.

VIII. Meditatio, cur Unio inter Proteſtantes optatum ſucceſſum nondum plene ſit conſecuta. d. 27. Jan. 1729.

IX. De Fiſſuris Sionis noſtri. d. 27. Jan. 1735.

II.

JOH. HENRICUS HIRZELIUS, *Pater*, natus d. 14. Aug. 1679. V. D. M. 1701. primum ad docendam linguam Hebræam à Curatoribus Athenæi Patrii in Collegio Humanitatis ab A. 1706. admotus eſt. Dein ab A. 1710. in tradenda lingua Latina Socero ſuo, *J. Henr. Friſio*, Viro Clariſſimo, vicariam præſtitit operam. Eidem A. 1718. ſuperos petenti ſucceſſit. Vid. Biblioth. Brem. Cl. II. p. 349. donec A. 1731. Profeſſor Linguæ Græcæ in Collegio Superiore & Canonicus creatus, nuper etiam Magnifici Rectoris Munus capeſſere cœpit. In publicum edidit, præter nonnulla alia:

1. Diſſertationem Theologico-Philolog. qua Ritus Effuſionis Aquarum, & Gaudium Domus Hauſtionis, quemadmodum in Tabernaculorum Feſto obtinebant, ex Antiquitatibus Judaicis eruuntur & illuſtrantur. Præſide *Joh. à Marck*, Phil. & S. Theol. D. ac Prof. Lugd. Batav. ap. Elzev. 1704. 4. pl. 5.
2. Fundamenta Punctationis Linguæ Sanctæ, in Compendium redacta, Punctationis Specimine aucta, ac in uſum ſtudioſæ Juventutis adornata. Tig. Typ. Bodmer. 1708. Editio altera, nonnullis in locis aucta prodiit ib. Typ. Heidegg. 1727. 8. pl. 7.
3. Brevem de Obſervatione Sermonis Latini Commentarium; cui acceſſerunt varia de ejusdem Sermonis Exercitatione, cæterarum item Linguarum ſtudiis, præcepta ac exempla. Tig. Typ. Bodm. 1717. 8. plag. 10.
4. Ideam Dictionis & Prudentiæ M. T. Ciceronis; in Phraſibus, Formulis & Sententiis, ex illius ad Familiares Epiſtolis excerptis. Acceſſit Mantiſſa Obſervatio-

vationum puræ Latinitatis. Tig. Typ. Bodm. 1720. 8. pl. 15½.

5. Gratulationem Sermone Metrico comprehenſam, ad Magnificentiſſ. & Ampliſſ. Virum DN. JOH. HENRICUM HIRZELIUM, Illuſtris Reip. Tigurinæ COS. P. P. cum ob maxima in Patriam Merita ab Auguſto ac Supremo Senatu ſummus Reip. Honos Ei conferretur ipſis Calend. Martiis Anno MDCCXXXIII. ex Offic. Geſsner. 4. pl. 8.

6. Principia Sermonis Græci, juxta Methodum Recentiorum, quæ vulgo Welleriana dicitur, &c. Tig. ex Officina Heidegg. 1736. 8. pl. 12. V. Tempe, T. I. p. 576.

Ejusdem Orationes Solennes ſunt iſtæ:

I. De Dono Linguarum ad I. Pentec. in Apoſtolos effuſo. Pro auſpiciis Profeſſionis Hebrææ in Colleg. Hum. dicta A. 1706.

II. De Religionis Chriſtianæ Sapientia. A. 1712.

III. De Relig. Chriſtianæ Sanctitate. A. 1719.

IV. De Relig. Chriſtianæ Veritate. A. 1726.

V. De triplici Dei in Linguis hominum Miraculo ad Pentec. anni 1730.

VI. De Linguarum poſt tempora Apoſtolica Fatis & Uſu in Reformatione Religionis maximo. Pro auſpiciis Profeſſionis Ling. Græcæ & Canonicatus, ad ferias Caroli M. anni 1732.

III.

DAVID LAVATERUS, natus d. 21. Decembris A. 1692. V. D. M. 1713. deſignatus Profeſſor Linguæ Hebrææ, primo in Collegio Inferiore, A. 1718. dein

dein vero in Coll. Superiore, ubi ſuperaddita fuit Profeſſio utriusque Hiſtoriæ, Eccleſiaſticæ & Profanæ, A. 1725. inde promotus eſt ad Cathedram Philoſophicam & Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, A. 1731. Scripta Ipſius in lucem hactenus edita ſunt ſequentia:

1. Diſſertatio Metaphyſica, ſiſtens brevem Delineationem rerum, quæ de DEO ex Lumine Naturali hauriri poſſunt. Prima. Reſpp. 8. Candidatis. Tig. 1732. 4. pl. 3.
2. - - Secunda, in qua ex Dictamine Conſcientiæ & Populorum Conſenſu probatur: Dari DEUM. Reſp. 6. Candid. Tig. 1733. 4. pl. 2½.
3. - - Tertia, in qua ex Mundi Novitate probatur: Dari DEUM. Reſpp. 3. Candid. Tig. 1734. 4. pl. 3½.
4. Theologiæ Naturalis Pars Prima. V. Tempe, T. I. p. 241.
5. Diſſert. Metaph. qua Argumenta pro Exiſtentia DEI militantia ab Atheorum Exceptionibus liberantur. Reſpp. 6. Candid. Tig. 1736. 4. pl. 3.

Orationes.

I. Oratio Inauguralis, de Nobilitate & Utilitate Linguæ Sanctæ. 1718.

II. - Pentecoſtalis, de Enthuſiaſtarum fallibili verbo interno. 1726.

III. Oratio Inauguralis ad Profeſſionem Philoſophiæ Publ. de Inſufficientia Luminis Naturalis, ad æternam ſalutem conſequendam, habita A. 1732.

IV.

IV.

JOHANNES SCHEUCHZERUS, M. D. in Ill. Gymnaſio Tigurino Profeſſor Phyſicæ Ordinarius, & Reipublicæ Archiater. Academiæ Naturæ Curioſorum Socius, dictus *Philippus*. (natus A. 1682.)

Luci publicæ ab ipſo vulgata prodierunt:

De Uſu Hiſtoriæ Naturalis in Medicina, Diſſert. Inauguralis. 4. Baſileæ. 1706.

Agroſtographiæ Helveticæ Prodromus, ſiſtens binas Graminum Alpinorum, hactenus non deſcriptorum, & quorundam ambiguorum, Decades. fol. Tiguri. 1708.

Operis Agroſtographici Idea, ſeu Graminum, Juncorum, Cyperorum, Cyperoidum, iisque affinium methodus. 8. Tiguri. 1719.

Agroſtographia, ſive *Graminum, Juncorum, Cyperorum, Cyperoidum, iisque affinium Hiſtoria*. cum fig. 4. Tiguri. 1719. Præfixa huic Operi præfatio brevem continet, ad Cathedram Botanicam in Archilyceo *Patavino* vocationis, ejusque paulo poſt revocationis, Hiſtoriam: quorum Accidentium utrumque, duplicis hujus Operis *Agroſtographici* Editionem promovit.

Aliorum Scriptorum publicationem interrupit publica Ampliſſimi Senatus Tigurini ad *Secretariatus in Comitatu Badenſi* functionem vocatio, qua per decennium durante, plura & acta & in chartam conjecta ſunt Jurisdictionem omnem concernentia ſcripta. Poſtquam autem, ante plenariam decennalis temporis huic officio deſtinati exſpirationem, à Supremis Lycei Tigurini Scholarchis, ad *Profeſſionem Phyſicæ*, & *Reipublicæ Archiatratum* ab Ampliſſimo Magiſtratu, rariſſimo, imo inaudito hactenus exemplo, Anni 1733. ipſis *St. Johannis Baptiſtæ* feriis, fueram vocatus, & beato Fratri *Johanni Jacobo*, pridie ante in Domino pie defuncto,

functo, ſuffectus, cum Muſis in gratiam redire juſſus, typis vulgavi.

Diſſ. Philoſoph. *de Teſſeris Badenſibus*. 4. Tiguri. 1735.

Diſquiſitionis Phyſicæ *de Meteoris Aqueis, Pars Prima.* ſiſtens Materiam de Vaporibus, Nebulis & Nubibus. 4. Tig. 1736. (V. Temp. T. I. p. 241. & p. 446.)

Publico quinetiam ſcriptis partim communicata, partim publice pronuntiata ſunt ſequentia:

De Origine Montium, ad Illuſtr. Academiam Scientiarum Regiam Pariſinam, Diſſertatiuncula: Qua de re & ad Celeb. *Joh. Woodvvardum*, Anglum Epiſtola à me miſſa eſt. A. 1708.

Itineris Alpini, in Alpes Rhæticas A. 1709. ſuſcepti deſcriptio. Illuſtr. Acad. Scient. Regiæ Pariſinæ, Pariſiis exhibita: Qua occaſione Illuſtr. hujus Conſeſſus ordinarios conventus, rariſſimo exemplo, una cum Cel. *Nicolao Bernoullio*, J. U. D. & in Acad. Baſil. nunc Juris Profeſſore publico, frequentandi non licentiam modo ſed mandatum habui: quo tempore Eidem Ill. Academiæ prælegebam

Diſſertationem de Lapidibus figuratis, per Belgii Hiſpanici Provincias, & circa Pariſios in Lapidicinis obſervatis. A. 1710.

De Diluvio Univerſali Prælectiones Octo, durantibus Anni 1711. feriis Canicularibus publice habitæ.

Oratio Inauguralis, de Philoſophi Naturalis Objecto & Officio, publice pronuntiata in Feriis Caroli Magni, A. 1734. Secretariatus Badenſis officio nondum abſoluto.

Mei quin etiam ex parte Juris ſunt; *Animadverſiones Hiſtorico-Criticæ in Diplomata à Fabarienſi Monaſterio producta*; occaſione Deputationis, Menſe Auguſto A. 1734. ab. Illuſtr. & Potentibus tribus Rebuspublicis, *Tigurina*, *Bernenſi* & *Glaronenſi* illuc factæ, qua V I R Nobiliſſ. *Samuel à Muralto*, Sarunetani Diſtrictus tunc tempo-

temporis Præfectus Digniſſimus, una mecum defungebatur, ſub Relationis forma exhibitæ.

V.

JOH. JACOBUS LAVATERUS, F. natus d. 11. Sept. 1694. Patre Synonymo, Theologo Tig. Clariſſimo. V. ſupra pag. 20. V. D. M. 1714. Egit A. 1724. vicarium, & ſeqq. ordinarium Linguæ Hebr. in Collegio Humanitatis Profeſſorem. (V. Cel. Scheuchz. Phyſ. Sac. Proleg. in Catal. Auctorum, h. tit.) Poſtea ſuffectus præmatura morte abrepto τῷ Πάνυ *Joh. Jacobo Huldrico*, vix exornare cœpit Profeſſionem Ethices & Juris Nat. in Collegio Carolino, A. 1731. cum eodem anno revocaretur in Collegium Hum. ad docendas Linguas Græcam & Latinam. Tandem vero ſub finem ſuperioris anni deſignatus eſt S. Theologiæ Profeſſor Ordinarius V. T. & Canonicus Capituli Carolini. V. Temp. T. I. p. 443. Hactenus nihil edidit, præter

Diſſert. Theol. de Revelationum Divinarum Modo & Gradibus. V. Temp. T. I. p. 577. &

Orationem Inauguralem, quæ in fronte hujus ipſius II. Tomi vel V. Sectionis Temp. Helvet. exſtat, atque ſeorſim etiam, una cum Catalogo Scriptorum Hottingerianorum, edita eſt, Tig. Typ. Heidegg. 1736. 4. pl. 6.

Reliquæ Ejus Orationes Solennes hæ ſunt:

De deplorato Religionis Statu ante prædicationem Evangelii. hab. F. Felicis & Reg. 1721.

Inauguralis Prof. Hebr. de Principiis Religionis & Theologiæ Judaicæ. 1725.

De Deo Abſcondito. h. Vigilia Nativ. Chr. 1727.

De æterna Dei Civitate. hab. Vig. Pentec. 1733.

VI.

JOH. RODOLPHUS LAVATERUS, natus anno 1656. V. D. M. 1681. Præceptor Claſſis Primæ Scholæ Abbatiſſ. 1687. Profeſſor L. Hebr. in Coll. Hum. 1696. Catecheticus in eod. Coll. & Ethicus in Collegio Publico. 1697. Prof. Logicæ & Rhetoricæ in Coll. Humanit. 1710. Aliquot jam annos emeritus, Vicarium habet Cl. Breitingerum.

VII.

HENRICUS NEUSCHELERUS, natus d. 30. Sept. A. 1679. V. D. M. 1700. Profeſſor Catecheticus in Coll. Hum. A. 1710. & Biblicus in Colleg. Sup. A. 1716.

Orationem habuit Inauguralem de Præſtantia, Neceſſitate & Utilitate Theologiæ Catecheticæ, d. 27. Novemb. A. 1710.

Cæteræ Orationes ab Ipſo habitæ ſunt:

De Regno Lucis & Tenebrarum. in Vigilia Paſch. A. 1715.

In Verba Pauli, Hebr. XIII. 13. Exeamus ad Chriſtum extra caſtra, opprobrium ejus ferentes. Vig. Paſch. A. 1723.

In Gnomen Jobi, Davidis & Solomonis: Timor Domini eſt principium Sapientiæ. Vig. Nativ. Chriſti, A. 1731.

VIII.

JOH. CASPARUS HAGENBUCHIUS, natus 20. Aug. 1700. V. D. M. 1720. deſignatus Profeſſor Eloquentiæ d. 13. Octob. 1730. Orationem habuit Inauguralem, de legendis ad juvandam Eloquentiam Gentilium Libris, 7. idib. Nov. 1730. Acceſſit

Profeſſio Hiſtoriæ Profanæ d. 5. Aug. 1731. & Munus Scribæ Senatus Eccleſiaſtici, d. 2. Sept. ejusd. anni. Dixit Orationem de Nato nobis SOTERE, in Vig. F. Nativ. Chr. 1734. Noviſſime vero creatus Profeſſor Lingg. Græcæ & Lat. in Coll. Humanitatis, d. 20. Decemb. 1735.

Edidit

Exercitationem de Aſciburgio Ulixis, ad Taciti locum (de Morib. German. cap. 3.) Tig. apud Geſsn. 1723. 4. pag. 12.

Epiſtolam Reſponſoriam de eodem Themate, ad Virum Doctiſſ. *J. Georgium Altmannum*. ibid. 1723. 4. pag. 12.

Curas Secundas *Conradi Geſsneri in Ælianum*, ex Mſcr. ejus adCel. *Abrah. Gronovium* transmiſit, cum variis propriis Conjecturis ſeu Emendationibus. Quarum pars ad *Variam Hiſtoriam* pertinens inſerta eſt Editioni ejus recentiſſimæ & ſplendidiſſimæ, Lugd. Bat. 4. a. 1731. reliquæ autem ad *Hiſtoriam Animalium* facientes, quæ multo plures exiſtunt & majoris momenti, Editioni hujus proximæ ſervantur.

Annotationes nonnullas in *Orationem Ciceronis pro Milone* communicavit cum Clar. *Chriſt. Aug. Heumanno*, ad Editionem Ejus Orationum Ciceronis Selectarum. Iſenaci 1735. 8.

Eidem ex parte tribuuntur: Einiche Reflexionen über die Bader-Würffel, an den Auctorem des Alten und Neuen. Vid. Helvet. Biblioth. St. I. Bl. 188.

IX.

JOH. JACOBUS BODMERUS, natus A. 1698. Profeſſor Hiſtoriæ Patriæ, A. 1730. edidit, præter alia, junctis cum Cl. Breitingero ſtudiis nonnulla, quorum quædam indigitatio fiet infra p. 166.

X.

JOANNES JACOBUS BREITINGERUS, natus ipſis Idibus Martii A. MDCCI. abſoluto ſtudiorum curriculo in numerum V. D. Miniſtrorum receptus prid. Id. Julii A. MDCCXX. Profeſſor Linguæ Hebrææ in Collegio Humanitatis creatus VI. Kal. Jun. A. MDCCXXXI. cui mox intra bimeſtre ſpatium ejusdem Linguæ S. in ſuperiore Collegio Profeſſio demandata eſt: Sub auſpicia anni M DCC XXXIV. Clariſſ. Rhetoro-logicarum Artium in Coll. Hum. Profeſſori vicariam operam præſtare inſtituit: Anno M DCC XXXVI. ineunte Decanus Capituli Miniſtrorum V. D. juniorum electus eſt.

Scripta ejus præcipua hæc ſunt:

1. Diſſertatiunculæ de Teſſerulis Badenſibus V. Cl. J. G. A. Conjecturis oppoſitæ, & Diario Literario, quod inſcribitur Altes und Neues aus der gelehrten Welt, inſertæ.
2. Non minimam partem obſervationum moralium ſibi vindicat, quas *Societas Pictorum* in annis 1721-1723 publicæ luci germanico idiomate expoſuit ſub titulo: Die Mahler, oder Diſcurſe von den Sitten der Menſchen. IV. Theile. Zürich. in 8.
3. Jo. Jacobi Breitingeri in verſus obſcuriſſimos A. Perſio Sat. I. citatos Diatribe Hiſtorico-Litteraria in III. Diſquiſitiones diſtincta; quarum 1. Verſuum illorum Auctorem inveſtigat, eaque potiſſimum

ſimum Viro perſpicaciſſimo P. BAELIO oppoſita eſt: 2. genuinum illorum ſenſum exponit: 3. Perſium ab 'Ακρισία vindicat à *G. J. Voſſio* objecta; Speciminis loco edita: Tiguri, ex Offic. Bodmeriana, 1723. in 8. 3½. pl.

4. Neue Zeitungen aus der gelehrten Welt, zur Beleuchtung der Hiſtorie der Gelehrſamkeit, geſamlet von Bibliophilo. Zürich, 1725. in 8.

5. Troſt-Schrifft an das über dem frühzeitigen Ableben Joh. Caſpar Eſchers in Trauer geſetzte Wol-Adeliche Eſcherſche Hauß zum Kindlein, abgefaſſet von J. J. B. Zürich, 1726. in 8. Eſt parodia Opitiana.

6. Luculenta Commentatio in antiqua Monumenta in agro Tigurino nuper eruta; cum fig. æneis. 5. pl. inſerta *Amœnit. Liter.* Tom. VII. qui ap. Dan. Bartholomæi, A. 1727. editus eſt.

7. Supplementum ad Commentationem in antiqua monumenta in agro Tigurino eruta. Tomo VIIII. Amœn. Lit. Cl. *Schelhornii* intertextum.

8. *J. J. Breitingeri* Tig. Exercitatio critica in Vitam A. PERSII. Fl. tribus Sectionibus diſtincta, quarum 1ª. agitur de Auctore Vitæ Perſii. 2. Complectitur animadverſiones & caſtigationes in Vitam Perſii. 3. Remarques de Mr. le Preſident *Boubier*, ſur la Diſſertation critique in Vitam A. Perſii, adjectis ad marginem vindiciis: Inſerta Tomo X. Amœn. Lit. Cl. *Schelhornii*, qui prodiit 1729.

 9. De

9. De nonnullis Lapidibus literatis, Romanæ pietatis monumentis, amica Diſputatio, conſcripta à J. J. Breitingero, cum fig. æn. inſerta eidem Tomo Amœn. Lit.

10. Juncta cum Cl. Prof. *Bodmero* opera annis 1727. & 1728. publicavit Libellum, cui titulus: Von dem Einfluß und Gebrauche der Einbildungs-Krafft zur Ausbeſſerung des Geſchmackes; Oder genaue Unterſuchung aller Arten Beſchreibungen, worinne die auserleſenſte Stellen der berühmteſten Poeten dieſer Zeit mit grundlicher Freyheit beurtheilet werden. Franckfurt und Leipzig, 1727. in 8. Sequente vero anno alium ſub hoc titulo: Anklagung des verderbten Geſchmacks; Oder Critiſche Anmerckungen über den Hamburgiſchen Patrioten und die Holländiſche Tadlerinnen. Franckfurt 1728. in 8.

11. Sequentibus 1730. 1731. & 32. annis dedit græcam τῶν ό. Bibliorum editionem ſplendidiſſimam, cui titulus eſt: Ἡ παλαιὰ Διαθήκη κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα. Vetus Teſtamentum ex Verſione Septuaginta Interpretum, olim ad fidem Codicis MS. Alexandrini ſummo ſtudio & incredibili diligentia expreſſum, emendatum ac ſuppletum à JO. ERNESTO GRABE, S. T. P. nunc vero Exemplaris Vaticani aliorumque MSS. Codd. Lect. Var. nec non criticis Diſſertationibus illuſtratum, inſigniterque locupletatum; ſumma cura edidit Joan. Jacobus Breitingerus. IV. Tomis in 4. Tiguri, ex Officina Joan. Heideggeri & Sociorum.

12. Pro-

12. Prolegomena Theſauro Hiſtoriæ Helveticæ præmiſſa Latinitate donavit.
13. Collegit ac panegyrica præfatione auxit *Publicæ Pietatis Omina* & vota pro Salute Viri Magnificentiſſ. DN. JOANNIS HOFMEISTERI, cum ob ſumma in Remp. merita ab Illuſtris Reip. Tigurinæ Auguſto CC. Virorum Senatu Conſul eſſet deſignatus die XIII. Kal. Jun. A. R. S. MDCCXXXIV. Tiguri, Literis Conr. Orellii & Socc. in fol.
14. Artis Cogitandi Principia &c. V. Temp. T. I. p. 447.

Orationes ejus ſunt:

I. Inauguralis, de Lingua Deo O.M. familiari & quaſi vernacula, præcipuisque ejus virtutibus, recitata ad d. 29. Aug. 1731.
II. Apologetica, qua demonſtratur: Relligionem Eruditioni non eſſe inimicam; ſed contra maximum in Litteris veræ Relligioni poſitum eſſe præſidium. recit. prid. Feſti, quod S. Spiritui ſacrum eſt, A. 1735.

XI.

JOH. JACOBUS HOSPITALERUS, natus ipſo die Onomaſtico, 25. Julii, an. 1690. V. D. M. 1710. electus Paſtor in Orphanotrophio. 1728. & Profeſſor Ethices Chriſtianæ, 1731. Recitavit d. 4. Decemb. ejusd. anni Orationem Inauguralem, ſiſtentem: JESUM Chriſtum, Virtutis Morumque Auctorem & Formatorem; & in Vig. Feſti

Nativ. Chriſti, a. 1735. Orationem de magno Pietatis Myſterio, DEO manifeſtato in Carne.

Edidit קרבן ſive Diſſertationem Philologicam de Corban Judæorum. Sub Præſidio *Joh. Rod. Crameri*, Ling. Sanctæ & Hiſtoriarum Profeſſ. Publici. Tig. Typ. Geſsn. 1710. 4. pl. 2.

Der beſchäfftigte Tiſchgenoß bey der Gnaden-Tafel des HErrn; Oder aufweckende Anleitung zu denen Gottſeligen Betrachtungen und Ubungen der Gläubigen, welche zu würdigem und tröſtlichem Gebrauch des Heil. Abendmahls dienen. Begleitet mit einem kurtzen Vorbericht. Zürich, bey Heydegg. u. Comp. 1732. 8. Bog 17.

XII.

JACOBUS ZIMMERMANNUS, natus d. 10. Dec. 1695. V. D. M. 1718. ad capeſſendam Juris Nat. & Hiſt. Eccleſ. Profeſſionem vocatus 1731. ad quam auſpicandam habuit Orationem de Præſtantia Ethicæ Chriſtianæ collatæ cum præceptis Juris Nat.

Meditationes, quas cum Eruditis communicavit, ſequentes ſunt:

1. Diſſertatio de שְׂעִירִם inſerta Biblioth. Bremenſi Claſſ. VIII. faſcic. 2.
2. Diſſertat. epiſtolica ad Cl. *Infantium*, τον νυν ἐν Ἁγιοις, in qua contra *Cudvvorthum*, *Clericum* aliosque oſtenditur: *Syſtema de Naturis plaſticis*, poſita etiam & conceſſa exiſtentia Naturarum plaſticarum,

rum, dubiis in hoc argumento occurrentibus non ſatisfacere. Epitomen prolixioris Diſſertat. in Biblioth. Germanica Vir quidam doctus exhibuit; cum autem in quibusdam Auctoris mentem minus recte cepiſſet, epiſtolam hac de re Auctor ad Cl. *Infantium* miſit, quæ eidem Bibliothecæ inſerta.

3. Diſſertat. epiſtolica *de Fato Stoicorum* ad Cl. *Gerdeſium*, Theologum hodie Gröningenſem præſtantiſſimum. Eam aggreſſus eſt Cl. *Buddeus*, Theologus Jenenſis, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις in appendice ad Iſagogen Hiſt. Theolog. Rationes ipſius examinabit Auctor in Apologia Virorum Eruditorum falſo Atheiſmi ſuſpectorum; extat in Muſeo Bremenſi faſc. I.

4. Diſſert. Epiſtolica ad Cl. *Nonnen*, Theologum Bremenſem doctiſſimum, in qua *Evehemerus Meſſenius* contra Calumniam Atheiſmi defenditur. ibid. extat faſc. 4to.

5. Diſſertat. Epiſtolica *de Atheiſmo Platonis*, ſcripta ad Cl. *Brukerum* Auguſtanum, V. D. Miniſtrum Kaufbyrenſem Doctiſſimum, extat in Cl. Schelhornii Amœnitatibus. Tom. 9.

6. Diſſertatio *de Præſtantia Religionis Chriſtianæ collatæ cum Philoſophia Socratis*, inſcripta Cl. *Huldrico*, V. D. M. & Juris N. atque Ethices Profeſſori Clariſſimo, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, in Amœnit. Lit. Schelh. Tomo undecimo.

7. Apologia Diſſertat. *de Atheiſmo Platonis*, contra ea quæ Gundlingianorum parte 43. & 44. peracerbe monuit Cl. *Gundlingius*, inſcripta *Conrado Zieglero*,

L 5 Patri-

Patritio Schaphuſano, nunc cœlitibus adſcripto. ibid. Tom. 14. ſq.

8. *De Vita, fatis, & laboribus*, Viri Clariſſimi *Joh. Jacobi Huldrici*, Ethicæ & Juris Nat. in Gymnaſio Tigurino Profeſſoris libellus, una cum Oratione ejusdem, paucis ante mortem diebus habita; acceſſit *J. Zimmermanni* Oratio *de Stoicorum & Epicureorum Religioni Chriſtianæ intentatis convitiis.* Tiguri. 4. 1731. Priora etiam in Germ. Idioma translata a J.Jac.Haugio,Diac.Abbat.prodierunt ib. Typ.iisd. Geſsn. 4.1731. pl.16. V.Recenſionem in Sam̃lung auserleſener Materien zum Bau des Reichs GOttes. Beytrag XXXI. p.831.ſqq. XXXII. p. 1001. ſqq.

9. Eidem tribuitur libellus *de Miraculis Pythagoræ, Apollonii Thyanei, Franciſci, Dominici & Ignat. Lojolæ.* Quum autem ille libellus multis erroribus typographicis ſcateat, Auctor eum data opportuna occaſione non ſolum à mendis illis diligenter purgabit, ſed & inſigni acceſſione locupletabit. Accedet examen libelli à *P. Pardiſio* ſcripti, in quo probare voluit F. Xavierii miracula non minus fide digna eſſe, quam Chriſti & Apoſtolorum.

10. Item, *Dialogus de Ideis*, tertiæ parti Collectionis noſtræ p. 309. ſqq. inſertus. nec non

11. Oratio de Diſciplina Arcani, &c. dicta in Vigil. Paſch. 1736. quam hac ipſa Sectione Lectoribus exhibemus.

Idem ad prelum paratum habet Apologiam Virorum Illuſtrium falſo Atheiſmi ſuſpectorum, conſtabit opus univerſum duobus tomis in 4to. Epitomen ejus vide ſupra p. 127. ſqq.

XIII.

XIII.

JOHANNES GESNERUS, natus d. 23. Martii, 1709. Supremis in Medicina Honoribus ornatus Baſileæ, d. 5. Jan. 1730. Brabeuta *Joh. Rod.* ZUINGERO, Ph. & Med. Doct. Pract. P. t. t. Rectore, præmiſſa inaugurali Prælectione *de Uſu præclaro Matheſeos in Medicina.* Succeſſit Cel. SCHEUCHZERO Profeſſor Matheſeos, d. 24. Junii, A. 1733.

Edidit hactenus, præter nonnulla, quæ nomen alienum præ ſe ferunt, *Specimen Inaugurale Philoſophico-Medicum de Exhalationum Natura, Cauſis & Effectibus* Baſ. Typ. Mechel. 1729. 4. pl. 4.

Specimen Philoſophiæ Naturalis ad Uſum Vitæ applicandæ expoſitum in Meditationibus de Frigore. Reſpp. Henr. Burkhardo & Henr. Lochero. Tig. Typ. Rordorf. 1734. 4. pl. 2½.

XIV.

JOH. HENR. HIRZELIUS, *Fil.* natus d. 10. Decemb. 1710. V. D. M. 1731. Profeſſor Eloquentiæ 1735. Orationem Inauguralem dixit de Origine & Progreſſu Eloquentiæ apud Veteres Græcos & Romanos, d. 7. Jun. 1736.

XV.

XV.

LEONHARDUS HOLZHALBIUS, natus d. 18. Aug. 1708. V.D.M. 1729. Profeſſor Hiſtoriæ Profanæ, A. 1735. Oratione Inaugurali recitata d. 12. Jun. 1736. egit de Præſtantia, Utilitate & Jucunditate Hiſtoriæ Profanæ. In lucem autem A. 1729. edidit *Diſſertationem Philoſophicam de Commercio Mentis cum Corpore*, defenſam ſub Præſidio τȣ νυν μακαριτȣ Parentis, *Davidis HOLZHALBII*, Philoſophiæ Prof. Publ. & Ven. Canonic. Collegii Præpoſ. Tig. Typ. Geſsn. pl. 4. in 4.

* * * * * * * * *

* * * * * * * * *

* * * * * * * * *

* * *

X. *Nova*

X.

Nova Literaria.

1. Jacob Lauffers, Profeſſ. Eloq. & Hiſtor. allgemeine Geſchichte der Schweitzer in einer verknüpften Ordnung verfaſſet. Erſter Theil; bis zu dem Tode Clodovåus des Groſſen. Zürich, bey C. Orell und Comp. 1736. 8. 1. Alph.
2. Helvetiſche Bibliotheck, ꝛc. Viertes Stück. Zürich, bey C. Orell und Comp. 1736. 8. Bog. 16.
3. Die nothwendige Unterſuchung der vielfåltigen Ausflüchten / deren ſich der Sünder in der Aufſchub ſeiner Buß bedienet. Uber die Worte Geſch. der Apoſt. XXIV. v. 24, 25. vorgetragen in der Groſſen Kirch zu Bern von Johann Georg Altmann / D. G. W. und Prof. der Griech. Sprach, und der Sitten-Lehr daſelbſt. Bern. 1736. 4. Bogen 4.
4. Exercitatio Theol. in *Oraculum Jacobi de Schilo ſive Meſſia.* Gen. XLIX. 10. quam Præſide *Abrahamo RUCHAT.* SS. Theol. in Acad. Lauſannenſi Prof. P. defendit Nicol. Sebaſtian Allamand. 1736. 4. pl. 8.

* * * * * * * *

Contenta

Contenta
Sectionis Quintæ.

I. *Jo. Jacobi* LAVATERI, *F.* Oratio Inauguralis, qua, præmiſſa brevi *Icone Theologi*, deſcribitur *Vita* Viri Clariſſ. *JO. JAC.* HOTTINGERI, S. Theol. apud Tigurinos quondam Profeſſoris. p. 7.

II. Catalogus Scriptorum publicatorum Ejusdem Viri Celeb. *J. J. Hottingeri.* piæ mem. p. 38.

III. *Jac. Chriſt.* ISELII, Conjectura in locum Dialogi de Cauſis corruptæ Eloquentiæ. p. 53.

IV. *Jacobi* BRUCKERI, Diſſertatio Exegetica ad locum Pauli ad Epheſ. II. 1, 2. p. 58.

V. *J. F.* Oratio, de Diſciplina Arcani Veteris Eccleſiæ, noſtra ætate non uſurpanda. p. 76.

VI. Conſpectus Operis, quod editurus eſt *Jacobus* ZIMMERMANNUS, Tigurinus. p. 127.

VII.

VII. *Jo. Caſp.* HULDRICI, Epiſtola, qua Herma ſeu Statua Mercurii, prope vicum Altſtetten in Pago Tigurino noviter obſervata, luci exponitur. p. 134.

VIII. *Urielis* FREUDENBERGERI, Reſponſio ad Gab. Hürneri Epiſtolam, de Origine Cultus ſerpentum. p. 140.

IX. Academiæ Tigurinæ hodierna Facies. p. 151.

X. Nova Literaria. p. 173.

ERRORES.

Digitized by Google

E R R O R E S.

p. 147. l. 21. leg. debilitandam.

p. 150. l. 1. leg. ditare.

p. 151. l. ult. add. Rector Magníf. A. 1729.

p. 154. l. 2. pro 15. leg. 18.

TEMPE HELVETICA,

Diſſertationes atque Obſervationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Secundi

Sectio Secunda.

TIGURI,
EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.
M DCC XXXVI.

VIRO

Vere Venerando

Atque Illuſtri,

JOHANNI ALPHONSO TURRETINO,

Eccleſiæ Genevenſis

PASTORI VIGILANTISSIMO,

S.S. Theologiæ ut & Hiſtoriæ Eccleſiaſt.

PROFESSORI CLARISSIMO,

Illuſtriſs. Societatis ad Propagandum Evangelium in Anglia inſtitutæ,

Nec non

Ampliſs. Collegii Scientiar. Berolinenſis;

Socio Digniſſimo,

Ad Eccleſiæ Pacem & Concordiam ſtabiliendam & promovendam

ΕΡΓΟΔΙΩΚΤΗ Indefeſſo,

Ad Rempublicam Litterariam perpetuis ingenii ſui teſtimoniis & monumentis illuſtrandam

Scriptori Celeberrimo,

In omnes bonarum literarum Amantes

FAUTORI HUMANISSIMO.

Hunc

SEXTUM FASCICULUM
PHILOLOGICUM

omni Obſervantia
inſcribit,

Adque noſtram

TEMPE HEVETICAM

Ex perpetuo multivariæ Eruditionis theſauro
juvandam & augendam
commendat

J. GEORGIUS ALTMANNUS.

NICOLAI BRUNNERI V. D. M.
COGITATIONES,
DE
PRÆSTANTIA ET PERFECTIONE ORATIONIS DOMINICÆ. *

Argumentum:

§. I. Præjudicia quàm nociva ſint in progreſſu cognitionis & ſanctificationis. II. Omni niſu debellanda, utilis quorundam opera. III. Non nullos impediunt in cognoſcenda Perfectione Orationis Dominicæ. IV. Cum tamen à Chriſto non niſi perfectiſ-

 ſimum

* Tardius quam volueram comparet eruditiſſima hæc Diſſertatio, cum illam jam ante menſes plures à Doctiſſimo Auctore acceperim. Animus erat illam jungere Diſſertationi Epiſtolicæ Doctiſſ. Stapferi de eodem argumento, quam dedimus in Sectione tertia, pag. 351. cum autem hæc fuerit prolixior, nunc demum hic commodum locum invenire potuit. Hoc monendum videbatur, ut conſtaret lectoribus, duas de eodem themate eodem tempore ſcriptas fuiſſe Diſſertationes, cum neuter Doctorum horum Virorum noſſet, alterum aliquid de hoc argumento elucubrare in animum induxiſſe. J. G. A.

ſimum & ſapientiſſimum exſpectari poſſit. V. Quæ à diſcipulis Chriſti ſunt inveſtiganda. VI. Quod tentatur de Perfectione Orationis Dominicæ. VII. Quæ elucet ratione orantis, & orationis ipſius. VIII. Ratione orantis, ejus ſupponit fidem. IX. Humilitatem. X. Fervorem. XI. Perſeverantiam in precibus. XII. Ratione orationis ipſius, ſupponit Fœdus Gratiæ. XIII. Ejus bona, Vocationem efficacem, fidem §. 8. XIV. Regenerationem. XV. Juſtificationem. XVI. Sanctificationem. XVII. Obſignationem. XVIII. Glorificationem. XIX. Pandit bona N. T. ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. XX. Largiorem copiam Spiritûs Sancti. XXI. Et cognitionis. XXII. Sanctificationis. XXIII. Solatij. XXIV. Libertatis. XXV. Vocationis gentium. XXVI. Et conſtantem durationem Oeconomiæ N. T. XXVII. Oſtendit Chriſtum in triplici Munere Mediatorio, Prophetico. XXVIII. Sacerdotali. XXIX. Regio. XXX. Veſtigia regiminis ejus, in uno quoque fideli in ſpecie, inſunt Orationi Dominicæ. XXXI. Inquiritur, an eadem inveniri poſſint in ea, reſpectu Eccleſiæ in genere? idemque ex natura muneris Apoſtolici oſtenditur. XXXII. Petitione primâ invenitur Conſummatio operis ſalutis, Judæorum rejectio, urbis vaſtatio, Ceremoniarum abrogatio, eaque præcedens Spiritûs Sancti effuſio. XXXIII. 2dâ, gentium introitus in Eccleſiam, & Ethniciſmi exſtirpatio. XXXIV. 3tiâ, Eccleſiæ conſervatio, pullulante Antichriſtianiſmo. XXXV. 4tâ, ſumma imis miſcente eôdem. XXXVI. 5tâ, Liberatio ab illius jugo per Reformationem. XXXVII. 6tâ, Conſervatio & liberatio ex hora tentationis. XXXVIII. Ejuſdem felicia tempora, in Doxologia. XXXIX. Fidei ſigillum, promiſſionumque largiſſimum implementum in voce Amen. XL. Hactenùs aſſerta probantur. *a.* ex natura boni ordinis obſervati in Orat. Dom. XLI. *b.* ex communione capitis Chriſti cum omnibus

bus membris ſuis ad finem usque Seculorum. XLII. *c.* ex communione omnium membrorum inter ſe. XLIII. *d.* ex neceſſaria convenientia precum fidelium cum precibus Chriſti, & ex eo, quòd orandum ſit in nomine Chriſti. XLIV. *e.* ex eo, quòd totius major ſit habenda cura, quam hujus vel illius partis. XLV. *f.* ex eo, quòd verba Chriſti & Spiritûs S. exactè conſpirent cùm omniſcientia divina, Deique decretis, hinc dantur prophetiæ ſub ſchemate precum in V. T. XLVI. *g.* ex harmonia Orat. Dom. & fatorum Eccleſiæ N. T. XLVII. *h.* ex eo, quod Orat. Dom. divinô Servatore tantô dignior. XLVIII. *i.* ex eo quod contrà fidei praxin, ſanctimoniam, nihil occurrat in ſententia propoſita. XLIX. Refellitur ficulnea objectio, ità precanti non opus eſſe totâ Orat. Dom. L. Orationis brevitas, claritas, integritas, ſimplicitas. LI. Concluſio.

§. I.

INter mala illa communia generi humano, quibus mortalium vita hûc & illûc rapitur, non poſtrema ſunt præjudicia, ſive opiniones præjudicatæ, quas fovemus, re non ſatis trutinatâ, vel perſpectâ, vel ſtudiô partium non ſepoſitô; ita fit, ut vel errorem mordicùs teneamus, vel ipſa veritas nullo fundamento ſubnixa facilè ſubruatur, nec ad nativam ſuam evidentiam unquam aſſurgat, vel, quod pronum exinde, erroris nomine rejiciatur. Id ùt in omni vita vulgariſſimum, ſic in Religionis negotio plus quam cottidianum eſt. Hinc etiam tot tamque diverſæ hominum de Deo divinisque ſunt opiniones, ut, cum tamen Veritas una ſit & ſimplex, citius omnibus horologiis inter ſe, quam mentibus conveniat. Nec id ſolum eſt, ſed cum opi-

niones & ſententiæ ſemel aſſumtæ, actionum humanarum ſint quaſi Gubernacula, & Cynoſura, dici nequit, quot perverſas actiones producant ea præjudicia, dum homines ab unico officiorum tramite transverſos per avia rapiunt; teſtis rei omnis falſa Religio, quæ tam miſellos & abſurdos Deum colendi modos inter Gentes ſtabilivit, & debita erga ſe ipſum & proximum officia toties peſſum dedit. Ut verè quis dixerit, eſſe præjudicia Theologica & ſalutaris cognitionis & ſolidæ ſanctificationis noxiſſimam peſtem, malorumque ſcaturiginem inexhauſtam.

§. II.

Quæ cum ita ſint, Viri boni & ſapientis, haud dubiè, erit, peſtem eam omni modo avertere, idque eô magis, quô pretioſior eſt Veritas, quô magis neceſſaria vera ſanctificatio, quam ſine cœleſti cognitione hominum nulli dari & ex ipſius rei natura evidens eſt, & Sacræ Scripturæ pandunt ubertim. Nec etiam divinius nec auguſtius nec utilius quid Deus generi humano dare potuiſſet, quàm eſt veritas cœleſtis, à Deo ipſo nobis tradita & inculcata, & ope Spiritûs Sancti ad praxin revocata ad exemplumSanctiſſimiServatoris noſtri, qui ipſa veritas & λογος divinus, veritatem pandens & ad omnia vitæ negotia revocans eſt. Quæ omnia cum evertantTheologica præjudicia, bellum cum iis ἀσπονδον eſt omni genuino Chriſtiano, idque imprimis agendum, ut radicitus evellantur. Cui negotio egregiam operam præſtiterunt, celeberrimus Pfaffius in Diſſertatione *de Præjudiciis Theolog.* & Joh. Michael Ludewig in Diſſertatione *de Præjudiciis practicis*; qui poſt alios multo cum fructu legi poſſunt, & ad præjudicia evellenda multum conducunt; ne quid addam de multis aliis.

§. III.

Præjudiciorum ea non poſtrema noxa eſt, quòd impediant, quô minus ea omnia in apricum producantur,

cantur, quæ in verbis divinis involuta jacent, tum quod ex præjudicata opinione tanta non ineſſe, vel dudum omnia occupata, vel in κυρίας δόξας deſinere, quæ non à pluribus inculcata fuere, hominum animis vulgò ſedeat, quia plurimi non ex ipſius rei natura, ſed unicè ex ὁμοψήφων magno numero de ſententiæ alicujus ſoliditate judicant. Id, ut in aliis multis, ita in explicanda Oratione Dominica fieri mihi videtur. Egregia & verè Theologica ſunt, quæ tam multi Viri pij, doctique in eam ſcripſerunt, unctionis plena ſunt quæ apud multos legi. Supereſſe tamen non multa, quæ addi mereantur, mihi non eſt dubium; nec enim ea omnia hactenus inveni. Etſi fatear, me omnes tum Veteres tum Novos, nec legiſſe, nec qui ſunt, ſcire. Nimia Scriptorum mole obrutum eſt noſtrum ſeculum. Inveni tamen, qui digitum ad nonnulla intenderunt, & oſtium ad ulteriores meditationes aperuerunt.

§. IV.

Quas plane inanes fore, cum ad eas me accingerem, eó minus timui, quô divinior Orationis illius eſt Author. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Deus verus æternus. Sapientia iſtius Sapientiæ eſt infinita, non ergo exhauritur meditationibus humanis; eſt fons veritatis inexhauſtus, qui cuivis haurienti affatim porrigit, nec aquæ deficere poſſunt; eſt Lux mundi, cujus radios nullus oculus cæteris omnibus præripit, in eo omnes theſauri ſapientiæ ſunt reconditi; qui juſte quærit, quod denuo inveniat, videbit. eſt Conſiliarius Patris, revelat ſapientiam divinam, innumera ſunt in ea, quia infinita eſt, mentem ergo in ulteriora ſemper ducit. Divinus eſt precandi artifex, dignæ ſuo Authore ſunt ejus preces, conformes erunt proinde ſuo decreto, ſuo conſilio pacis, ſuis operationibus, ſuis prædictionibus, ſuo fœderi, ſuæ Oeconomiæ, & cum iſtis ex amuſſi qua-

drabunt, eamque tam divinam harmoniam quidni mens ſanctificata inveniet, rite opus adgrediens.

§. V.

Ea cum negari nequeant, nemo pius inficias ibit, veris Chriſtianis eſſe quærenda, in iſtis operam collocandam, vires in timore Domini tentandas, horas ſuccisivas impendendas, atque χαρισματα à benigniſſimo Numine gratiosè donata eſſe adhibenda, ad cognitionis ſalutaris progreſſum, rei Chriſtianæ emolumentum, ad Verbi divini tantô majorem illuſtrationem, & Sanctiſſimi Servatoris gloriam evehendam. Id eſt, quod ago, ad iſtam ego metam pro viribus mihi conceſſis tendo, & collimo, quia me in Schola Chriſti diutina penſa abſolvere, & Chriſtiana profeſſio & Verbi Divini Miniſterium, quô defungor, & ipſa profectuum neceſſitas, divinaque jubent præcepta. Quæ ſi quis ſusque deque habuerit, meumque conamen leviculè deriſerit, ejus ego judicium præcox viciſſim ne quidem titivillitio emerim, nulloque loco habuerim.

§. VI.

Neque rem Chriſtianis hominibus ingratam aggredior, de Orationis Dominicæ multivaria præſtantia mea cogitata Lectorum piorum judicio ſubjiciens. Eſt enim ab ipſo Servatore Jeſu Chriſto ſuis Diſcipulis præſcripta, ab omnibus retro Chriſtianis ſanctè habita, tum publico, tum privato Cultui Divino creberrimè adhibita; quod Antiquitatum Eccleſiaſticarum ruſpatoribus notiſſimum eſt, & Doctiſſimus Binghamus in *Orig. Eccleſ.* paſſim, Celeberrimus vero Walchius in Diſſertatione *de Uſu Orationis Dominicæ apud veteres Chriſtianos* expreſsè docuit, ne quid de ſuperſtitioſo ejus uſu, in Pontificiorum Roſariis, addam. Et hodienum rectè quaſi prora puppisque precationum noſtrarum eſt, cujus auguſtum atque proliχum ſenſum quô penitiùs quis inſpexerit, eô major

ſpes

ſpes affulget, rectè precaturum fore. Juvat adeoque divinam precandi artem, qui de præſtantia Orationis Dominicæ in clarâ luce collocandâ, deſudat, quod ego nunc, juvante Deo, conabor pro viribus meis.

§. VII.

Rectè precaturus de duobus in genere ſollicitus eſſe debet, ſcilicet de ſe ipſo, & de precibus effundendis. De ſe ipſo, ut talis ſit, qualem precantem eſſe convenit, eaque habeat, quæ Deus eum in Verbo ſuo habere vult, ut poſſint exaudiri ejus preces, quæ ad ſequentia capita commodè revocantur, nempe *fidem, humilitatem, fervorem & perſeverantiam in precibus*, quæ interna precantis requiſita conſtituunt. Ad preces ipſas requiritur, ut *conformes ſint fœderi gratiæ, Oeconomiæ & bonis Novi Teſtamenti, muneribus Chriſti, juſtoque modo ſint conceptæ;* quæ ulterius explanare nolo, quia alios exſcribere meum jam non eſt. Vide Clariſſimum Lampe, Theologiæ Activæ L. 2. c. 6. poſt alios multos.

§. VIII.

At verò in Oratione Dominica veſtigia earum qualitatum, quas precantem habere neceſſe eſt, aperta invenio, nec ſine mendacio, qui iis caret, eam ad Deum effundere poſſe, clare video. Id eſt, quod nunc oſtendam, & primo quidem de Fide. Eam definio cum Cl. Lampe; *illud opus Spiritus Sancti in animo, quô voluntas peccatoris vocati efficaciter movetur, Chriſtum ſolum & unicum ſibi aſſumendi, tanquam cauſam vitæ & juſtitiæ, ſeque totum Chriſto tradendi.* Eam verò fidem in Oratione Dominica quis non videt ubique pellucere. Vocatur Deus noſter Pater, Adoptionem ſupponit, ea eſt pars Juſtificationis, Juſtificatio eſt ex fide. Supponitur ergo fides in alloquio. Fides eſt per Charitatem efficax Gal. 5: 6. Amor ex puro corde, bonâ conſcientia & fide non fucatâ, ſunt Evangelij eſſe-

effectus in fidelibus. 1. Tim. 2 : 15. ea Charitas pelllucet ubique in Oratione Dominica, quia æque pro cæteris omnibus oramus, ac pro nobis ipſis, memores Paulini illius : *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod eſt unius cujusque alterius.* 1. Cor. 10 : 24. Cor fide purificatum ubique ſupponitur in Oratione Dominica, non de ſe, terrenis, carnalibus &c. ſed de Deo, diviniſque ſuas curas verſans. Id enim ex amuſſi fidei eſt. Ejus eſt quaſi vita & anima ſanctificatio Nominis divini, petitione 1. propagatio regni Dei, 2. perfecta obedientia, 3. rectus uſus bonorum terrenorum, 4. remiſſio peccatorum &c. 5. fuga omnis peccati, 6. & glorificatio Dei in Doxologia. Nolo hæc omnia prolixè explanare, quia quivis vel manibus palpat, materiæque ubertas ad ſequentia urget.

§. IX.

Ut fidem, ſic non minus Humilitatem facili opera quis in Oratione Dominica inveniet, quam definio, *Eam Spiritus Sancti Operationem in anima: quâ ex agnitione ſummæ Majeſtatis Divinæ, ſenſuque noſtræ* οὐδενειας, *indignitatis, & indigentiæ, nos totos Deo ſubjicimus, omnia bona ſoli ipſi accepta ferentes, nihilque noſtris meritis arrogantes.* Id ſi ſit, ùt eſt, vera Humilitas, tota ferè Oratio Dominica Humilitas eſt. Ejus eſt quod Patrem vocemus, filiorum eſt humiliari coram auguſtiſſimo Patre; ad eam Deus provocat Mal. 1 : 6. eaque eô major eſſe debet, quia in Cœlis eſt, quod totam ejus rationem pandit. Eccl. 5 : 2. Ejus eſt juxta petitionem 1mam Virtutes Divinas ponderare, omniaque cogitata, dicta & facta ad eas collimare. Ejus eſt ex petitione 2da, quicquid pro regno Chriſti faciamus, nil tamen operibus noſtris, ſed in ſolidum omnia Deo vindicare. Ejus eſt non ab arbitrio noſtro, ex petitione 3tia, ſed nutu, ductu, mandatoque divino nos totos pendere. Math. 16 : 24. Ejus eſt vera αὐταρκεια, propriaque pro terrenis molimina eatenus abnega-

negare, ut non à nobis, ſed benedictione divina neceſſaria expectemus. Hagg. 1:6. Eccl. 5: 8, 12, 13. & 9: 11. Ejus eſt in acquirenda juſtificatione omne operum meritum abnegare, ex petitione 5ta, publicani ad inſtar, Luc. 18: 10- 14. Ejus eſt in fuga peccati propriam ineptitudinem agnoſcere, ex petitione 6ta. & à Deo omnia exſpectare. 1. Theſs. 5: 23. & 3: 12, 13. Scopus Humilitatis eſt inDoxologia, agnitio & celebratio Virtutum Divinarum. Expendat Lector paraphraſes Catecheſeos Heidelbergenſis in Orationem Dominicam, & videbit totam humilitatem ſpirare.

§. X.

Nec etiam deſunt Fervoris veſtigia, is ùt in omni fidei vita, ita quàm maximè in precibus eſt neceſſarius; per eum intelligo *Opus Spiritus Sancti, quô homo ſuæ obligationis vinculum, rerumque petendarum neceſſitatem perpendens, affectibus accenditur, ut orando, & quod ſui eſt officii faciendo, impetret à benigniſſimo Numine deſiderata.* Egregiè quondam præfiguratus in thymiamate Sacerdotali. Candet quaſi cor, ùt prunæ, igne amoris, zelique pro gloria Dei, pervagatur is ignis deſideria cordis, ut aromata reſolvuntur in calidiſſima & intenſiſſima ſuſpiria, quæ, ùt criſpæ fumorum undæ ſe ſe invicem ſurſum trudunt & pellunt, & ad Deum ejaculantur; eos ignes intus alit, petendaque in preces & ſuſpiria reſolvit ventus Spiritûs Sancti. Rom. 8; 26. Apertus fidei oculus rem expertos neſcire non ſinit veſtigia ejus fervoris in Oratione Dominica. Habet filialis illa ϛοϱγη fervoris incentiva in voce Patris, quô calidius, amabiliusque non datur, exardeſcit exindè tanto magis, & in ignes erumpit, quia ipſe Pater, Sanctiſſimus Deus in Cœlis eſt, idque Seraphinorum, i. e. ardentium eſt, ſanctificare nomen Dei, propagare regnum Dei. Eſaj. 6: 1- 7. Vid. Cl. Vitringa in h. l. & reſolvuntur omnia cordis deſideria in totidem petitiones, ſeſe invicem Deum verſus

pro.

propellentes, idque tam perfectè, ut unaquæque ſequens prioris implementum tum medium obtinendi ſit, donec precum finis in Doxologia expreſſus obtineatur. En Chriſtiane Lector! fervoris veſtigia.

§. XI.

Eadem obſervatio monſtrat, in precibus ſanctè perſeverandum eſſe, juxta Servatoris monitum Luc. 18: 1-5. Cum enim ſequens petitio medium ſit priorem obtinendi, ſequitur, precanti licere & rem & rei impetrandæ modum à Deo petere, inſiſtendum eſſe proinde precibus, nec etiam precum juſtarum ullam dilationem eo tendere, ut de iis deſiſtamus, inſtandum potius rei ipſi petitæ per petendum rei acquirendæ modum, rem re urgendam, ſecundum ordinem à Deo conſtitutum & in verbo ſuo revelatum, eô quod dilatio exauditionis acuere debeat noſtra deſideria, locumque dare exercendo fervori, & aliis precum requiſitis.

§. XII.

Plura in precante requiſita addere nolo, quia ejus rei etiam in ſequentibus occaſio erit. Pergo ad preces vel Orationem Dominicam ipſam. Ordinem, quem §. VII. mihi præſcripſi ſervabo, & primo loco oſtendam convenire Fœderi Gratiæ. Meam iterum facio definitionem Clariſſimi Lampe, ſcilicet: eſſe Fœdus Gratiæ *pactum illud inter Deum Triunum & peccatorem electum, quô Deus peccatori promittit, per & propter Chriſtum, quicquid ad Salutem æternam eſt neceſſarium, peccator autem adſtipulatur, & exindè jus reſtipulationis acquirit.* Habes in Oratione Dominica partes contrahentes, hinc Deus Pater in Cœlis, illinc homo peccator; in ea Deus ſolus adoratur ut Pater, qui ſcil. precantem adoptavit per & propter Chriſtum; qui adorat, fatetur ſe peccatorem, dum petitione 5ta remiſſionem peccatorum & 6ta liberationem à tentatione poſtulat. Habes fundamenta fœderis gratiæ, tum propoſitum gra-

gratiæ Divinæ, in eo, quod Chriſtus tot & tanta beneficia petere jubens, eô ipsô illud gratiæ propoſitum revelet erga partes fœderales exercendum eſſe à Deo; tum & ſatisfactionem Chriſti, involutam in ſpecie petitionibus 5ta & 6ta, in genere in omnibus petitionibus, quia quæ in iis petuntur Chriſtus meruit, ejusque ſatisfactione præſtitâ largiſſimè ſuis dari & in terrâ fieri debent. Habes ſtipulationem Dei, hominisque reſtipulationem; Stipulationem in eô quòd Chriſtus petere jubet, quod eſt officij noſtri, ea proindè, quæ Deus à nobis poſtulat; Reſtipulationem in eo, quòd de facto petantur à Deo eadem ipſa, ut etiam eluceat σχέσις diverſa bonorum fœderis gratiæ, ùt poſtulata divina, & ùt promiſſiones divinæ conſiderantur; ùt poſtulata, dum ſolicitus eſt de iis præſtandis, ùt promiſſa, dum abs Deo petit, qui Oratione Dominicâ ritè utitur. Inſunt etiam veſtigia omnium eorum bonorum, quod per partes oſtendendum eſt.

§. XIII.

Primum eorum eſt Vocatio efficax, i. e. *illud Spiritûs Sancti opus, quô electus peccator ſub miniſterio verbi commovetur, ſerio quærendi mutationem ſui ſtatus.* At quàm apertè id opus Spiritûs Sancti ubique ſupponitur in Oratione Dominica, qui filius iræ diabolique, jam Dei Patris ſe filium ſiſtit, qui profanare nomen Dei nec quicquam aliud poterat, molitur de eo ſanctificando, petitione 1ma. qui ſub regno peccati &c. deſudaverat, curam gerit propagandi regni Dei 2da. qui voluntatem carnis &c. ſibi legem fecerat, verbo ductuique divino ſe totum offert, 3ia. qui non niſi terrenis inhiabat, non niſi panem ſui demenſi petit 4ta. qui peccata peccatis ſocors & implacabilis cumulabat, de iis remittendis, mitis erga quosvis, ſuas curas verſat 5ta. qui peccati illecebras & tentationes vel non caverat, vel quæſiverat, ſollicitè eas deprecatur

catur 6ta. quique præter Deum omnia malebat, non niſi quæ Dei ſunt quærit & curat in Doxologia. En tibi quantum mutatus ab illo priori producatur, qui Orationem Dominicam in ſinum Patris effundit; ubique vocationis occurrunt veſtigia. De Fide jam oſtenſum eſt §. VIII.

§. XIV.

Haud difficilius veſtigia Regenerationis inveniri in eâdem poſſunt. Cum enim ea ſit *illud Spiritûs Sancti opus, quô totus homo efficaciter mutari incipit*, patet, Vocationem tantùm differre à Regeneratione, quantum rei alicujus propoſitum firmum differt ab initio exſecutionis ejus, manente in utroque eodem ſcopo, & ad eum collimantibus medijs. Ergò ſi in ſingulis Orationis Dominicæ partibus id intenditur & quæritur, quod ad ſcopum Vocationis efficacis ducit, ùt §. XIII. oſtenſum, eadem Oratio docet precantem re ipſa efficaciter mutatum eſſe, & id omni opera agere, ut indies proporro mutetur, quod ipſa eſt Regeneratio, & ex ſingulis phraſibus & ſententiis Orationis §. ſuperiori indicatum eſt; idque eô magis pateſcit, quod in ea media Regenerationem juvantia ſupponantur. Quale eſt, propriam omnimodamque miſeriam ſuam penitius intueri, atque de ea convictum eſſe; Mediis gratiæ diligenter uti, quod ubique indicari & ſupponi attendenti perſpicuum eſt, & ex ſuperioribus patet. Oportet quin etiam regenerandum frequenter ad Deum clamare, cui fini præſcripta à Sanctiſſimo Servatore eadem Oratio; hûc pertinet fuga ſcelerum &c. & converſatio cum regenitis, quod petitione 6ta continetur.

§. XV.

Aliud Fœderis Gratiæ bonum eſt Juſtificatio, quæ eſt *illud gratiæ divinæ opus, quô Deus in ſuo judicio peccatorem credentem abſolvit ab omnibus peccatis ſuis & ei jus ad vitam æternam, mediaque ad eam ducentia adjudicat, propter juſti-*

juſtitiam, i. e. meritum & paſſionem Jeſu Chriſti. Quis non cernit eam ubique ſupponi, & peti. Supponitur petitione prima, quid enim juſtificatorum magis eſt quam nomen Dei ſanctificare? petitur, quatenus nomen Dei per eam ſanctificatur, Deusque per eam omnes ſuas perfectiones in actum perfectiſſimè deducit, dum *Zion judicio redimitur, & revertentes ejus juſtitia.* Eſaj. 1:27. petitur & ſupponitur petitione 2da, quia in juſtificatione Chriſto ſeu peculium adjudicantur, quod quaſi primus paſſus adventûs in regnum gratiæ eſt, nec ſinè Juſtificatione tum Sponſoris Chriſti à Patre judice in opere redemtionis, tum fidelium eſſe poteſt. 3ia. dum in ea petimus, non niſi Deo per Chriſtum ſubjectos eſſe, & liberatos à dominio carnis, mundi, peccati & diaboli, quæ ipſa juſtificantis Dei eſt ſententia abſolutoria in actum exercenda. 4tâ. panem petimus omni modo noſtrum, ergo & jure divino, per Chriſti meritum noſtrum, quod etiam ex Juſtificatione eſt. 1. Cor. 3: 21, 22, 23. 5tâ petitione peccatorum remiſſionem, tum Juſtificationem, tum ejus infallibile γνώρισμα, nos petere, Orthodoxorum nemo negat, & manifeſtum eſt ex Pſal. 32: 1, 2, 3. coll. cum Rom. 4: 6, 7, 8. & verbis Chriſti Matth. 6: 14, 15. 6ta Exercitium vel exſecutionem ſententiæ Dei juſtificatoriæ petimus, liberationem nempe actualem à ſervitute Diaboli &c. per ſanctificationem, quæ ſententiam Dei abſolutoriam in actum deducit. Doxologia finem Juſtificationis pandit, qui eſt, ut regnum, potentia & gloria Dei eſſe cognoſcatur.

§. XVI.

Juſtificationis cum Sanctificatione nexum indivulſum neminem latere poſſe eorum, qui talia è Verbo Dei & rei ipſius natura ritè ponderant, autumo, nec etiam neceſſarium duco ad ſcopum meum, prolixius eum probare. Intelligo autem per Sanctificationem, Regenerationis continuationem, ſive *Spi-*

ritûs Sancti illud opus, quô homo à peccati reliquiis magis ac magis purificatur, & ad omne bonum opus aptior fit. Quod ipſum ſententiæ abſolutoriæ judicis Dei applicatio vel praxis eſt. Cum vero Regenerationis §. 14. & Juſtificationis §. 15. veſtigia apertiſſima ſint in Oratione Dominica, & Sanctificationem contineri neceſſe eſt. Ponderet Lector ſingula ejus verba, omnia quæ ibidem dicuntur & petuntur eam ſpirare vel manibus palpabit; facillima opera id monſtrari poſſet, niſi eadem ſemper repetere ſupervacaneum ducerem, imprimis vero petitione 6tâ ulteriorem Sanctificationis profectum peti, clariſſimum eſt.

§. XVII.

Sanctificatio ducit ad Obſignationem, i. e. *illud Spiritûs Sancti opus, quô homo in Statu Gratiæ conſervatur, atque de eo in anima ſua ſuaviſſimè convincitur.* Duo proinde continet, tum conſervationem in Gratiæ Statu, tum ejus perſuaſionem. At verò ea conſervatio fit per Sanctificationem nominis divini, ulteriorem adventum in regnum ejus, ſubjectionem plenariam ſub ejus decreta & imperia, per abnegationem ſui ipſius & mundi, per peccatorum remiſſionem, ejusque in anima perſuaſionem, per ulteriorem in dies Sanctificationem. Dum ea petuntur, petitur ipſa conſervatio in Statu Gratiæ. Ejusdem perſuaſio, quæ animum convincit, eſt in voce Patris, cujus non eſt, filios abdicare & expellere, ſed potius in omni bonô conſervare, eô id magis quòd is Pater in Cœlis omnipotens, independens, qui quicquid vult facit Pſal. 115: 3. Dan. 4: 35. & ſi fidelis experiatur exaudiri ſex petitiones, ſeque rerum petitarum compotem fieri, oritur ea perſuaſio ſuæ conſervationis, quam mediatam vulgô vocant, & èſt quin etiam ex omnimoda ejus perſuaſione, quòd fidelis expertus dicat, Dei eſſe regnum & potentiam & gloriam in ſecula ſeculorum.

§. XVIII.

§. XVIII.

Venio ad ultimum Fœderis Gratiæ bonum, beneficiorumque divinorum ἀκμὴν, Glorificationem nempe, quæ eſt *id Spiritûs Sancti opus, quô fideles in pleniſſimam poſſeſſionem ſalutis omnigenæ per Chriſtum partæ, introducuntur, quoad animam & corpus.* Sed quis non videt, pleniſſimam impletionem omnium petitionum eam ubique indigitare, Eſt in ea perfecta, ſuisque numeris omnibus abſoluta Sanctificatio Nominis Divini, & adventus perfectiſſimus in regnum gloriæ. Eſt pleniſſima & verè Angelica ſubjectio ſub voluntatem Domini; tunc eſt Deô digniſſima humani corporis conſervatio, abolitô cibô ventreque 1. Cor. 6: 13. per verbum Domini, Deut. 8:2. Math. 4:4. ſine cujus benedictione omnia vitæ ſuſtentacula nil poſſunt. Hagg. 1: 6. Tunc remiſſionis peccatorum & juſtificationis uſu fructu perfectiſſimô fruuntur beati Cœlites, omnia mala, hoſtes & eorundem inſidiæ æternum abſunt, cum *ultimus hoſtis, mors ipſa abolebitur.* 1. Cor. 15: 25, 26, 27. cum *mors abſorbetur ad victoriam.* l. c. vers. 54 - 57. hymnorum cœleſtium ea materies erit, ejus eſſe regnum, gloriam &c.

§. XIX.

Viſum eſt hactenus, quàm concinnè Oratio Dominica cum Fœdere Gratiæ ejusque bonis conveniat. quia verò ejusdem Oeconomia ſub Novo Teſtamento aliquantisper eſt diverſa ab ea V. T. Summus rerum arbiter, & Eccleſiæ ſuæ Dominus Chriſtus Jeſus haud dubiè ſic attemperavit eam Orationem, quam omnibus credentibus præſcripſit, ut cum Oeconomia N. T. aptiſſimè conſpiret. Cum Chriſtus opus Redemtionis pleniſſimè præſtiterit, fieri nequit, quin jam in N. T. ſit τελείωσις eorum omnium, à quibus per legem Moſis abſolvi nequiverant, & Pater Chriſto Filio ſuo ea præſtet, quæ ex promiſſione divina & Conſilio Pacis erant conſummatum opus ſalutis

ſubſequutura, quæ enucleatius paulò videnda ſunt. Primum eorum Bonorum, quibus Eccleſia N. T. deliciatur, eſt ἀφεσις ἁμαρτιων. i. e. ea peccati remiſſio, quæ fit ſine omni ejus ἀναμνησει & exprobratione, per ſacrificia, lotiones, totumque Ceremoniarum jugum in V. T. domeſticum & familiare. Jer. 17: 1. Heb. 10: 1-3. eam N. T. propriam eſſe Paulus apertè docet Rom. 3: 25. & 8: 1. ut alia taceam. Talem vero Chriſtum ſuis credentibus exorandam præſcripſiſſe remiſſionem peccatorum, patet ex petitione 5ta, ubi eam debitorum condonationem flagitamus, qualem noſtris debitoribus debemus. Sed verò noſtrum eſt plenariè remittere ſine vindictæ ſtudio. Rom. 12: 19-21. ſine amarulenta exprobratione. Ανεχομενοι ἀλληλων καὶ χαριζομενοι ἑαυτοις, ἐαν τις προς τινα ἐχῃ μομφην; καθως καὶ ὁ Χριςος ἐχαρισατο ὑμιν, ὅτως καὶ ὑμεις. Col. 3: 13. Quicquid eſt livoris, ſimultatis &c. à nobis quam longiſſimè abeſſe debet, & condonandum nobis invicem ad perfectiſſimum exemplar Jeſu Chriſti. Πασα πικρια, καὶ θυμος, καὶ ὀργη, καὶ κραυγη, καὶ βλασφημια, ἀρθητω ἀφ' ὑμων, συν πασῃ κακια. γινεσθε εις ἀλληλȣς χρηςοι, ευσπλαγχνοι, χαριζομενοι ἑαυτοις, καθως ὁ θεος εν Χριςω ἐχαρισατο ὑμιν. Eph. 4: 31, 32. adde Phil, 2: 1-4. his quid apertius explanare poſſet, qualem remiſſionem peccatorum petamus abs Deo, ſcl. quæ ſit ſine recordatione & exprobratione, qualis ſub V T. non erat.

§. XX.

Ex eôdem reàpſe præſtiti ſatisfactionis operis fonte, ſequitur aliud N. T. bonum, quod eſt largior Spiritûs Sancti in omnes fideles effuſio; de V. T. Johannes ait: ȣπω γαρ ην Πνευμα ἁγιον. ſcil. tam largiter effuſum, ratio eſt, ὁτι ὁ Ιησȣς ȣδεπω εδοξασθη. Joh. 7: 39. e contra largiſſima ejus copia credentibus N. T. promiſſa eſt. Joel. 2: 28. 29. Eſaj. 44: 3. 4. 5. & à Chriſto Joh. 7: 37-39. quis dubitet Chriſtum ſuas preces ità inſtituiſſe, ut abundans illa Spiritus Sancti copia affatim

fatim conſpici poſſit, quod etiam attendenti ex iſtis clare patet. Quod ex. gr. tam brevibus & conciſis ejusdem Orationis verbis tam auguſtus, tam prolixus, qui omnia exhaurit, ſenſus ſubſit, unde id notum fidelibus, niſi à Spiritu Sancto, de quo Chriſtus promiſerat: Εκεινος ὑμας διδαξει παντα, καὶ ὑπομνησει ὑμας παντα ἁ ειπον ὑμιν. Joh. 14: 26. Cum Chriſtum tam brevibus ſententiis tam prolixum ſenſum incluſerit, aut is erat credentibus ignorandus, aut à Chriſto diſtinctius exponendus; At verò non erat ignorandus, quia alias neſciviſſent, quid orarent, quod taxatur Joh. 4: 22. & contra precum naturam eſt; nec etiam prolixiorem precum formulam Chriſtus præſcripſit. Neceſſario proinde ſequitur, Chriſtum talem, qualis eſt, ideo præſcripſiſſe, quia Spiritus Sanctus ordinariis ſuis donis & operationibus erat ex Verbo Dei affatim explicaturus; adeoque Orationem Dominicam largam Spiritûs Sancti & abundantem menſuram ſupponere, quod Chtiſtus ſic expreſſit: ὁταν δε ελθη το Πνευμα της αληθειας, ὁδηγησει ὑμας εις πασαν την αληθειαν, ου γαρ λαλησει ἀφ' ἑαυτου, αλλ' ὁσα αν ακουση λαλησει, καὶ τα ερχομενα αναγγελει ὑμιν. Εκεινος εμε δοξασει, ὁτι εκ του εμου ληψεται, καὶ αναγγελει ὑμιν. Joh. 16: 13. 14. in iſto loco vera ratio ſubeſt, cur Chriſtus non explicatiorem formulam præſcripſerit, vel eandem non multis explicuerit ipſe, id erat opus Spiritûs Sancti ubertim effundendi. Quod ſi proporro veſtigia eorum omnium, quæ Spiritus Sanctus in fidelibus operatur, apertiſſima ſint in Oratione Dominica, clare ſequitur, largam Ejus copiam ſupponi; Sed vero quid in precante adſit, oſtendi §. VIII - XII. & Fœderis Gratiæ opera cum ipſo Gratiæ Fœdere §. XII ad XVIII. Sunt vero & alia N. T. priva, quæ ſi Orationi Dominicæ ineſſe evicero, firmum id ſtabit aſſertum, uberem Spiritûs Sancti in Oratione Dominica ſupponi & requiri copiam.

§. XXI.

Ex locis §. XX. adductis conſtat, Spiritûs Sancti opus eſſe, magnam cognitionis menſuram. Si ſub N. T. major Spiritûs Sancti copia eſt, §. XX. tunc etiam Ejus operationes uberiores ſunt. De cognitione id Paulus apertè tradit, Rom. 16: 25, 26. de minore ejus gradu ſub V. T. 2. Cor. 3: 14. 15. e contra ſub N. T. antitypo legislationis Sinaiticæ perfruuntur fideles, lex Dei cordibus inſcribitur. Cognitionis copiam in Oratione Dominica abs Deo peti, exinde liquet, quia non tantum res ipſæ, ſed etiam rerum acquirendarum legitima media petuntur. Jam vero nemo negat, filiorum eſſe, Patrem cognoſcere, quæ Patris ſunt exacte tenere, verba, vias & proprietates Dei in cœlis credentibus perſpectas eſſe oportere, Sanctificationem Nominis divini requirere largam veritatum cœleſtium cognitionem. Joh. 17: 17. adventum in Regnum Gratiæ fieri per fidem, fidem non eſſe ſine cognitione. Rom. 10: 14. 15. & 17. adventum Regni Gloriæ omnimodam cognitionem involvere. 1. Cor. 13: 12. Obedientiam erga præcepta divina perfectam, intimam eorundem cognitionem prærequirere. Hoſ. 4: 6. Nec etiam rationalem atque virtuoſam αυταρχειαν, modumque acquirendi panem ſui demenſi poſſe ſine ea eſſe. 1. Tim. 6: 6. & ſeqq. Viam, qua itur ad peccatorum remiſſionem, perſpectam eſſe debere. Joh. 17: 3. Nec poſſe tentationes ſine ea cognitione vel declinari vel vinci, nec ex intima cordis convictione Doxologiam addi; ea omnia, opinor, tam clare cuivis legenti & auſcultanti patere, ut ulteriori diſcuſſioni opus non ſit.

§. XXII.

Quia cognitio in fidelibus non eſt otioſa, ſed illi *in veritate ſanctificandi ſunt*. Joh. 17: 17. eademque Fœderis Gratiæ bonum eſt, quod in Oratione Dominica expetitur §. XVI. eadem ſub N. T. major quam in V.

requi-

requiritur, ut videre eſt Zach. 12 : 8. 2. Cor. 3 : 3. unde etiam eſt, quod in credentibus N. T. ferri nequeant, quæ ſub promiſſione & lege tolerabantur, ut v. gr. Polygamia & alia. Etiam majorem eum Sanctificationis gradum peti in Oratione Dominica, non eſt admodum obſcurum attendenti. Cum Deus Pater noſter vocatur, quinam & quam ſancti filii, patriſſantes utpote, eſſe debeant, ſubindicatur. Id ut ad omnem ſanctificationis gradum & materiam ſe extendit, ita Chriſtus ſpeciatim applicat ad vindictæ fugam, & hoſtes amandi ſtudium Matth. 5 : 43, ad finem. additque rationem generalem, quæ ad omnia Sanctitatis officia valet: Εσεσθε ουν υμεις τελειοι, ωσπερ ο Πατηρ υμων, ο εν τοις ουρανοις, τελειος εστι. Manifeſtum eſt exinde, quantum Sanctitatis ſtudium inculcet ea appellatio *Pater noſter*, idque tanto clarius, quod additur: Qui es in cœlis. Filiorum enim eſt, teſte & præeunte ipſo Chriſto, ειναι εν τοις του Πατρος, Luc. 2 : 19. nec proinde glebæ ſuæ vel terrenis affixos, potius in cœleſtibus verſari, iisque detentos eſſe, & τα ανω ζητειν, ου ο Χριστος εστιν, εν δεξια του Θεου καθημενος. Col. 3 : 1. adeo ut Paulus dicat: ημων το πολιτευμα εν ουρανοις υπαρχει. Phil. 3 : 20. Quid ſanctius, quam jus civitatis, vivendi modum civilem, in cœlis habere, & in iſtis Chriſtum imitari, cujus cibus, deliciæ cottidianæ fuerant, *facere voluntatem mittentis ſe Patris & opus ejus conſummare.* Joh. 4 : 34. Ea quinetiam Sanctificatio Nominis divini expetitur, per quam virtus virtuti, bonum opus operi usque & usque ſuperadditur, & credentes ſtudent ipſorum κλησιν και εκλογην ποιεισθαι βεβαιαν, ita nimirum πλουσιως επιχορηγηθησεται η εισοδος εις την αιωνιον βασιλειαν του κυριου ημων και Σωτηρος Ιησου Χριστου. 2. Petr. 1 : 10. 11. Notum proporro in vulgus eſt, voluntatem Domini in cœlis fieri, modo longe perfectiſſimo, ſine ullo nævo vel minima labecula. Cum ergo talis ſubjectio ſub voluntatem Domini expetitur, quis neget petitione tertia ſummum intendi

Sanctificationis gradum ; Immo tantopere Sanctificatione intentos ſupponit Oratio Domin ca precaturos, & cœleſtibus & ſpiritualibus ita ſtudentes, ut non niſi de iis ſolliciti, unicâ petitione rerum terrenarum curam abſolvant, neceſſariis contenti. Enixum aliis ignoſcendi ſtudium, de quo §. XIX. quantæ ſit Sanctificationis, probat nata exinde fiducia remiſſionis peccatorum, petitione 5tâ. 6tâ verò deprecando omnem tentationem ad malum, & mali reliquias, ita ad ſummum ejus apicem eniti cupiunt orantes, ut nihil in anima vel corpore ſuperſit, quin ſub regno Dei ſit, & ejus potentiam & gloriam experiatur, quod ipſum ejus culmen eſt.

§. XXIII.

Præſtitum pro peccatis fidelium λυτρον, majorque Spiritus ſancti copia, ſiſtit credentibus uberius in conſcientiis ſolatium, quó ſanantur cruenta ejus vulnera, à peccatis inflicta, diraque & fodicantia condemnantis legis ſpicula extrahuntur. Multum, ut opinor, intereſt, cottidie debita exprobrari, ſolutionem urgeri, chirographa expeti, *& expuncta pleniſſimè omnia debita & profundiſſimo mari immerſa.* Mich. 7 : 18. 19. Hinc ἀφεσις ἁμαρτιων N. T. promiſſa κατ᾽ ἐξοχην. §. XIX. Teſte Scriptura, ſiquidem legere poſſim. Fideles V. T. deficiebat hactenus uberius illud ſolatium : *erant ſub timore mortis, ſervituti ſubjecti per totam vitam ſuam,* Heb. 2 : 15. Alia rerum facies N. T. promittitur, Eſaj. 61 : 1, 2, 3. Exhaurit Paulus, quód intendimus, cum ait : ὀ γαρ ἐλαβετε πνευμα δȣλειας παλιν εἰς φοβον, ἀλλ᾽ ἐλαβετε πνευμα υἱοθεσιας, ἐν ῷ κραζομεν ἀββα ὁ Πατηρ. Rom. 8 : 15. Solatium illud quidni ergò ex mente Paulina exprimeretur per alloquium illud : *Pater noſter, qui es in cœlis.* Infinitum eſſet, omnem eam dulcedinem & filialem fiduciam in iſtis involutam evolvere ; ſciunt qui experiuntur, ut

Omnis

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura Parentis.
Omnia expreſſerunt, qui ad Deum precantur Judæi reſipiſcentes, cum ajunt ad eum; *At tu Pater noſter es.* Eſaj. 63 : 16. expertus noverat fidei Heros Pſaltes, Pſalm 103 : 13, 14 Sanctum & illibatum, religioſiſſimè cuſtoditum cupiunt illud ſolatium credentes, exinde ſingulis petitionibus ea petunt, quibus fovetur, nutritur, augetur, & magis & magis ſanctificatæ menti innoteſcit, quorum omnium compos facta in Doxologia triumphat, ἐπινίκιον canit, Pauloque concinit Rom. 8: 31. ad finem. 1. Cor. 15: 54. & ſeqq. quod §. IX. monuimus, Catech. Heidelb. paraphraſes trutinanti, hæc ſeſe ſuggeſtura per ſingulas petitiones, & iſtic notare, ùt ferè ubique poſſem, volui.

§. XXIV.

Ex hactenus dictis ſequitur & aliud N. T. Bonum, quod eſt Liberatio à Servitute, à jugo Ceremoniarum, à Patribus carnis, & in conſcientias dominio, quibus fideles V. T. erant ſubjecti, cum è contra Eccleſia N. T. ſit ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, ἡ ἐλευθέρα ἐστιν, ἥτις ἐστι μήτηρ πάντων ἡμῶν, Gal. 4: 26. idque in tota ad Galatas Epiſtola agit Apoſtolus, ut eam libertatem ſartam & tectam ſervet, imprimis cap. 5 : 1. & ſeqq. *Quia vero Libertas eſt facultas ea omnia & pro lubitu noſtro faciendi, quô ſponte ferimur,* & vero major Sanctificatio §. XXII. ſine tali ad bonum ſpontaneitate concipi nequeat, quam Spiritûs Sancti vis omnipotens in mentibus fidelium operatur, haud dubiè pars ejus Libertatis eſt pronitas ſpontanea ad omne bonum. Utriusque veſtigia inſunt Orationi Dominicæ. Lege caput 6. Matth. & Lucæ 11. ubi ea Oratio eſt præſcripta, videbis Chriſtum, ea obtenturos, quæ in ea petuntur, non ablegare ad Cerimonias, non ad Cathedram Moſis, Deos illos, Pſal. 82. non ad οἰκονόμους καὶ ἐπιτρόπους. Gal. 4. non ad omnem illam σκιὰν τῶν μελλόντων. Et ſi

fortè aliis locis, ùt Matth. 23: 2, 3. ad Cathedram Moſis ablegarit, id non eſt præcepti ſempiterni, ſed pro ratione temporis illius, & Oeconomiæ V. T. quæ nondum plenè exſpiraverat. Sed non niſi ad Deum amandat. In ea Oratione ignorantur Patres carnis, Unus eſt Pater, Deus in cœlis; Typica Templi vel Urbis vel Terræ ſanctitas non curatur, ſed agitur unicè de Sanctificando Nomine Divino, hunc nervum ſolum Spiritus Adoptionis intendit; Non circumcurſitant maria & terras, ut circumciſioni quenquam addant, ſed moliuntur de propaganda Meſſiæ Regno: Non traditiones πατροπαραδοτυς & præcepta humana, ſed de exequenda & ferenda Voluntate divina meditantur, ad Angelorum exemplar, qui liberrimi in ſuis obſequiis; Non bona carnalia Fœderis Sinaitici expetunt, Pane cottidiano contenti: Remiſſionem peccatorum adepturi, non Sacrificiorum, lotionum &c. ullam injiciunt mentionem: Tanta ad bonum eſt pronitas, ut ne quidem ulli Tentationi ſubeſſe gaudeant, quæ ad malum pelliciat. Ipſæ quinetiam phraſes ſubindicant, quàm ſpontè, quàm liberè ferantur ad ea quæ petunt; dicunt ἁγιασθητω, ἐλθετω, γενηθητω &c. Utimur ejusmodi loquendi modis, ſi res aliqua nobis apprimè placet, ſi quicquam enixè cupimus & optamus, ut omnes, quorum intereſt, huc omnes nervos intendant; quod unum quemque loquendi uſus, ſi attendat, facilè edocebit. Palmarium ergò Libertatis gradum, ipſam Spontaneitatem, iſtis phraſibus exprimi, haud obſcurum eſt.

§. XXV.

Id etiam in æterno Pacis Conſilio Patrem inter & Filium, Virum Zemach, Zach. 6. conſtitutum fuerat, ut Chriſtus non Judæorum tantum, ſed etiam Gentium eſſet Servator, quod clarum ex Eſaj. 49: 6. Pſal. 2: 8. Gen. 49: 10. & aliis locis. Emergit exinde aliud N. T. Bonum, Pax nempe cum Hominibus, ſive

ſive Gentium Vocatio; quæ tot prophetiis erat prædicta, ut in ſcriptis Prophetarum nil ferè notius ſit. Erant Judæi ſub Vet. Oeconomia à Gentibus diſtincti, Lex Ceremoniarum erat μεσοτοιχος τȣ φραγμȣ, fruebatur Iſrael ſuis prærogativis, Pſalm. 76: 1, 2, 3. & 147: 19, 20. Paulus in iis recenſendis accuratus eſt, Rom. 9: 4, 5. Quæ omnia ſub Oeconomia Nova ad Gentes etiam tranſire debebant. Id Gentium Doctor tam ſolidè tam apertè docet, ut nil ſuprà ſit, Eph. 2: 11, ad finem, quæ ob nimiam prolixitatem adſcribi nequeunt. Sed, ùt opinor, oculatus nemo eſt, quin Vocationem Gentium ubique cernat emicantem in Oratione Dominica; Deus vocatur Πατηρ ἡμων, ſcil. παντων των ἐκ περιτομης καὶ των ἐξ ἀκροβυσιας, ad Chriſtum converſorum; ab omnibus iis Nomen Dei ſanctificandum, quod Gentes ſub V. T. non fecerant; per Gentium Vocationem advenit Regnum Dei; & fit non tantum in Canaanis limitibus, ſed in orbe toto Voluntas Domini; per eam & Gentes fide in Chriſtum divinum jus in vitæ ſuæ neceſſaria adipiſcuntur, ut omni titulo Panis illorum ſit; per eam debitorum ſuorum Remiſſionem, ab omni malo Liberationem, & victoriam in tentationibus acquirunt; & in hominibus Regnum, Potentia & Gloria Domini eſt. Ex quibus nemo non videt, ubique in tota Oratione Dominica Gentium Vocationem involvi, tribus tamen prioribus petitionibus ſpeciatim contineri, natura rei, in quâ perficitur Sanctificatio Nominis divini, adventus Regni Dei, ejusque Voluntas in terra fit, apertè clamat. Quod unum quemque meditatio earum petitionum docet, ſi attendit, phraſes, quibus ea petimus, imperſonaliter ſumtas, etiam ad eos ſe extendere, qui hactenus iſtis ſuperſederant; earumque ordinem oſtendere, ſi Nomen Dei ab omnibus hominibus ſit ſanctificandum, opus eſſe, ut Regnum veniat ad Gentes hactenus ἀθεοις, nec illud apud eas ſubſiſtere poſſe, ſine ſubjectione ſub Voluntatem

ejus

ejus decernentem & præcipientem. Quæ omnia Gentium Vocationem clamant, cum fidelis, unum cum illis in Chriſto factus, ea omnia à Deo pro illis exorat.

§. XXVI.

Oeconomiam N. T. id etiam commendat, quod ſtabilis & duratura ſit ad finem Seculorum, Dan. 2: 44. Longè ſecus ſe res habebat cum ea V. T. Heb. 8:13. Ea ejus ſtabilis duratio indicatur, cum dicimus: Ejus eſſe Regnum & Potentiam & Gloriam *in Secula Seculorum*, *Amen.* Eaque ipſa firma duratio in Doxologia, fidei in precibus rationaliter agentis ratio eſt, cur priora omnia in illis 6. petitionibus à Deo petantur, eo quod ad firmam durationem Oeconomiæ N. T. ducant, ex qua in ſeculo altero in cœlis conſummanda, Regnum, Potentiam & Gloriam Dei eſſe in æternum, clariſſimè manifeſtabitur.

§. XXVII.

Quod ſi verò congruat Oratio Dominica cum Fœdere Gratiæ & Oeconomia N. T. quod inde à §. XII. hactenus vidimus; eadem dubiô procul etiam exactè conveniet cum Authoris ſui Muneribus, quibus Mediatorem ſeſe Deum inter & electos perfectiſſime ſtitit. Precum ea debet eſſe Materia, ſivè ea ſunt à Deo petenda, quæ Deus electis dare decrevit, promiſitque in Verbo ſuo; ea non poſſunt alia eſſe, niſi quæ Chriſtus promeritus eſt; at promeritus eſt Munere ſuo Mediatorio. Sequitur exinde, ſi ſapienter inſtituta ſit Oratio Dominica, quod nemo ſobrius negabit, ea Chriſtum petenda præſcripſiſſe, quæ ſuo Munere Mediatorio promeruit, adeoque eam triplex ejus Munus ſpirare, Propheticum nempe, Sacerdotale & Regium, & fideles ea petere, quibus impetratis Spiritu Chriſti, quô unguntur, Prophetæ, Reges & Sacerdotes fiant. In id nunc etiam inquirendum eſt. Chriſtum fore Prophetam, Jam prædi-

ctum erat, Deut. 18: 18. In Chriſto Jeſu id eſſe impletum, Petrus expreſsè docet Act. 3: 22. Propheta igitur cum fuerit, idque κατ᾽ ἐξοχὴν, ejus erat, totum Dei Conſilium de Salute electorum revelare; ejus erat, futura prædicere; ejus erat, tum ſuâ totâ doctrinâ, tum vitæ exemplo, homines ad veram Sanctimoniam traducere, pietatis ubique aperire Scholam, eaque omnia miraculis ſtupendis obſignare, quæ docuerat. Jam verò qui ea à Deo expetere docet & præſcribit, quibus omnigena ſalus abſolvitur, is eo ipſo totum Dei conſilium de ſalute electorum revelat, adeoque Prophetam agit. At Chriſtus in iſta ſua Oratione id fecit, ergo Prophetam egit, & ſi votorum ſuorum ſunt compotes facti fideles, Chriſtus Propheta ſcopum ſuum in iis, quibus eas preces præſcripſit, obtinuit, qui eſt, ſanctificando fideles in veritate divina Nomen Domini Sanctificare, Regno Gratiæ multos lucrando illud promovere, veram ſub Voluntatem Dei ſubjectionem in hominum cordibus ſtabilire &c. Idem enim de ſingulis petitionibus facile obſervatur, per quarum impetrationem homines ad veram Sanctimoniam traducuntur, eaque omnia revocant ad praxin, quorum tota Chriſti vita eſt luculentiſſimum exemplar. Ita in ſingulorum cordibus, domubus & familiis aperitur pietatis ſchola; cognoſcuntur hôc ſui Doctoris Symbolo, quotquot genuini ejus diſcipuli. Dum ea Oratio præſcribitur, revelatur, quid per Spiritum Sanctum, verbum Chriſti vivificantem, in fidelibus ſit futurum; eaque omnia cum naturalem ἀδυναμίαν longiſſimè ſuperent, miſerantis Gratiæ divinæ apertiſſima ſunt miracula, Chriſti miraculis præfigurata, quibus divinitas Doctrinæ Chriſti omnimode obſignatur in credentium animis. Et quotquot ſunt genuini fideles, totidem ſunt Prophetæ Chriſti filii, ipſique Prophetæ, qui rectè eas preces orando, & ad omnem vitæ praxin revocando,

do, Propheticum exercentes munus, Chriſti auguſtum illud in ea Oratione vividè experiuntur.

§. XXVIII.

Quia Mediatoris erat, ſeu Redemtoris, ſatisfacere pro populi ſui, i. e. electorum peccatis, neceſſe fuit, eum eſſe Sacerdotem, Deo placituram & ſatisfacientem offerentem pro peccatis hoſtiam; quod omnis Sacerdotum V. T. Chorus inumeris ſuis victimis hactenus nequiverat. Proinde Sacerdos erat κατ' ἐξοχὴν, juxta ordinem Melchiſedeci, Pſalm. 110: 4. quem locum agere de Chriſto Paulus monet, Heb. 7: 21. & 10: 12. hinc *Sedentem* Propheta introducit, Zach. 6: 13. quod eorum eſt, qui opus perfecerunt, nec in templo licitum fuiſſet Sacerdotibus Aaroniticis. Sacerdotis ejus erat, ſe ipſum offerre pro populo ſuo, pro eodem intercedere, eique benedicere; Nec ea Sacerdotalis Officii veſtigia obſcura ſunt in Oratione Dominica. Ne quid dicam de præfamine, quod ea continet, quæ Sacerdotibus rem divinam in templo facientibus cogitanda fuere, monente Salomone, 1. Reg. 8: 27. Notum in vulgus eſt, Nomen Dei ſignificare Deum ipſum, ejus virtutes, verba, facta & omnia, quibus Deus innoteſcit; ea omnia pleniſſimè erant ſanctificanda per ſatisfactionem Chriſti & oblationem ſui ipſius; ad oculum per eam demonſtrabatur ſanctitas Nominis Divini, hinc de ſanguine Chriſti dicitur, ἐν ᾧ ἡγιάσθη, Heb. 10: 29. & Sanctificare idem eſt quod ſacrificare, Luc. 2: 23. Ezech. 20: 40. Centrum & medulla omnium Typorum Miniſterii Templi erat Sacrificium Chriſti, hinc Chriſtus in oratione ſua Pontificali: Καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτόν, ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ, Joh. 17: 19. quaſi diceret: *Ego me ipſum offero pro ipſis, ut & ipſi in veritate, non tantum umbra Ceremoniarum ſeſe offerant hoſtiam vivam, ſanctam, beneplacentem* Deo, Rom. 12: 1. Ex iſtis quis non videt, orare & id animo Chriſtum

ſtum S. Pontificem volvere, ſuoque Iſraeli ea tunc temporis oratum injunxiſſe, ut ſacrificium pro peccatis fidelium ritè præſtetur, munusque Sacerdotale ex amuſſi perficiatur, & cum id factum, omnes fructus ejus, *Sanctificatio nominis Divini, propagatio regni Dei, obedientia fidelium abſoluta, jus ad vitæ neceſſaria cum eorum uſu, debitorum remiſſio, mutua offenſionum condonatio, ab omni malo liberatio, in tentationibus victoria*, largiſſimi proſtent, *& Deo regnum, potentia & gloria* illibata firmaque maneant. Et quia Pontifex ea petere jubet, ſubindicat, ea omnia benedictiones eſſe, in Gratiæ Regno ubertim à Deo Iſraeli ſpirituali impertiendas, loco terrenarum earum, quibus Iſrael carnalis vi Fœderis Sinaitici perfruebatur, ſeu mercede exactè præſtitarum Ceremoniarum, cultusque Levitici. Ita ſecum expendenti, veſtigia officii Sacerdotalis Chriſti in Oratione Dominica occulta manere non poſſunt.

§. XXIX.

Juſtitiæ Divinæ non conveniſſet, Mediatorem Fœderis gratis fruſtraque laborare, & ſine ulla remuneratione ſalutis opus conſummare; digno operæ ſuæ prœmiô honorandus erat. Id Pater Filio in æterno Pacis Conſilio promiſerat, & perfecto Satisfactionis opere revera præſtitit; idque eſt exaltatio ad dextram Patris, dominium in omnia & regnum. Inde Chriſtus in ſacris paginis toties Rex audit, Pſalm. 2: 6. & aliis locis, ùt Luc. 1: 31, 32. Hinc omnia ei toties ſubjicienda dicuntur, Pſal. 8: 5: & ſeqq. quem locum non primario de hominibus, eorumque in creaturas dominio agere, ut ex vulgari præjudicio multi autumant, Paulus me docuit, explicans de Chriſto, 1. Cor. 15: 27. & Hebr. 2: 6. Eſt autem Regii officii Chriſti, ſuis leges dare, juxta earundem tenorem eos regere, & contra omnes hoſtes tueri. Harum rerum veſtigia non difficulter in Oratione Dominica inveniet, qui animadvertit, ea petenda eſſe à Deo, quæ

facere

facere noſtri eſt officii; hæc cum Chriſtus præſcribit, præſcribit vitæ normam, qualem eſſe Orationem Dominicam inficiari exinde nemo poteſt, quòd rectè precaturus recto mediorum uſu ea facit, quæ ad vota obtinenda juxta ordinem à Deo conſtitutum ducunt. Quis nunc neget, regium eſſe, ejusmodi agendorum & quærendorum regulam præſcribere? Eadem petere jubens monſtrat, quid in ſuis operaturus, eosque quomodo recturus ſit, eô nempe fine, ut contra quoscunque tueatur hoſtes; Per Sanctificationem enim Nominis Divini, ſecuri ſunt fideles abs hoſtibus ſuis, Satana, Mundo, Carne, Peccato; Regnum cum usque & usque promovetur, eô ipsô non everti oſtenditur; Servare mandata Domini, medium eſt manendi in amore Dei, Joh. 14:15, 21, 23, 24. 1. Joh. 3:24. Apoc. 22:14. Danda ſunt vitæ neceſſaria, quia ſinè iis Eccleſia in mundo perſiſtere non poſſet; Peccata ſubditis condonanda, ne ſub hoſtium poteſtate maneant; Liberandi à malo, tentationes vincendæ ſunt, ne regno ejus excidant. Quorſum hæc omnia? ut pleniſſimè ſuos ſubditos experientia edoceat, ejus eſſe Regnum, Potentiam & Gloriam, & quam invictus, omnipotens, Auguſtus, æternusque Rex Chriſtus ſit, cum Patre & Spiritu Sancto æternum regnans, in omnia Seculorum Secula cognoſcatur.

§. XXX.

Regnum autem Chriſti cum ſit ſpirituale, ex hactenus dictis jam liquet, quid per Spiritum Sanctum in credentibus operetur, & in quô conſiſtat Regimen ejus in uno quoque fideli in ſpecie. Ea omnia, quæ in Fœdere Gratiæ ſtipulatur Deus, ipſe per Spiritum ſuum efficit; hinc ejus ſtipulationes ſunt totidem promiſſiones §. XII. Efficit in fidelibus regimine ſuo ea, quæ ad precandum requiruntur, §. VIII, IX, X, XI, efficit, quæ Gratiæ Fœdus requirit & promittit §. XII. ad XVIII. Novi Teſtamenti Bona, quibus ſubditi ejus per-

perfruuntur, totidem ſunt regni ejus privilegia, à benigniſſimo Rege ipſis conceſſa §. XIX. ad XXV. Quantaque ſit ſceptri ejus vis, experiuntur per abnegationem ſui & totius mundi, quâ Deum in Chriſto Jeſu infinitè majorem faciunt, & amant præ ſe ipſis & omnibus creaturis; nec etiam apud ſe ipſos vel ullam creaturam ſalutem ſuam quærunt, paratique ſunt, vitam & facultates omnes, quibus gaudent, pro Chriſto impendere. Ad ea mens jam determinari incipit in Vocatione efficaci, §. XIII. & iſtam ejus determinationem executioni mandat per Fidem, §. VIII. quæ Chriſtum ſolum recipit & totum, totum in triplici munere Mediatoris, §. XXVII, XXVIII, XXIX. ſolum per abnegationem ſui & mundi, ſine quâ Bona Fœderis Gratiæ ſtare non poſſent, quæque per Sanctificationis progreſſum magis & magis perficitur, & quâ datâ occaſione ad praxin revocatur. Eam quaſi regnare in Oratione Dominica, perſpicuum hinc eſt, quòd de carnalibus & mundanis incurii, non niſi de iis, quæ Dei ſunt, ſolliciti ſint; nec etiam cum his vel illis conditionibus divina & ſpiritualia petant. quod eorum eſt, qui adhuc mundo & carni vivunt, qui ea, quæ in Oratione Dominicâ continentur, aut plane nolunt, aut non aliter niſi quatenus mundo carnique non derogant. Volunt obedire more Angelicô, ſed vero Angeli nulla vel mundi, vel carnis cupiditate tenentur; contenti ſunt pane cottidiano, quô tantillô, qui non niſi mundanis inhiant, ſatiari nolunt; delicta remittunt offendentibus, magna ad id opus eſt ſui mundique abnegatione, hanc eô usque urgent, ut ne quidem à carnis ἐπιθυμίαις, mundique deliciis tentari velint. E quibus omnibus vis & fructus triplicis Chriſti muneris, Prophetici, Sacerdotalis & Regii, in fidelibus orantibus apertè cognoſcitur, quô ſe ipſos & mundum abnegant, & non niſi de divinis & ſpiritualibus ſolliciti ſunt.

§. XXXI.

Quòd ſi verò veſtigia Regiminis Chriſti in unumquemque fidelem in ſpecie deprehendantur in Oratione Dominicâ, eô me cogitatio hæcce ducit, ut tantiſper inquiram, num etiam veſtigia Regiminis ejus in totam Eccleſiam in genere eidem Orationi ſubſint. Nemo negat, Chriſtum ad morem Judæorum Magiſtrorum ſuis diſcipulis præſcripſiſſe eam precandi formulam, diſcipulis inquam futuris Apoſtolis, quorum miniſterio *ædificanda erat Eccleſia Dei, à portis inferorum nunquam deſtruenda*, Math. 16: 18. Erant Apoſtoli Θεȣ συνεργοι, Eccleſia verò Θεȣ οἰκοδομη, 1. Cor. 3: 9. ſunt fideles ἐποικοδομηθεντες ἐπι τω θεμελιω των ἀποςολων καὶ προφητων, ὀντος ἀκρογωνιαιȣ ἀυτȣ Ἰησȣ Χριςȣ, Eph. 2: 20. ædificatur illud cœleſtis Regis palatium, Hieroſolyma cœleſtis, per totum N. T. curriculum; ſuis numeris perfecta & abſoluta ſiſtitur Apoc. 21. ubi Johannes inter alia: Καὶ το τειχος της πολεως ἐχον θεμελιȣς δωδεκα, καὶ ἐν αὐτοις ὀνοματα των δωδεκα ἀποςολων τȣ ἀρνιȣ. v. 4. Sunt autem fundamenta eô modô ponenda, ut ſuperſtruenda poſſint ſuperſtrui ex amuſſi juxta typum præformatum, i. e. Decretorum divinorum præſcriptum. Nec etiam Apoſtolos, Architectos, typus ille latuit, potius illum habuere perſpectiſſimum; Magiſter eorum Chriſtus Jeſus eos omnia ubertim docuit, tum oretenus, tum per Spiritus ſui inſpirationem, qui, quicquid ad ſtructuram eam ullô modô ſcitu neceſſarium erat, perfectiſſimè notum fecit; Hinc in ſcriptis ſuis, futuris omnibus poſt illos ædificatoribus & operariis, ſtructuræ illius tam pleniſſimum typum, manibus, dum ædificant, ſemper verſandum, oculis luſtrandum, tum etiam ſtructuræ ipſius ſenſim decurrentia, ſeque invicem excipientia fata reliquerunt. Quæ cum ita ſint, ſequitur exinde, Apoſtolos non tantum in Miniſterio ſuo & molIminibus curam gerendam habuiſſe ſtructuræ illius in

ſummum faſtigium exſtruendæ, & omnibus ſuis partibus abſolvendæ, ſed etiam fervidiſſimis precibus id à Deo poſtulandum iis fuiſſe. Id ex precum natura clarum eſt, ſunt enim *Colloquium fidelis cum Deo, quô ea à Deo petit, deprecatur pro iis, vel gratias agit, quæ Deus juſſit, promiſit, vel fieri a nobis vult.* Quòd ſi verò, ùt dictum eſt, Apoſtolici muneris fuerit, ædificium Eccleſiæ curare, tum oretenus, tum vitæ exemplo, tum ſcriptis, donec conſummatum & abſolutum erit, ea & precum Ipſorum materia fuerit, neceſſe eſt; preces enim labore conjungendæ in idem coincidere debent. Quô datô dicendum eſſet, aut Chriſtum ſuis Apoſtolis preces præſcripſiſſe, eorum Apoſtolico muneri non admodum conformes, quod contra infinitam ejus Sapientiam eſt, aut, ſi pleniſſimè conformes ſunt, in Oratione Dominica contineri omnes eas neceſſitates, quæ totam etiam Eccleſiam in genere tangunt, ejusque exſtructionem in omnem perfectionem, quæ typo præformata eſt, deducunt. Ex iſtis mihi nata eſt ea ſententia, ineſſe veſtigia Regiminis Chriſti in veram Eccleſiam univerſam, per totum N.T. ſpatium ſubſiſtentem, Orationi Dominicæ; quæ nunc etiam inveſtiganda ſunt pro viribus. Monendum tamen in anteceſſum, neceſſarium duxi, ſi forte detegendis iis minus felix forem, eâ propter ipſa veſtigia Regiminis Chriſti, Orationi Dominicæ ineſſe reſpectu ad Eccleſiam univerſam, negari non poſſe jure; eô quod hominis vel incuria, vel oſcitantia, vel ignorantia, id quod ex rei natura congruum, juſtum & neceſſarium eſt, nec mutet nec tollat, quale hoc eſſe, quod intendo, hôc ipsô Paragraphô oſtendi, & inferius pluribus faciam, cum ipſa veſtigia invenero.

§. XXXII.

Jubet Chriſtus diſcipulos Deum alloqui his verbis, *Pater noſter qui es in cœlis.* Significatur his verbis, quod jam §. XXIV. monuimus, liberatio à Chriſto

procuranda à jugo Ceremoniarum, à Pædagogis & Oeconomis, Gal. 4: 1, ſeqq. Heb. 12: 9, 10. Hunc ſenſum ſubeſſe illis verbis, Chriſtus ipſe docet, cum ait: Καὶ πατερα μη καλεσητε ὑμων ἐπι της γης, εἰς γαρ ἐστιν ὁ Πατηρ ὑμων, ὁ ἐν τοις ὀυρανοις, Math. 23: 9. Promiſſus Spiritus adoptionis, ſeſe in iſta phraſi exerit. Quantùm id eſt, abrogatio V. T. quæ univerſæ Eccleſiæ onus adeò δυσβαςακτον demit, Deo ſub N. T. non in Templo manufacto ſymbolicè habitante, Eſaj. 66: 1. Et ùt cœlum undiquaque terram tegit, ſic ubique gentium futuri, quorum Deus ſit pater per Chriſtum, ut pleniſſimè impleatur, quod eſt Pſal. 103: 11, 12, 13, & 19. Petitur in petitione prima Sanctificatio Nominis Dei; ea fit vel à Deo ipſo, vel ab hominibus; à Deo ſanctificatur Nomen ejus per admiranda ea, tum erga Eccleſiam, tum erga hoſtes ejus opera, quibus omnes virtutes, earumque æquilibrium inter ſe, & intentiſſimus ei amor erga omnes eas, in clara luce collocatur. Id factum eſt per paſſionem & ſatisfactionem & reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, id erat interprete Chriſto δοξαζειν το ὀνομα τȣ Θεȣ, Joh. 12: 28. Joh. 17: 1, 4. hinc Filius κατ' ἐμφασιν audit. *Gloria Domini*, Eſaj. 40: 5. & *Sanctitas Domini*, Malach. 2: 11. Ulterius id factum, Nomenque Domini ſanctificatum eſt, per largam & abundantem effuſionem, & vim vorticordiam Spititûs Sancti, quâ *Nomen Domini glorioſum factum in omni terra*, Pſal. 8: 2. Malach. 1: 11. Apoc. 4: 8. Porro Nomen ſuum Dominus ſanctificavit, Judæam gentem profanatricem Sacroſancti Nominis ſui ita puniendo, prout peccata ejus meruerant, per urbis, templi & Reipublicæ πανολεθριαν. Talis enim hoſtium punitio, à Spiritu Sancto ùt Sanctificatio Nominis divini proponitur, Ezech. 39: 7. Apoc. 15: 3, 4. Sed verò quis neget, in iis apparere apertiſſima veſtigia Regiminis Chriſti in Eccleſiam in genere, tunc temporis, cum Chriſtus eam formulam præſcripſit, à Chriſti diſcipulis adhuc exoranda; Id primum

mum erat quod exorabant, ſecundum eſt in petitione ſecunda:

§. XXXIII.

Adveniat regnum tuum; per quod Regnum Gratiæ & illud conſequens Regnum Gloriæ intelligi, omnes conſentiunt. Id ſi omni ſenſu *advenire* debeat, præter ea, quæ §. XXXII. dicta ſunt, oportebat Evangelium prædicari inter gentes mundi, hactenus ἀθέους diaboliqne mancipia, oportebat Chriſtum, *heroa* illum invictum, *ſagittis ſuis corda inimicorum perfodere*, eosque ſub pedes ſuos ſternere, Pſal. 45: 5, 6. Oportebat *vinci Draconem & de Cœlo dejici in terram*, Apoc. 12: 9. Opus erat ea expeditione, quam Pſaltes adeò ſignificantibus & magnificis verbis canit & extollit, Pſal. 68: 1-14. Per Evangelii præconium *emittendum erat ex Zione ſceptrum roboris ejus, ut dominetur in medio hoſtium*, Pſal, 110: 2. Quis finis eſſet, ſi Prophetias de Vocatione Gentium, huc pertinentes, omnes apponere animus foret? Earum impletio exoratur hâc ſecunda petitione, idque tantô majori cum fervore, quô majores ſub Imperatoribus Gentilibus perſecutiones, ſtrages, odia internecina, calumniæ, horrendiſſima & infinita tormenta, per omnia crudelitatis atque ſævitiæ genera, rem Chriſtianam peſſumdare, nomen Chriſtianum delere, Chriſtique regnum radicitùs exſtirpare annitebantur, donec ſub Conſtantino M. Eccleſia pacem, ſecuritatem, firmumque nacta domicilium, earum rerum implementa vel manibus palparet, quæ Eſaj. 49: 14, ad finem c. 54. integro, & multis aliis locis habentur, & in Eccleſiæ Cœlo audiretur vox, quæ exclamabat: ἄρτι ἐγένετο ἡ σωτηρία, καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, κ. τ. λ. Apoc. 12: 10, 11, 12. Quô nunc jure quis negaret, in ſecunda petitione aperta veſtigia regiminis Chriſti in Eccleſiam, ejusdemque fatorum conſpici, & habuiſſe in eâdem fideles tempore Chriſti,

 quæ

quæ exorarent, ſuo tempore Chriſti Regno exhibenda. Nondum verò, ut fatear quod eſt, omnia exhauſi; habebant & ſequentia tempora talem rerum ſtatum, quô neceſſe erat adventum Regni Dei denuò expetere, quod etiam futurum erat, ſed eô modô, ut in eô ipsô adventu ulteriori, ſequentium petitionum una poſt alteram exaudiretur, & unaquæque ſubſequens prioris exauditionem ſtabiliret, quod etiam in hâc ſecundâ petitione obſervandum; quod ſi enim proporro advenire oportebat regnum Dei, opus erat & tertia petitione, quâ petimus:

§. XXXIV.

Fiat Voluntas tua, quemadmodum in Cælo, ſic etiam in terra. Plenaria ſubjectio ſub Voluntatem Dei, tum præcipientem, tum decernentem, quantum faciat ad Sanctificationem Nominis Dei, & Regni ejus adventum, notum eſt. Qui relegit veſtigia regiminis Chriſti in Eccleſiam univerſam, invenit eam ſubjectionem ſub Voluntatem Dei quàm maximè neceſſariam fuiſſe, ſi poſt Conſtantini M. tempora Nomen Domini diutius ſanctificari, regnumque Dei advenire debuerat. Ex eo namque complurimi quoad externam ſpeciem tantum Chriſto ſubjecti erant; proſper & pacatus Eccleſiæ ſtatus ſocordiam pededentim peperit; *dormiebant homines*, ſcil. agricolæ, *venit ideo inimicus, & ſeminavit Zizaniam inter triticum, abiitque*, Matth. 13: 25. Infinitæ ſenſim Cerimoniæ introductæ. Inundantes Eccleſiam divitiæ luxum & faſtum, Doctorum ἀκυρο-λογιαι heterodoxas opiniones, Hæretici dogmata peſtilentiſſima, Epiſcoporum magnum & memorabile nomen factiones & coitiones pepererunt. Subnatum ſenſim in paſcuo ovium inſalubre pabulum. Manifeſtantis ſeſe ſuo tempore Antichriſti jam ducebantur lineamenta. Cultus angelorum, mortuorum invocatio, honos imaginum, ciborum diſcrimen, multorum cœlibatus ſubrepſit. Ruebatur in vitia, Clerus opes

opes & faſtum mundanum expetebat, vacabatur rebus ad ſalutem non facientibus. Dictis Cleri, in ſectas ſciſſi, longè amplius quàm Dei, populus Chriſtianus obedire cœpit. Quæ omnia tum in veterum, tum recentiorum ſcriptis, plenis, quod ajunt, calathis ſubminiſtrata, quivis nullo negotio inveniet. Ea omnia, ne ſuo tempore Eccleſiam everterent, ne Sanctificationem nominis Divini regnumque Dei eradicarent, ne Chriſto ſuum λαον ἐκκσιον averterent, opus erat, *voluntatem Dei fieri in terra, ſicut in cœlis*; huic qui enixè ſtudebant, erant genuini Chriſti diſcipuli, & membra viva, quorum multa adhuc fuiſſe, ex Hiſtoria notum eſt; & ortus poſt iſta tempora Waldenſium clarè monſtrat, fuiſſe hactenus, quorum ſententia ſteterit, Deo magis, quàm hominibus obediendum eſſe. Ex quibus apparet, ſubeſſe & tertiæ petitioni peculiaria veſtigia regiminis Chriſti, viarumque Dei in Eccleſiam ſuam, ab Apoſtolis & omnibus retrò Chriſtianis à Deo exoranda. Cum autem, quæ iſtis tribus prioribus petitionibus petuntur, & in poſterum ab Eccleſia fidelium fieri deberent, poſcebat id fatorum ordo, rerumque à Deo conſtitutus nexus, ut adderetur & quarta, ſeu priores obtinendi medium his verbis:

§. XXXV.

Panem noſtrum quottidianum da nobis hodie. Semper opus fuit, ut illi, qui priores petitiones cupiebant in ſe ipſis impletas, pane veſcerentur cottidiano. Erat tamen tempus, quô ſingulari modo neceſſaria fuerat iſta quarta petitio, idque tempus illud, quod §. ſuperiore XXXIV. notatum eſt, excepit. Erant hactenus, qui nomen Dei ſanctificabant, qui adventum regni ejus curabant, qui voluntati divinæ totos ſeſe ſubjiçere in votis habebant, ſemen bonum in agro Eccleſiæ inter Zizaniam, hactenus tolerati, jureque in Catalogum Teſtium Veritatis relati, qui Waldenſium

Eccleſiæ ortum dedere, Seculo IX. à Claudio Turonenſi à ſuperſtitionibus &c. ad puriorem doctrinam revocati. vide *Basnage l'Hiſtoire de l'Egliſe*, T. 2. L. 24. c. 10. p. 1434. Egregiè deſcripſit eos Sanctus Johañes, Apoc. 14: 1-6. à Cl. Lampe ſcite illuſtrati in libro vernaculo: Geſtalt der Braut Chriſti vor ihrem Auszug aus Babel. Eò ipsô tempore Antichriſtus per cædes & tormenta piorum graſſari, ipſis aquâ & igne interdicere, & quôcunque modô è medio tollere ſtuduit, commotis ad id Principibus, mundique Poteſtatibus, facta viſibilis & Apoſtolica Eccleſia ἡ πολις ἡ μεγαλη, ἡτις καλειται πνευματικως Σοδομα, καὶ αιγυπτος, ὁπȣ καὶ ὁ κυριος ἡμων ἐςαυρωθη. Apoc. 13: 8. ſcil. in membris ſuis, veris credentibus, *atrium ejectum eſt, conculcanda urbs à gentilibus*, Chriſtianis ψευδωνυμοις, gentilis ſuperſtitionis ſtatoribus. Apoc. 11: 2. Antichriſto, beſtiæ decicorni, datum erat πολεμον ποιησαι μετα των ἁγιων, καὶ νικησαι αὐτȣς, καὶ ἐδοθη αὐτω ἐξȣσια ἐπι πασαν Φυλην καὶ γλωσσαν. καὶ ἐθνος. Apoc. 13: 8. Tempora ea piis & purioris doctrinæ ſectatoribus adeò calamitoſa jam depinxerat Eſaj. 57: 1, ſeqq. videſis Vitringam. In tam luctuoſo rerum ſtatu poterant Chriſti oves easdem querelas movere, quas moverant ſub dira perſecutione Antiochi Epiphanis, Pſal. 44. & citante Paulo, Rom. 8: 36. reverà conqueri: ἑνεκα σȣ θανατȣμεθα ὁλην την ἡμεραν, ἐλογισθημεν ὡς προβατα σφαγης. Non eſt, quôd operosè eum rerum & Eccleſiæ ſtatum deſcribam, aliosque exſcribam; inſpici poſſunt Mornæus in Myſterio Iniquit. Basnage l'Hiſtoire de l'Egliſe, Boxhornius Hiſt. Univerſal. Thuanus, Spanhemius Hiſtoria Eccleſ. Uſſerius de Succeſſione, &c. & alii. His nunc poſitis ſubſumo, quod omnes ajunt, per *panem quottidianum* quartâ petitione intelligi, quæcunque ad vitam ſunt ita neceſſaria, ut ſine iis vivi non poſſit. Quid magis neceſſarium erat, eô tempore, eô die myſtico durante, quam *panem quottidianum* petere, i. e. omnia ea, ſine quibus vivere, & in mundo perdurare planè eſt

im-

impoſſibile, veraque Eccleſia tot malis preſſâ, non potuiſſet perdurare, nec etiam in mundo tales eſſe proporro, qui nomen Dei ſanctificarent, adventum regni ejus urgerent, ſeque in ſolidum voluntati divinæ manciparent. Id enim verò Eccleſiæ ſuæ Domino, Chriſto Jeſu, curandum fuerat; id Apoſtolis & omnibus retro Chriſtianis omnibus votis expetendum; Apoſtoli namque ii fuerunt, qui curam univerſæ Eccleſiæ geſſerunt, §. XXXI. Oportebat eos pro membris Chriſti vitæ neceſſaria exorare, per totum N. T. diem, quod totum temporis ſpatium *hodie* vocatur Heb. 13: 8. Si pro toto tempore N. T. quidni modo ſingulari pro ea ejus parte, quâ iſta petitione quàm maximè opus fuit, quale fuiſſe dominante & ſumma imis miſcente Antichriſto, indicatum. Et reipſa Deus petitionem eam exaudivit. Miraculosè in mundo conſervata fuit Eccleſia, cottidianus panis nunquàm ita defecit, ut fame & aliis mille modis tota periret; ſemper fuerunt, quibus quam maximè curæ cordique fuit, & petere & facere, quod iſtis Orationis Dominicæ petitionibus continetur. Ex quibus veſtigia regiminis Chriſti in Eccleſiam totam manifeſtè ſeſe iterum produnt, & monſtrant, quàm concinnè conveniant ea, quæ Chriſtus petere jubet, cum iis, quæ Deus de ſua Eccleſia decrevit. Præprimis verò dari oportebat Evangelii Confeſſoribus panis ἐπιούσιος, ſecuritas, vitæque neceſſaria omnia, per ſtupendum Reformationis opus. Erant à Jeſabelis tyrannide & cavernis in libertatem vindicandi, quam ut obtinerent, orare oportebat, quod petitione quinta habetur:

§. XXXVI.

Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Apud omnes in confeſſo eſt, non poſſe plenariè obtineri, quæ in ſuperioribus petitionibus petuntur, ſine peccatorum remiſſione, mutuâque

ſincerâ charitate. Nec etiam Eccleſia in genere rectè potuiſſet usque & usque nomen Dei ſanctificare, adventum ejus regni promovere, voluntati divinæ in omnibus ſubjici, & pane ſuo cottidiano perfrui, niſi & iſta quinta petitio exaudiretur, ejusque exauditio & notabili modo, ſignisque indubitatis apertis fidei oculis exponeretur. Evangelicæ Doctrinæ cardo, dogma illud graviſſimum, quô ſtante ſtat, cadente cadit Eccleſia, de Juſtificatione peccatoris coram Deo, in cœtu Papali quantopere deformatum, à nativa ſua rectitudine detortum, erroribusque collutulatum fuerit, nemo neſcit. Ab unico Juſtifiationis tramite, merito Chriſti, fide vivâ imputatô, declinatum erat ad hominum merita, opera ſupererogatoria, indulgentias, & millenas ſuperſtitiones alias, quibus animæ laſſatæ, hûc illûc raptatæ, quaſi in gurgite vaſtô, ſalutis ſuæ perpetuâ incertitudine, fictis purgatorii flammis, ſpectris & lemuribus territæ, diriſſimam experiebantur carnificinam, quam ut effugerent, opus erat eâ viâ, quam verbum Dei monſtrat, peccatorum remiſſionem apud ipſum Deum quærere, id fervidè precari, id omnibus viribus quærere, ut Juſtificatione peccatoris coram Deo in clarâ luce poſitâ, ejus compotes fierent, qui ea, quæ ſingulis petitionibus Orationis Dominicæ continentur, enixè quærebant, Chriſti in hâc terrâ diſcipuli. Eô quinctiam tendebat fatorum ordo, hûc jam collimabant viæ Dei. Omnium loculos emuncturi indulgentiarum inſtitores & propolæ à Leone X. quâquâverſum emiſſi, ità rem ſuam nullâ fronte, nullô pudore faciebant, ſpongiasque ſuas explebant, ut nullô modô diutius cucullis tecti impoſtores & latrones ferri potuerint; itum eſt contrà, Zvvinglius Bernhardino Simſoni in Helvetia, Lutherus Tezelio in Saxonia, alii Arcimboldo, aliis alii larvam detraxere, vulpinâque pelle tectos lupos præſepibus abarcuere. Dedit id occaſionem, doctrinam de remiſſione peccatorum

&

& juſtificatione hominis priſtinæ ſuæ & Evangelicæ puritati reſtituendi, quam tota purioris Theologiæ, cultusque divini Reformatio eſt ſecuta. Ita nimirum poſtliminio Chriſtiano orbi, Deum debita remittere, non Papam vel alium, cognitum eſt; Et reverà remitti exinde potuit, quòd, non obſtante Reformationem præcedente idololatria, ſuperſtitionibus, vitiis graſſantibus, obedientia cæca, contemtu Verbi, ignorantia inexcuſabili, &c. Deus tamen ſuæ Eccleſiæ gratiosè miſertus, Evangelii cultûsque divini puritatem, verbum & ſpiritum, omniaque ejus χαρίσματα, tam ubertim dederit, eamque excuſsô jugô, demtis quibus conſtringebatur vinculis, in libertatem filiorum Dei vindicavit, ut cuivis membro Chriſti, per internum Spiritus Sancti teſtimonium ejusque illuminationem pateret, ſe habere characteres eos efficacis vocationis, fidei, converſionis & ſanctificationis, ex quibus juxta tenorem Evangelii convictio remiſſionis peccatorum & juſtificationis naſcitur. Qui ſanè reſtauratæ Evangelicæ doctrinæ fructus quàm præclarus, quàm neceſſarius fuerit, dici ſatis nequit. Nec etiam omittendum eſt, populum Dei quondam Babylonicæ captivitatis finem à Deo precantem, multum fuiſſe in deprecandis peccatis totius Gentis, quia iſta eandem promeruerant; ſciebant enim, ſublatâ causâ tolli effectum, adeòque peccatis remiſſis ipſam captivitatem ceſſaturam. Hinc Daniel tantoperè urget peccatorum condonationem c. 9. Ea vero captivitas figura erat captivationis fidelium ſub Antichriſti jugo, & rege Bab. myſtico; quod nemo poterit inficias ire, qui ea, quæ Eſajas, Jeremiasque de Babylone vaticinati ſunt, contulerit, cum iis, quæ Johannes de Bab. myſtica ſcripſit, Apoc. 18. Ex hac igitur ſpirituali captivitate liberandos itidem oportebat remiſſionem, ut omnium peccatorum, ita imprimis eorum petere, quibus eandem promeriti fuerant, quæque ex parte §. XXXIV. indicata ſunt. Imo verò Deus ipſe loquens de

de purioris Eccleſiæ reliquiis, quarum mentio facta §. XXXV. iisque ſtatum longè meliorem priore illô ſub Antichriſti jugo promittens, de Eccleſiæ Reformatione verba facit, tanquàm de peccatorum remiſſione; ait: *Nam non contendam in ſeculum, neque in æternum efferveſcam, nam ſpiritus à conſpectu meo obruetur, & animæ, quas ego feci. Propter iniquitatem quæſtus ejus efferbui, & percuſſi eum, abſcondendo me inquàm efferbui, quia ibat aversus per viam animi ſui. Vias ejus video, ſed curabo eum*, &c. &c. Eſaj. 57: 20, & ſeqq. vid. Cl. Vitringam in hunc locum. Apparet, opinor, ex iſtô locô, quod intendo, conſequens remiſſionis peccatorum, ſub Antichriſti tyrannide commiſſorum, inter alia fuiſſe Reformationem Eccleſiæ. Sed proporro attendenti & id manifeſtum eſt, dum iſta quinta petitio Eccleſiæ per omnia ſecula præſcripta eſt, tales fore, qui remiſſionem peccatorum non apud homines, opera operata, &c. ſed apud ſolum Deum quærant; idque inter alia tempora, etiam ante Reformationem, qui quomodo per eandem fuerint exauditi, expoſitum eſt. Qui nunc ſecum perpendit, Apoſtolos ex inſtinctu divino & prophetarum prædictionibus prædixiſſe in ſcriptis ſuis illam tam horrendam Apoſtaſiam, & ex ea liberationem per Reformationis opus, facilè in eam inducitur cogitationem, illos ea omnia, quæ hactenus indicata ſunt, liberationem ſcil. ab Antichriſti jugo, per quam nomen Dei ſanctificaretur, regnum Dei adveniret, Dei voluntas, non Papæ, fieret, fideles neceſſaria vitæ haberent, & peccatorum remiſſio apud ſolum Deum quæratur, abs Deo petiviſſe; adeoque & quintam petitionem cum regimine Chriſti in Eccleſiam univerſam, hujusque fatis bellè convenire. Quod, ut porrò fiat, addunt in ſexta petitione:

§. XXXVII.

Et ne ducas nos in tentationem, ſed libera nos à malo.

Ea quæ hîc petuntur, quàm ſunt neceſſaria in unoquo-

quoque credente, ſi, quæ præmittuntur, exaudienda ſunt, tam neceſſaria quoque ſunt Eccleſiæ in genere. Tot præclaris & multis Dei beneficiis per Reformationem collatis Eccleſia vera non utitur, ut officii ſui eſſe, integra Scriptura clamat. Lachrymis, non atramento deſcribenda forent Eccleſiæ peccata, vulneraque; invidioſum eſſet, omnem eam labem ſcriptim commemorare, & pro rei magnitudine exponere, quid mundi, carnis, Satanæque inſidiæ hactenus vel tentaverint, vel etiam potuerint, quæ vitia, errores, diſſidiaque exindè ceu ex equo Trojano prodierint, quos & quales *Tyrus lyra canens* hactenùs ſeduxerit, Eſaj. 23: 16, 17. Labes, ἁμαρτήματα, ſtatumque Eccleſiæ à ſua puritate deficientem multi, iique graviſſimi Theologi hactenus expoſuere, Gürtlerus, Theol. Profet. p. 688, & ſeqq. Lampe, in Gnadenbund, Tom. 5. p. 794, & ſeqq. multique alii, quos videbis l. c. Nec etiam puto oculatum eſſe quemquam, quin videat in iſtis ſeculi fæcibus, mundique ſenectâ, dominari multa vitia, teporem & indifferentiam erga divina, vitioſam ſeculi licentiam & conformitatem, carnales cupiditates, quidvis ſentiendi licentiam, Eccleſiam ſæpius turbaſſe; diſſidiis, contentionibus, &c. fratres in fratres armari, tela acuere aciemque movere, à mundanis & carnalibus Scripturas negligi, earumque ſcrutinium tanti non videri, ut in illas nervos intendant; vitæ ſanctimoniam ad aniles ſuperſtitiones amandari; dari, qui inter quottidianam crapulam, numquam edormitam, de Deo vel parum vel nihil cogitant, Deo ſuo ventri non niſi ſervientes; alios ad Pyrrhoniſmum, alios ad Atheiſmum vergere; natam ex neglectu Scripturarum ignorantiam erroribus & perverſis præjudiciis decumanam portam aperire; mundi carnisque φρονήματα plurimos per transverſa rapere; & quæ alia multa, genuinis Chriſti diſcipulis quotidie deplorata. In ea tempora ſervato Chriſtiano, quot nominibus opus eſt orare, *ne inducas nos in* tenta-

tentationem? Immo verò cum deploranda hæcce Eccleſiæ conditio à Prophetis fuerit prædicta, ut Eſaj. c. 59. & alibi, & ab ipſis Apoſtolis, 2. Petr. 3: 3, 4, 5. Apoc. 3: 7. ad finem; quid impedit, quô minus Apoſtoli, & omnes veri fideles petant in ſextâ hacce petitione, ne tot ad malum tentationibus expoſita Eccleſia Dei tandem ſuccumbat, neve portæ inferorum adverſus eam prævaleſcant? cum ſpiritu prophetiæ iſta prævidentes & prædicentes Apoſtoli, etiam noſtri, ùt fidelium ſui temporis, enixam curam habuiſſe, monſtrant fraterna eorum monita. l. c. Apoc. 3. 2. Pet. 3. Apoc. 14: 6-13. prædictæque hoſtium ſtrages. v. 14. ad finem. Accedit, quod addatur, *& libera nos à malo.* Inter oculatiſſimos in prophetiis interpretandis magnique Nominis Theologos omnes conſenſus eximius eſt, ſupereſſe Eccleſiæ *horam tentationis.* Apoc. 3: 20. exantlandos eſſe labores ærumnoſos; qui quales futuri ſint, non definiam, deficiente hactenus eorum vaticiniorum, quæ hûc ſpectant, clave, implementô videlicet. Sperni tamen non debent temerè, quæ Gürtlerus obſervat, Theol. Prof. p. 695. & ſeqq. Lampe, in Gnadenbund, Tom. V. p. 819. & ſeqq. c. 13. Ea eſt calamitas, quæ Eccleſiam hactenus exſpectat, quæque ex graviſſimis erit, quod apparet emphaſin vaticiniorum eam prædicentium ponderanti, quale Sigillum 6tum apertum, Apoc. 6: 12-17. Quis neget, per liberationem à malo ad eam digitum intendi, & in ea conſervationem Eccleſiæ jam ab Apoſtolorum tempore expetiviſſe fideles, cum ea Eccleſiæ promiſſa ſit, Apoc. 7: 1-8. Quamvis exſpuendi tepidi, Apoc. 3: 16. Non addam, quæ Clariſſimi Commentatores in Exegeticis ſuis ſcriptis de futura hacce tentatione, in qua Eccleſia argenti ad inſtar purificanda, paſſim obſervant. Sufficiunt iſta ad veſtigia regiminis Chriſti in Eccleſiam in genere, ſeu totum ejus corpus, in hacce ſexta petitione detegenda, & oſtendendam harmoniam Orationis Domi-

minicæ cum decretis Dei erga ſuam Eccleſiam; quam ulterius pandit Doxologia his verbis:

§. XXXVIII.

Quia tuum eſt regnum & potentia & gloria, in ſecula ſeculorum. Rationem reddunt precantes in Doxologia, cur ſuperiora omnia à Deo petant. vide *Catech. Heidelb.* Quæſt. 128. Eôdem modô cum hactenus precati fuerint fideles, quæ ex amuſſi quadrant in Orat. Dom. cum decretis viis Dei in Eccleſiam ſuam, & Prophetarum prædictionibus, nunc rationem reddunt, cur eadem omnia à Deo petant. Ratio eſt, ut tandem Eccleſia in eum exoptatum hactenus deveniat ſtatum, in quô pleniſſimè regnum &c. Dei ſit, ejusque eſſe, omnibus luculentiſſimè pateſcat. Per eum ſtatum ſignificantur halcyonia Eccleſiæ, cum, abolitâ Antichriſti tyrannide, deletis hoſtibus, Edomo ſpirituali, Eſaj. 34. & 63. Obad. verſu ultimô, abolitis perſecutoribus, Eſaj. 11: 6-9. & c. 35: 9, 10. ſingulari modo *Deus erit in templo ſanctitatis ſuæ*, Eccleſia ſua, *& in conſpectu ejus ſilebit omnis terra.* Habac. 2. 20. per abnegationem omnis ſapientiæ carnalis, & condemnationem concupiſcentiarum adversùs regnum ejus inſurgentium. Cum, poſt apertum ſigillum ſeptimum, *ſilentium ſemihorii in cœlo.* i. e. pacatiſſima in Eccleſia quies, Apoc. 8: 1. vide Vitring. in h. l. cum plenitudo gentium intraverit in Eccleſiam. vide Eſaj. 11: 11. & ſeqq. & Judæi converſi, Eſaj. 59: 20. Rom. 11: 24. & ſeqq. tunc cognitio Dei eſt exſuperantiſſima, Eſaj. 31: 23-26. & c. 60: 20. quod caput primariò inſpici meretur, & totum hûc pertinet. Apoc. 21: 23. & 22: 5. Tanta tunc eſt ſanctificationis menſura, quanta hactenus non videbatur fuiſſe. Eſaj. 60: 21. Zach. 14: 20. quæ beata tempora fideles à Deo precibus expoſcunt. Habak. 3: 18, 19. & per elegantiſſima emblemata propoſita, petuntur. Cant. 8: 14. itidem Apoc. 22: 17. Sunt eæ prophetiæ, quas appoſui,

ſui, tam auguſtæ & ſignificantes, ut alterutrum neceſſariò dicendum ſit, aut Deum longè majora promittere & præclariora, quàm præſtare velit, quod de veraciſſimo ſummeque perfecto ente vel cogitare prope blasphemum eſt, quia Deum mendacii, horreſco referens, accuſat, vel implementa talium vaticiniorum eſſe hucusque inter futura, eo quod in tota Hiſtoria hactenus nihil inveniatur, quod emphaſin illarum prophetiarum exhauriat, quod Celeberrimi Theologi ſemper urgent, & eas prophetias adhucdum implendas eſſe, exinde evincunt, ne multis pauca dici videatur, ſcripturæque ἐνέργεια cum Socinianis, cujus hæreſeos hæc propria labes eſt, enervetur. Addi meretur, id non tantùm ipſam prophetiarum materiam poſcere, ut inter futura hactenùs habeantur, ſed etiam id neceſſario poſtulare nexum earum omnium, quæ continuo filo per Eccleſiæ variantia fata decurrunt, & in tam auguſtis promiſſis deſinunt, id fit in Cantico Moſis, Deut. 32: 40. & ſeqq. ad v. 44. de quô videſis Clariſſimos Viros, Coccejum & Sal. Van Till. Pſal. 8: 10. vide Vitringam. Pſal. 45: 16, 17, 18. vide Clar. Lampe. Pſal. 68: 33 - 36. vide Vitringam. huc referendum c. 60. Eſajæ, in quo deſinunt fata Eccleſiæ, inchoata in paſſionibus Chriſti, c. 53. & duabus parentheſibus aucta capp. 54. & 55. vide Vitring. & Lampe in c. 55. Nec etiam eſt, quod quis jure objiciat, haſce meditationes neſcio quem Chiliaſmum ſapere, eam enim injuriam, nullâ juris ſpecie objectam, poſt alios Theologos tam nervosè abſterſit, b. m. Clariſs. Noſter Rodolphus, ut addi nil poſſit, Theol. Chriſtianæ. L. 5. c. 11. §. 5. p. m. 616. & ſeqq. ad quem Lectorem remitto. His ità conſtitutis, ſponte iterum ſeſe offert, oculosque attendentis ferit, egregia illa tam concinna divinaque Orationis Dominicæ cum viis Dei ergà Eccleſiam univerſam harmonia; & quivis videt, ex amuſſi convenire, & amicè conſpirare Doxologiam cum Eccleſiæ ſtatu proſperô,

ſperô, ejusdemque expectandis hûcusque halcyoniis, in quibus *regnum & potentiam & gloriam Dei eſſe*, & *in ſeculorum ſecula* manere, non obſtantibus quibusdam Antichriſtianiſmi reliquiis, demùm illuſtriſſimo Chriſti adventu ad judicium terminandis, 2. Theſs. 2: 8. & Babelis caſum lamentaturis, Apoc. 18: 17, 18, 19, non obſtantibus ἐμπαικταις, &c. 2. Petr. 3: 3. non obſtante Gogi & Magogi terrore ſubitò finiendo, Apoc. 20: 7-10. vide Vitring. in h. l. non etiam obſtantibus, regliſcentibus iterum ſecuritate carnali, & aliis nævis, Matth. 24: 37-39. Luc 18: 8. 1. Theſs. 5: 3. quæ omnia Eccleſiam militare hactenùs indicant, quod apertè conſtabit, donec in regno gloriæ in cœlis eorum omnium ſigillum & pleniſſimum implementum erit

§. XXXIX.

Amen. Cujùs voculæ ſingularis emphaſis à tot ſcriptoribus eſt inculcata, ut opus non ſit ea prolixè repetere, quæ à Fullero, Miſcell. S. L. 1. c. 1. Cocceio in Lexico in voce אמן. Lampe in Joh. Tom. 1, p. m. 490. & ſeqq. alibique paſſim, & aliis multis fuere indicata. Pro inſtituto præſenti ſufficit, plenariam adſtipulationem, firmiſſimam veritatis agnitionem & confirmationem, ejusque exſequendæ votum ardentiſſimum eſſe, & inter nomina Dei ſymbolica, Eſaj. 65: 16. Exprimit eam Dei veracitatem & fidelitatem, quæ eſt in voce Jehovah, niſi quod hæc, Deum in poſterum ſua promiſſa impleturum fore, Amen verô ſignificet, Deum ipsô actu illa implevisse. Eſt etiam inter nomina Chriſti, Apoc. 3: 14. *& in eo omnes promiſſiones divinæ ſunt* ναι καὶ ἀμην. 2. Cor. 1: 20. idque erunt, cum pleniſſimè omnia impleta, cum factum erit illud omne, quicquid eventurum Eccleſiæ prædixerat per Prophetas & Apoſtolos ſuos Chriſtus, eaque æternùm in domo Patris, ſponſi ſui thalamo, perfruetur infinitis illis & ineffabilibus cœli gaudiis; tunc

ſponſa firmiſſime agnoſcit & undiquâque confirmata eſt, docente experientiâ, omnia in Chriſto ναι καὶ ἀμὴν facta, vota ſua eſſe exaudita, promiſſiones impletas, *regnum, potentiam & gloriam in ſecula ſeculorum Dei fore;* idque ùt in votis unicè habet, & exinde deliciatur, ſic Deus etiam omnia in omnibus erit, ſeque beatis cœleſtibus *Deum Amen* infinitè perfectè ſiſtet. Ex quibus apparet, veſtigia regiminis Chriſti in Eccleſiam univerſam, in Oratione Dominicâ contenta, in conſummatione paſſionis & ſatisfactionis Chriſti incipere, §. XXXII. & exinde per principalia N. T. fata decurrere, & ab æternis illis & infinitis cœli gaudiis quaſi abſorberi; & ita inſtituta à Sanctiſſimo Servatore eas preces, ut in iis omnia ea bona petantur, quæ Eccleſiæ Dei in genere & in hoc & in futuro Seculo eventura ſunt, easque hôc modô cum regio Chriſti munere exactiſſimè convenire.

§. XL.

Quod cum hactenus oſtendere fuerim aggreſſus, humana ingenia toties expertus, non dubito, fore cæteroquin pios & prudentes Lectores, qui Scriptum vel cogitata mea è manibus ſeponant, talia in Oratione Dominica quærenda eſſe, re non penitius trutinatâ, negent, vel judicium ſuum ſuſpendant, vel ita gratis, ſinè ullis ſufficientibus rationibus, dici autument. Non omnium eſt, quicquid erat præjudiciorum eradicare, rem introſpectam ex ipsâ ſuâ naturâ æſtimare; ejusque nexus & concatenationes, ad ſolidam & claram ejus, quod quærebatur, deductionem invenire. Multis ea propter fruſtrà laboraſſe videbor, niſi cogitata mea rationibus ſufficientibus muniam, quæ cordatum Lectorem in meas partes moveant. Equidem mihi videor jam aliquid præoccupaſſe §. XXXI. ubi oſtendi, Apoſtolos fuiſſe ædificatores urbis Eccleſiæ; habuiſſe ab Architecto Chriſto perfectum typum vel delineationem urbis ejus ædificandæ

ex

ex immediato Spiritus Sancti inſtinctu; eundem eos ſuæ ſtructuræ typum ſcriptim omnibus futuris ædificatoribus ejus urbis reliquiſſe, eô ſcopô, ut tandem in fine Seculorum ea ſtructura exactè juxta typum illum omnibus ſuis muneris ſit abſoluta; adeoque operis Apoſtolici fuiſſe, in ſcriptis ſuis eam ſtructuram usque & usque curare; eundem ad finem preces eorum, ex natura ipſa precum, concurrere debuiſſe, Quibus datis ſequitur, aut Orationem Dominicam muneri Apoſtolico non exactè conformem fuiſſe, quod abſurdum foret, quia diſcipulis præſcripta, Luc. 11: 1, 2. cum diſcipulatu conſpirare debet, aut in Oratione Dominicâ exorari omnes Eccleſiæ neceſſitates, donec pleniſſimè ſit exſtructa; quod eſſe nequit, niſi in eâ reſpiciatur ad futura Eccleſiæ in his terris fata. Quæ unica ratio rectè intellecta jam probat, quod volo. Huic nunc addo, apud omnes, quantum quidem ſcio, in confeſſo & extrà omnem controverſiæ aleam eſſe, contineri in Oratione Dominica omnes fidelium in hâc terrâ neceſſitates, & quicquid petere opus habent, Jam verò omnes fideles ſimul ſumti, ſunt ipſa electorum Eccleſia, cujus neceſſitates cum contineantur in Oratione Dominica, eæque pro variis ejus fatis, nunc hôc, poſt aliô modô varient, ſequitur, Eccleſiæ opus eſſe, petere in genere, quæ totâ eâ Oratione habentur, ob ea omnia, quæ ab initio usque ad §. XXXI. oſtendi, in ſpecie quæ habentur in ea petitione, quæ huic vel illi ſpeciali fato Eccleſiæ hujus vel illius temporis convenit, præ cæteris petenda eſſe, ut, licet variantibus Eccleſiæ fatis, Oratio Dominica tamen cum unoquoque Eccleſiæ fato vel ſtatu exactè quadret. Unde ſequitur, eos qui negant, quæ inde à §. XXXII. obſervavi, non tam de re ipſa, quam de ipſo ordine à me diſcrepare; utrique enim in eo convenimus, ineſſe petitionibus hujus Orationis omnes Eccleſiæ neceſſitates, ne vel unicâ exceptâ, easque omnes ſapientiſſimo ordine dige-

ſtas eſſe, quem mea ſententia longa concinniorem, divinæque Chriſti ſapientiæ congruentiorem eſſe, ordinis natura & eſſentia monſtrat; per ordinem enim naturalem intelligo, *prudentem uniuscujusque rei digeſtionem in eum locum & ſeriem, reſpectu cæterarum, quam rei natura, ejusque ad alias res relationes poſtulant.* Sed verò de ſingulis petitionibus obſervatum eſſe hunc ordinem à Chriſto, neceſſe eſt, quia eſt ſummè Sapiens, nec enim ejus ſapientia ſumma ſinè perfecto ordine eſſe vel concipi poteſt, eumque ineſſe Orationi Dominicæ omnes fatentur, & quod nunc urgeo, etiam cum viis Dei erga ſuam Eccleſiam amicè conſpirare, ſingularum petitionum perluſtratio docet, ſi cum palmariis Eccleſiæ fatis, ùt ſe invicem ſubſequuntur, in naturali ſuo nexu conferantur, quod ad rei ipſius evidentiam extrà controverſiam collocandam, ubi non niſi de ordine quæſtio eſt, ſufficit.

§. XLI.

Si quis dicat, eô modô preces iſtas converti in Prophetiam, injurius eſſet, ſiquidem, quæ ſuperius obſervata ſunt, quàm neceſſariæ ſingulæ ejus petitiones ſint, clamitant, nec aliud quid volo, quàm eum in earundem nexu ordinem obſervatum eſſe, qui cum fatis Eccleſiæ momentoſioribus conſpiret. De cætero res ſic concipienda eſt; Antiqua praxis Prophetarum in Eccleſia Judaica fuerat, pietatis aperire ſcholas, in quibus Patrum Catecheſis, vera fidei doctrina, in Seculi illius vitiis propagaretur, & maſcula ſolidaque pietas ad uſum revocaretur; de quibus Scholis videſis Stillingfleeti Orig. Sacras, L. 2. c. 4. Vitring. de Synagoga Vet. L. 1. part. 2. c. 6. Sed verò inter exercitia pietatis eminent quàm maximè preces, ſinè quâ vitæ ſpiritualis reſpiratione, ſpiritualiter vivi nequit; Exinde ſpontè fluit, Sanctos Prophetas in ſuis ſcholis Auditores ſuos artem ritè precandi inter alia docuiſſe, ſuô exemplô præiviſſe, & rudioribus precum

cum formulas concinnâſſe, quibus hactenùs uterentur, donec edocti eſſent è proprio cordis theſauro preces ad Deum fundere: Id mihi veroſimile fecit, tum ipſius officii in ſcholis illis natura & ratio, tum ſubſequens Prophetarum tempus, Doctorum Iſraelis exemplum & cottidiana praxis, qui Diſcipulos ſuos vel integras & prolixas precum formulas, vel per compendium abbreviatas, recitare docebant, & clauſulæ locô aliquam ſed brevem Oratiunculam addebant. vid. Ligtfootus in Hor. Hebr. ad Matth. 6: 9. Opp. Tom. 2. p. m. 300. & ſeqq. Witſius in Orat. Dom. Exercitatione VI. Hunc morem Servator noſter ſervavit, ut clare liquet ex Luc. 11:1. Nata hinc Oratio Dominica, quâ Chriſtum preces ſuas itidem ſæpius finiiſſe, ut cæteri Doctores ſuis ſolebant, & in hoc etiam ſuô exemplo diſcipulis præiviſſe, ſane nihil eſt, quod impediat. Nec enim obſtat petitio quinta, in quâ peccatorum remiſſio exoratur; poterat Servator, fidelium ſuorum Sponſor, eorum nomine pro iis eandem petere, prout electorum pravitates ſuas vocat, Pſal. 40: 13. vide Cl. Coccejum in h. l. vel mutatis pauliſper phraſibus orare, *& remitte meis debita ſua quemadmodum &c.* vel alio quôcunque modo, tantô Sponſore dignô, ſe exprimere. Jam verò quis negabit, Chriſtum eſſe caput, Mediatorem & Sponſorem omnium fidelium, quôcunque locô vel tempore vivant, per totum N. T. curriculum ad ipſum usque mundi finem; Ejus proinde erat, pro omnibus illis orare, omnes vel tum jam precibus ad Deum tueri, futuris eorum neceſſitatibus opitulari, & in precibus ſuis ad Deum Patrem urgere quicquid unquam illô tempore modoque Eccleſiæ, ſuæ ſponſæ, eventurum erat memorabile in his terris, quandoquidem ea tam momentoſa Eccleſiæ fata divinæ ejus omniſcientiæ & notiſſima & præſentiſſima erant, & ab ipſo Chriſto prædicta, Matth. 13. & alibi, & à ſervis ſuis Prophetis & Apoſtolis, aliis locis plurimis.

Quæ cum ita ſint, & Oratio Dominica omnia ea ſummatim contineat, quæ Chriſtus unquam pro Eccleſia ſua precatus eſt, & quicquid Eccleſiæ Dei intereſt, ùt à Deo obtineat, non video, quî poſſit exindè tolli, quod palmarium eſt, momentoſa ſcil. illa Eccleſiæ fata ſeſe invicem ſubſequentia. Immo potius, ut omnimoda perfectio Orationis Dominicæ undiquaque appareat, ita fuerat ſeries rerum inſtituenda, ut ſatis Eccleſiæ bellè convenire pateſcat, quô clarius inde eluceat Chriſti Servatoris cura erga totam ſuam Eccleſiam ſibi invicem ſucceſſuram, ad ipſum usque mundi finem.

§. XLII.

Oſtenſum hactenus, quàm eſt veriſimile, Chriſtum in iſta ſua Oratione docuiſſe, quantam in precibus ſuis univerſæ Eccleſiæ in finem usque ſeculorum futuræ curam geſſerit. Sed poſſet quis objicere, etiam Orationem fidelibus eſſe præſcriptam, ceu perfectiſſimum precum παράδειγμα, quô moneantur fideles, quid & de quibus ipſis ſit precandum; Eſto & hoc, veriſſimum enim eſt; At ne hoc quidem ſententiam meam infirmat, ſed e contrario ſtabilit. Quid enim fidelibus invicem vinculi eſt? firmiſſimum ſanè eſt fidei, quo omnes Chriſto inſeruntur, & charitatis, quô ad omnia fraterna officia ferimur. Omnes omninò fideles capite Chriſto uniti, & ad multa membrorum ergà ſe invicem officia ſunt obligati; Fidelium eſt exinde, quantum poſſunt, etiam eorum fidelium agere curam, qui ipſis usque & usque ſunt ſucceſſuri, & locum denatorum in Eccleſia militante expleturi. Iſtam fidelium in Eccleſia eſſe conditionem, nemo negat, niſi adeò inſulſus, ut ejus conditionem deteriorem autumet, præ illa regnorum & familiarum mundi, in quibus de poſterorum ſalute agendum eſſe, quantum fieri poteſt, & ratio & experientia clamat; & in Eccleſia idem fieri debere, Paulus aper-

te

te inculcat, cum ait: Ἀληθευοντες ἐν ἀγαπῃ αὐξησωμεν εἰς αὐτον τα πανλα, ὁς ἐςιν ἡ κεφαλη, ὁ Χριςος, ἐξ οὗ παν το σωμα συναρμολογουμενον καὶ συμβιβαζομενον δια πασης ἁφης της ἐπιχορηγιας κατ᾽ ἐνεργειαν ἐν μετρῳ ἑνος ἑκαςου μελους, την αὐξησιν του σώμαλος ποιειλαι εἰς οἰκοδομην ἑαυλου ἐν ἀγαπῃ. Eph. 4: 15, 16. Ea autem οἰκοδομη corporis Chriſti perfecta eſt in fine mundi. Ad illum uſum uniuscujusque membri officium erit, quod ſuæ naturæ eſt facere ad eam perfectionem promovendam. Inter illa verò officia eſt palmarium, pro Eccleſia precari, & pro ea id petere, quod Deus daturus eſt, quod ſe vel daturum vel facturum revelavit, quod proindè cum decretis ſuis & revelationibus convenit, & ſinè quo Eccleſia in terris foret peritura; quale eſt unumquodque Eccleſiæ fatum à me in ſuperioribus ad ſingulam quamque Orationis pericopam adnotatum. Quod ſi nunc momentoſa illa Eccleſiæ fata juſtâ ſerie contineantur in ea Oratione, quod ego propugno, quivis, qui Deo placenti modo ea Oratione defungitur omnibus iis officiis, quæ usque & usque futuræ in terris Eccleſiæ debet, quantum quidem in precibus iis defungendum eſt, & eam ejusdem curam gerit, quam cum viis & relationibus divinis convenire, è verbo Dei edoctus eſt; idque enixè pro ſalute Eccleſiæ à Deo expetit, quæ neceſſaria & promiſſa eidem certò certius perſpectum habet. Quod ſi verò nullus in Oratione Dominica fatorum ordo obſervatus aſſeratur, aut futura petuntur ſinè plenario reſpectu, ad decreta & revelata Eccleſiæ fata, atque ſic intentioni precantis non omnimodè convenit cum verbo patefactâque voluntate divina, quod ipſum in precante vitioſum eſt, aut non niſi pro præſenti Eccleſiæ ſtatu, unôquoque tempore, cura precantibus geritur, quid ſit futurum cras fugitur quærere, & ſuô modô in diem vivitur, nec etiam erga poſteros ea fidei & charitatis officia exercentur, quæ exercenda etiam in precibus eſſe, unio fidelium omnis temporis & loci

in unico Capite Chriſto apertè clamant, & Prophetiæ monſtrant de rebus futuris datæ; quæ ſupervacaneæ forent, niſi uniuscujusque temporis fideles etiam poſterorum cura tangeret, idque poſteros in fide confirmaret, cum ea omnia videant ex amuſſi impleta, quæ, quævis ſuo quoque tempore, implenda fore, & dudum prædicta fuiſſe, in divinis paginis legunt. Perſpicuum proinde ex iſtis eſt,. fatorum Eccleſiæ ordinem, ex jactâ hypotheſi, in Oratione Dominicâ contentum, cuivis ritè precanti januam apertam monſtrare, per quam poſſit & fidei ſuæ & charitatis officia, quæ futuræ Dei Eccleſiæ debet, in precibus ſuis exercere, & Chriſtum ea propter, eô ordine modôque, quo eſt, fidelibus eam præſcripſiſſe.

§. XLIII.

Monui §. XLI. Chriſtum, omnium fidelium Sponſorem & Eccleſiæ omnis temporis Caput, oraſſe pro omnis temporis Eccleſia & fidelibus, dum viveret inter homines, quod & nunc agit, gloria & honore ad dextram Patris coronatus; Id enim & officii Mediatorii ratio & infinitus ergà ſuos electos amor, ſuarumque actionum cum decreto divino pleniſſima harmonia, præter ea, quæ l. c. monita ſunt, poſtulaverunt. Vel cur id Chriſtum egiſſe negaretur, qui ſuam impenſam curam ergà futuros in Eccleſia fideles, tum opere ipſo Mediatoriô, tum tot de illis graviſſimis prædictionibus tam abundanter manifeſtavit. Quæ omnia pluribus probarem, niſi crederem, neminem pium & orthodoxum theſin iſtam mihi fore negaturum. Quâ datâ concludo, ſi Chriſtus pro omnibus futuri tempôris fidelibus inter homines degens oravit, totiusque ſibi invicem ſuccedentis Eccleſiæ in terris, orans ad Deum Patrem, curam geſſit, idem membris ſuis fidelibus ex Capitis Chriſti exemplo faciendum incumbit; Precandum enim eſt fidelibus in nomine Chriſti. Joh. 14: 18. & 16: 23. In

nomi-

nomine Chriſti, eſt, ex ejus juſſu & authoritate, vi meriti ejus, per Spiritum ejus & ad pleniſſimum ejus & præſcriptum exemplum. Si proinde orandum eſt in nomine ejus, orandum erit inter alia eô modô, & pro iis omnibus, pro quibus Chriſtus oravit, alias non plenariè in nomine ejus oraretur. Atqui Chriſtus oravit pro Eccleſia omnium Seculorum, adeoque & fidelibus pro Eccleſia omnium Seculorum erit orandum, quod ſi hoc ſit, neceſſitates Eccleſiæ per totum N. T. oportet ineſſe Orationi Dominicæ, fatorumque momentoſorum veſtigia deprehendi poſſe, quia aliàs precaturi, vel non orarent pro tota ſibi invicem ſuccedente Eccleſia in hoc mundo, atque ſic non omnimodè per eam orarent in nomine Chriſti, vel quæ omnia peterent, nullâ ſuâ culpa ignorarent, quod cogitare nefas eſt de formula, quam Chriſtus præſcripſit, quamque infinitè perfectam eſſe & ſapienter inſtitutam, infinita Authoris & Sapientia & Amor & ergà ſuos cura, neceſſarium facit. Conſpirare proporrò debent preces fidelium cum precibus Chriſti, & ejus verbo promiſſionibusque niti, & ad eandem metam decurrere, ut pateat fidelium voluntatem divino decreto voluntatique ſubjectam eſſe, & quicquid eſt in precibus εὐαρέσοις τῳ Θεῳ, ſuum eſſe, & ex ſuo deſumtum Deus agnoſcat. Oportet ergò fidelium precibus, ut conveniat cum fatorum Eccleſiæ ordine à Deo conſtituto, Chriſtumque in perfectiſſima formula, quam præſcripſit, ad eum attendiſſe.

§. XLIV.

Convenit quinetiam inter omnes veros Chriſti diſcipulos, ineſſe Dominicæ Orationi omnes eas neceſſitates, quæ unumquemque fidelem in ſpecie tangere poſſunt, nec omiſſum eſſe eorum quicquam, quæ ſunt è re membrorum Chriſti. Quod cum ita ſit, omnes ego prudentes rerum æſtimatores rogatos velim, annon majus ſit totum corpus quâlibet ſuâ

parte? Annon major totius corporis habenda ſit cura, quàm alicujus membri? Gregis totius quàm alicujus ovis in ſpecie? Adeoque ſi in Oratione Dominicâ contineantur omnes & meæ & tuæ & uniuscujusque alterius neceſſitates, annon eidem debeant ineſſe neceſſitates eæ tam graves & ponderoſæ, quæ totum corpus, integrum ἀρχιποιμένος gregem, Eccleſiam in genere tangunt? Idque eô magis, quô apertius manifeſtum eſt, generales eas Eccleſiæ neceſſitates ſuum influxum habere in unumquemque fidelem in ſpecie; & ſi unusquisque fidelis in ſpecie ſit exaudiendus, id ſæpiſſimè fieri debere mediantibus iis beneficiis, quibus Eccleſia in genere, & in ea tot fideles in ſpecie adjuti fuerunt; quod factum eſſe in omnibus iis fatis, quæ ſuperius notavi, prudens & rerum gnarus vel millies animadvertet. Quod ſi vero neceſſitates eæ, quæ Eccleſiam in genere per omnem Seculorum N. T. decurſum vel tetigerunt vel tangent, contineantur in eâ Oratione, id enimvero Sapientiæ Authoris divinæ convenit, ut illæ neceſſitates eô ordine ſe invicem ſubſequantur in eâdem, quô ſe invicem juxta Prophetiarum decretique divini filum ſubſequi Eccleſiæque obvenire, experientia hactenùs docuit & ulterius docebit; Adeoque concludendum ex iſtis omnibus eſt, omnes totius Eccleſiæ generatim ſumtæ neceſſitates contineri in Oratione Dominica, idque eôdem ordine, quò Eccleſiam tetigerunt, id eſt, conſpirare illam amicè cum fatis Eccleſiæ notatu quàm maximè dignis. Id ipſum eſt, quod intendo, & vel concedendum eſt, vel affirmandum erit, in iſta tam divina, tam perfecta precum formula Chriſtum non magnopere attendiſſe ad Eccleſiæ generales illas neceſſitates, quamvis momentoſiſſimas, vel in iis in ſuam ſeriem digerendis, non perfectiſſimum & ſapientiſſimum rebusque convenientiſſimum adhibuiſſe ordinem, qui poſſit rem in timore Domini ſcrutinanti perſpectus fieri. Judicet nunc Lector, cui

ſub-

ſubactum eſt judicium, uter infinitam Chriſti Sapientiam magis in apricum producere laboret; Egone ex hypotheſi hactenùs adſtructâ, vel, ſi mavis, ſententia defenſa, an alter alius quis, qui eam rejicit, fortè nondum ponderatam vel introſpectam, nec alia ex cauſa, niſi vel quia ſic placet, vel quia hactenus non viderat, quomodo ex utrinque datis ſequatur & ſuſtineri mereatur.

§. XLV.

Apertiſſimum eſt proporrò, Orationem Dominicam pertinere ad verba Chriſti ab ipſo in his terris prolata, & quatenùs à duobus Evangeliſtis, Matthæo & Luca, literis eſt deſcripta, eorumque libris inſerta, ùt reliqua eorum, eſſe ex divina Spiritus Sancti inſpiratione, eadem ergò divinæ hujus Orationis erit natura & conditio, quæ totius eſt verbi divini. Eſt illud à Deo prolatum, habet Authorem Spiritum Sanctum, *qui perſcrutatur profunditates Dei, & omnia novit, quæ ſunt Dei.* 1. Cor. 2: 10, 11. Deo verò per imenſam ſuam omniſcientiam omnia ſunt perſpectiſſima, unicò & ſimpliciſſimò cogitandi actu ea omnia comprehendit; & quoties Deus loquitur, infinita quamvis, cogitationi divinæ ſunt perſpectiſſima, nec etiam deeſt Enti perfectiſſimo illa ſive virtus ſive perfectio, quâ ſua cogitata feliciſſimè & exactiſſimè exprimit, ut infinitis Dei perfectionibus ſint congruentia ejus dicta verbaque. Hinc etiam ſummam ſapientiam cubare in verbis divinis, ex eo claret, quia divina ſunt, Deoque Authore ſuo digna, & longè ampliorem, quàm eſt in verbis humanis. Quod proh dolor! vulgò non attenditur, quia ab incunabilis inde verbis humanis aſſueti, quæ reſpectu divinorum, non niſi arctum & limitatum ſenſum habent, incauti præjudicium inde formant, in verbis Spiritûs Sancti rem ſimiliter ſe habere, ejus proinde ſenſum facile exhauſtum ſiſti poſſe; unde fit, ut rejiciatur, quicquid ſe primò

primò intuitu non obtulerit. Cum tamen res longè aliter ſe habeat, idque meditanti ipſæ perfectiones divinæ oppidò clarè commonſtrent, & Paulus ipſe, ea quæ hoc paragrapho apposui, menti attendentis obtrudat, inquiens : ὁ λογος τȣ Χριςȣ ἐνοικειτω ἐν ὑμιν πλȣσιως ἐν παση σοφιᾳ. Col. 3: 16. ait: *in omni ſapientia*, quò nos monet, multam ſubeſſe verbis divinis ſapientiam, abs hominibus omni labore detegendam. Natus exindè Canon Hermeneuticus : *Verba Spiritus Sancti ſignificare quicquid poſſunt*, ſalvo ſcil. verborum, veritatum rerumque nexu, dicentisque ſcopo. Applicetur nunc id ad rem præſentem ; Divinus Servator eam Orationem diſcipulis præſcribens, ea omnia, quæ hactenus notavi, vidit ſcivitque, ea omnia divina Chriſti & Spiritus Sancti omniſcientia in perfectiſſimo cogitandi actu habuit præſentiſſima, & facundiâ ſuâ infinitè perfecta eâ ſerie, iis verbis, quibus eſt Oratio Dominica concepta feliciſſimè & perfectiſſimè expreſſit, ut, ſi quis laboret de iis omnibus in aprium producendis, vindicandis, & in omnigenâ ſuâ, mutuâque tam concinnâ harmoniâ, nexuque ſiſtendis, is deſudaverit in manifeſtandâ infinitâ Dei Sapientia, & prolixiſſimo, ſibi ubique quoad res & verba cohærenti, ſenſu nexuque aſſerendô ; Nec etiam habeat, quod metuat, ſe ſenſum alienum, à Chriſto non intentum, inferre verbis ejus, quia contrarium patet ex infinitâ Chriſti Sapientiâ, ex tam pulchra & naturali, ſibi ubique tam bellè convenienti rerum omnium, quæ in verbis Domini latere videt, harmoniâ nexuque ; qualis in iis omnibus eſt, quæ hactenùs in Orationem Dominicam meditatus fui. Quibus omnibus perpenſis, concludendum reſtat : eſſe Orationem Dominicam inter reliquas ejus perfectiones ejusdem naturæ, cujus & aliæ preces à Spiritu Sancto dictatæ ſunt in verbo Dei ; exprimunt nempe omnes orantis neceſſitates & deſideria cordis ad Deum

&

& eô ipsô, quid in poſterum futurum ſit, apertè pandunt, adeò ut Spiritus Sanctus, quâ Spiritus precum in cordibus fidelium fuit, interdum futurum revelaverit. Exempla hujus rei tot proſtant in divinis Literis, ut iis omnibus producendis ferè per immenſum eundum eſſet. Legantur omnes ii Pſalmi, in quibus ipſe Chriſtus in paſſionibus ſuis ad Deum orans introducitur. Quid ſibi non inter precandum de futurâ ſuâ exaltatione promittit? vide Pſalmo 22: 23, ad finem. Pſal. 69: 30, ad finem. Quoties ita de ſe, dum precatur, Pſaltes futura prædicit, quoties Eccleſia? Tam convicti hujus rei ſunt, qui Odas illas divinas introſpiciunt, ut probatione non opus ſit, præterquàm quod diffuſioris ſit operæ, quàm patitur mei inſtituti ratio. Quoties Prophetæ? Sic Eſajas Judæorum converſionem prædixit c. 63. & 64. Michas conſervationem Eccleſiæ ſub mediis hoſtibus. c. 7: 14. ejusdem Halcyonia v. 18, 19, 20. Non addo plura exempla, ne de re nota verbi ſcrutatoribus juſtò prolixior ſim.

§. XLVI.

Vel quæsò te, pie Lector! qui fit, quòd Fœdus Gratiæ, ejus Bona, Prærogativæ N. T. triplex Chriſti Munus, & quæ alia notata ſunt in ſuperioribus, haud difficulter in precibus iſtis divinis cerni queant? quî fit, quod tota petitionum ſeries tam aptè quadret cum Eccleſiæ N. T. fatis? Eſtne illud omne in opinione vel cerebro meo tantum? An meditantem iſta penſiculatius, rerum claritas in oculos ferit, vel, eſtne illud omne ex caſu fortuito tantum? Aut hoc ſuſtineas, aut pedibus eas in ſententiam meam, neceſſe eſt. Sed quam difficulter defendi poſſit illa fortuita harmonia Orationis Dominicæ cum Eccleſiæ fatis, exinde cerne: *Fortuitum* vocatur, *eventuum rerumque nexus ignoratus, priusquàm ex experientia pateſceret.* Nobis hominibus fortuita multa cottidiè obſervantur, quia

quia plurimas eventuum συμπλοκας neſcimus, hinc & tibi fortè harmonia illa Orationis Dominicæ cum fatis Eccleſiæ fortuita videtur, ſed verò de Deo longè alia res eſt; Illi fortuitum nihil eſſe poteſt, eò quod omnes rerum exiſtentiæ, ſeries, relationes, eventus &c. liberrimò ſapientiſſimoque ejus decreto vel Voluntati ortum debeant, adeò ut quæ nobis fortuita propter ignorantiam noſtram, ipſi certiſſimè cognita inter reapſe futura ſunt. Cum ergò harmoniam illam, de quâ nunc diſputo, inter fortuita refers, nihil ais, & non niſi fumum objicis, quandoquidem in cogitatione divina fortuitum non detur, nec dari poſſit, ſed omnia quæ futura ſunt, ex Ejus decreto ſunt certiſſimè futura. Denuò igitur ex te quæro, unde eſt clarus ille conſenſus Orationis Dominicæ cum principalioribus Eccleſiæ N. T. fatis? Oratio ipſa tanta quanta eſt, eſt ab ipſo Deo. Concedis, niſi Arianus vel Socinianus ſis, Chriſtumque ψιλον ἀνθρωπον fuiſſe, falsò putes. Ipſa illa Eccleſiæ fata undè ſunt orta, niſi ex liberrimo Dei decreto, ejusque exſecutione providentiâ divinâ? Annuis, niſi Providentiam negas, craſſiſſimumque Stoicorum fatum inducis, cujus non Deus ſit Author, ſed ſubjectus Servus. Unde ergo conſenſus & harmonia inter duo illa, niſi ab utriusque Authore ipſo Deo; aliàs enim inter utrumque eſſet concinnitas & harmonia, de qua Ens omniſcium nunquàm cogitaſſet quod cum ſumma ejus ſapientia contradictionem implicat; vel ſi de pulchro illo conſenſu cogitavit in rebus ipſis, aut opus eſt ex divina intentione illum fundatum eſſe, adeoque Orationem Dominicam etiam reſpicere regimen Chriſti in Eccleſiam in genere, aut nos falli in rebus clariſſimis, etſi Prophetiæ, fata Eccleſiæ, ratio muneris Chriſti mediatorii, ratio officii Diſcipulorum, ipſarumque rerum clariſſimus conſenſus, ut de infinitudine Sapientiæ Chriſti taceam, id volunt & clamant; quod ipſum ſi non foret Pyrrhoniſ-

mum

mum introducere, religionem evertere, & in ſacris omnem evidentiam tollere, quid amplius foret, non video. Denique ſi ea harmonia non eſſet ex intentione divina, ex utriusque mutua collatione exſurgeret aliquid, quod ſapientiam & perfectionem ſpirat, quod Deo dignum eſt, id enim de tam eleganti inter duo illa conſenſu negari nequit, quod tamen ab ipſo Deo, ſolo unicoque fonte omnis perfectionis, profectum non eſſet, quod iterum quia contradictorium eſt, concipi nequit, & in opere ipſo eſſet aliquid perfecti & pulchri, quod operis non habuiſſet in idea ſua Author Deus, quod ſummæ perfectioni divinæ repugnat, nec mente comprehendi poteſt, quia uniuscujusque, quod eſt, rationem ſufficientem dari neceſſe eſt, quæ hîc, præter Deum, alia eſſe nequit. Quocunque ergò me vertam, aliter ex ſuperius obſervatis concludere non poſſum, quàm conſenſum illum inter Orationem Dominicam & Eccleſiæ fata, ab ipſo Deo intentum, ſtabilire ſententiam meam.

§. XLVII.

Ex quò mihi per ætatem licuit & cognitionis profectus, de rebus divinis & explicando Dei verbo ſollicitum eſſe, ipſa idea, quam habeo de Deo, Ente infinitè perfecto, usque & usque dictavit, explicandum eſſe ejus verbum convenienter ſummis ejus perfectionibus, & ſi ad ejus meditationem vel ſcrutinium accedas, in anteceſſum longè auguſtius & præclarius de eo eſſe habendum, quam de ullis aliis vel ſapientiſſimi & doctiſſimi hominis verbis & cogitatis, & eam explicationem divinorum eloquiorum, quæ majorem, ſapientiorem & auguſtiorem ſenſum fundit, præferendam eſſe eâ, quæ Spiritus Sancti mentem in unius vel alterius cogitationis anguſtos cancellos coarctat. Quò plura quis & ponderoſiora & graviora, & ſibi ipſi & integræ Scripturæ & viis Dei omnibus & virtutibus divinis congruentiora, in verbis divinis

ani-

animadvertit & eruit, eô melius explicaſſe divinas literas, mihi cenſetur, & eô magis divina, non humana eſſe verba, verbum, Dei oſtendiſſe mihi creditur: Certè *abbreviatus non eſt Spiritus Domini.* Mich. 2:7. nec etiam per explicationes hominum abbreviandum eſt, latitudo ſapientiæ & decentiæ viarum ejus non eſt ex humana authoritate contrahenda intra limites unius alicujus cogitationis. Sed indagandum eſt illud omne, ad quod digtum intendere ritè inveniri poteſt, eaque juſtis ſuis dimenſionibus, ut ità dicam, ab ipſo Spiritu diſpoſita, relinquenda ſunt, proinde nec ex omnibus omnia fieri, ſcripturamque ceu ceram fingi & refingi, æquum & juſtum eſt, à quo longè abſum. Sed ille ſenſus, ut utramque, Scyllam vel Charybdin, evitem, mihi genuinus Scripturæ eſt, qui, quod ſuperius dixi, cum omnibus attributis divinis, toto Scripturæ Canone, decretis & viis Dei, Chriſti muneribus, dictorum ἀλληλουχία, regula veritatum cœleſtium & ſanctificata, ſub obſequium fidei & ipſius Chriſti miſsâ, ratione convenit. Qualia illa omnia eſſe, quæ protuli, perſuaſum habebit, quisquis rite attenderit. Elucet ita tantô ſplendidius ſumma Divini Servatoris & ſapientia & omniſcientia, elucet infinita ejus ergà ſuos bonitas & gratia, elucet ſumma in hac ejus Oratione decentia divina, quod tam concinne in ea ſubindicentur & requiſita ad precandum neceſſaria, Gratiæ Fœdus, Bona Teſtamentaria, N. T. Privilegia, triplex ejus Munus, viæ Regiminis ejus in unum quemque fidelem in ſpecie, in Eccleſiam in genere; & preces, quas ſuæ ſponſæ præſcripſit, tam affabrè attemperaverit tam momentoſis ejus fatis & neceſſitatibus, quibus colluctandum habet, ad pleniſſimam ejus & glorioſiſſimam usque domiductionem, ut ita oret & petat interim, quicquid ſacer Prophetarum chorus & exſpectandum & petendum prædixit. Quis jure taxaverit ejusmodi explicandi viam, quæ ſic in exponenda omnigena θεοπρέπεια Orationis Dominicæ

cæ deſudat, ut interim nihil eorum, quæ tot viri pii in eam tam pia, tam defæcata & unctionis plena ſcripſerunt, non modo non rejiciat, ſed utrôque brachio arrepta, corditus exoſculata, ſanctequc habita, baſeos locó ponat, quibus iſta ſuperædificentur; Quod ego in iſtâ meâ lucubratione facio, & ab aliis fieri opto.

§. XLVIII.

Interdum fit, ut aliqua ſententia vel opinio accuſetur, jure vel injuriâ, utrumque enim ſæpius factum, vel contra bonos moros, vel doctrinæ puritatem pugnare; quod ne mihi aliquô jure eveniat, ùt meum eſt cavere, ita ne fiat per injuriam, ab æquitate & Chriſtiana moderatione lectorum exſpectandum eſt. Mihi quod prius pertimeſcam, nôn eſt, nihil enim in iſta mea Exercitatione, quod vel fidei puritati, vel, ſi mavis, doctrinæ ſaniori, quam ex Verbo Dei profitemur, obſit, invenies; Iis fulcitur ſententia defenſa ſententiis, quæ à Celeberrimis Theologis publicè & privatim, quâ voce, quâ ſcriptis, defenduntur, & accuratiori tum Scripturam explicandi tum Religionis capita docendi methodo, quam vulgò Coccejanam vocant, conveniunt, & ubique eandem ſpirant. Quod tantum abeſt, ut publicè fateri erubeſcam, ut potius nolim quemquam latere; Etſi cæteroquin nullius in verba juraverim, & ab unoquoque, quibus plura edoceri poſſum, ea omnia gratâ mente accipiam. Moribus autem Chriſtianis vitæque praxi, quam abs nobis requirit Verbum Dei, tantum abeſt ut contrarientur cogitata mea in Orationem Dominicam, ut potiùs eandem præclaram vitæ regulam conſtituant, dum precum requiſita tum intrinſeca, tum ea, quæ fidelem habere ad precandum opus eſt, tum Fœderis Gratiæ bona, ſtipulationes & promiſſiones divinas, tum Bona ea, quæ N. T. Eccleſiæ priva ſunt, inculcet, & in fideli precante

requirat, quibus omnibus vera ſanctificatio, mundi ſuique abnegatio apertè urgentur, in unoquôque eorum qui ſibi aliisque perſuaderi cupiunt, rite Deoque placente modo ſe iſtâ tam divinâ Oratione ad Deum uti, & ab indulgentiſſimo Numine pleniſſime exaudiendos eſſe. Siſtunt adeoque futuræ exauditionis certiſſima & indubitata criteria, ſine quibus quàm miſeræ preces ſint, Jacobus docuit c. 1: 6. Ne tamen labeculam aliquam, quam forte provideo, minus abſterſiſſe videar, occurrendum eſt objectiunculæ, quæ moveri poſſet:

§. XLIX.

Si in Oratione Dominica, inquies forte, etiam reſpiciatur ad Eccleſiæ N. T, fata, quoniam multa eorum reipsâ impleta ſunt, non denuò opus erit, eadem abs Deo petere, eo quòd impleta non poſſint peti, ceu adhuc implenda; totam proinde eam Orationem ad Deum effundere neceſſe non eſt, ſed ea tantum implenda reſtare & petenda, quæ numerantur inter futura. At quàm nullius fundamenti nervique ſit iſtud objectamentum, attendenti ex iſtis facile patebit. Non enim, quod primo obſervandum eſt, in crudam nudamque Prophetiam convertitur Oratio Dominica, ſed potius abſolutiſſimam eſſe precum formulam, multis oſtenſum eſt, quæ de requiſitis precantium & precum ipſarum, quæ de Fœdere Gratiæ, Bonis Teſtamentariis, & prærogativis N. T. in ſuperioribus obſervata ſunt; Ea per totam Orationem diſperſa, unumquemque fidelem in ſpecie tangunt, donec mundus, & in eo fideles & Eccleſia erunt; Semper adeòque unicuique fideli totâ eâ Oratione opus erit, nec igitur tempus eſſe vel fingi poteſt, quô Eccleſiæ militanti opus amplius non ſit petere, quæ in tota illa Oratione continentur. Sed potius, ùt illa tota toti Eccleſiæ in genere, ita non minus integra ea unicuique fideli in ſpecie convenit, ut eorum

eorum omnium, quæ eidem ineſſe oſtenſum eſt, compos fiat. Et, *cum ſub ſole nil novi fiat*, Salomone teſte, Eccl. 1:9, 10. eadem illa Eccleſiæ, quæ unicuique petitioni annexa ſunt fata, non eo ſenſu dicuntur eveniſſe, vel obſervanda venire, ut inde negetur, alio tempore, locis, &c. eadem ipſa contingere; immò verò ea omnia ſæpiſſimè fieri, facillimè conceditur, ſed ita, ut eô tempore, quô notatum eſt, unumquodque fatorum illorum adeò notabili auguſtôque modô factum ſit, ut Characterem illius temporis deſignati præ aliis efficiat, & in divinis prædictionibus eandem ob cauſam quâ tale notatum ſit. Si ex. gr. Sanctificatio Nominis divini omnis omninò eſt temporis & Eccleſiæ & fidelium, eô tamen non obſtante, notanter & κατ' ἐμφασιν fuit illius temporis in primordiis N. T. quod obſervatum eſt §. XXXII. & ita judicandum eſt de cæteris omnibus, nexus mutuus rerum petendarum in Orat. Dom. id attendentem latere haud ſinit. Quod ſi quis ſecum volvat, liquidè videbit, quod ſecundò monendum eſt, etſi unumquodque factum ſuô tempore, & juxta petitionum nexum contigerit, quia tamen pluries eveniet, denuo idem exorandum eſſe, adeoque totam Orationem omnium fidelium, omnis temporis eſſe, ob id ipſum quod adduxi. Quod etiam in cauſa eſt, cur hactenùs Viri Docti, tum in Prophetiis in ſuas periodos digerendis, tum in aſſignandis illarum implementis, toties variaverint, quod Prophetica tractanti vel millenis exemplis conſtat, & hinc etiam inter diverſas & ſibi contrariantes Interpretum opiniones ab incautis multa ponuntur, quæ perſpicaciores, ſibi conſentire & inter ſubordinanda cenſenda eſſe, cum convictione vident. Denique ſit hoc, ùt reverâ eſt, plura jam facta eſſe eorum, ad quæ in Oratione Dominica reſpicitur, ſuperſedendum erit igitur iis petitionibus, de quarum implementis conſtat? tantum id à vero abeſt, ut potius contrarium ſequatur; In perfectis

enim precibus, quod tertiô locô urgeo, ſuas etiam ſedes habere debet intenſiſſimâ gratiarum actio pro præſtitis tot tantisque bonis, tum ergà Eccleſiam in genere, tum quemvis fidelem in ſpecie. Talem gratiarum actionem exulare ex Oratione Dominica, quis credat? Potius apertis indiciis ea ſe prodit. Si ſupponatur, precantem ſcire inter alia, quid in unâquâque petitione lateat boni Eccleſiæ hujus vel illius periodi conferendi, & id ipſum jam collatum eſſe abundanter in comperto habeat, dum nilominus impersonalibus iis phraſibus, quibus ea Oratio concepta eſt, ad Deum utitur, eô ipſô declarant, rectè ſanctèque id factum eſſe, & convenienter cordis ſui deſideriis, adclamare vota ſua & ſuccinere viis Dei & providentiæ, ea ſe gratâ mente cognoſcere, ut ulterius fiant expetere, & ob id ipſum Sanctificationem Nominis Dei, Regni ejus adventum, &c. &c. usque & usque in votis ſuis habere, eaque omnia enixè ſe quærere, quibus haud dubiè Deo acceptiſſima gratitudo exercetur. Apparet, opinor, ex iſtis, quàm nullius momenti leviculaque ſit objectio hactenùs remota.

§. L.

Nil ferè vulgarius eſt, quàm ut rerum Propheticarum explanatoribus vulgo exprobretur, gratis & ſine ulla ſufficienti ratione in publicum protrudi illorum cogitata, nec aliud quid præter ſpeciem ſine ullo fundamento ipſis ineſſe. Ne igitur eadem cantilena mihi occinatur, etſi vaniſſima ſæpius ſit, fuerant mihi cogitata mea etiam rationibus probanda, aliàs enim iis omnibus inde à §. XLI. ſuperſedere potuiſſem. Nunc ſupereſt, quod apprimè Orationis Dominicæ perfectionem commendat, divina illius brevitas, quantumvis enim tot tantaque contineat, verborum tamen perparca brevibus ſententiis abſolvitur. Monuit Regum Sapientiſſimus precantes, ut pauca

ſint

ſint inter orandum verba illorum, Eccl. 5: 2. vitandam omni niſu βαττολογίαν Chriſtus docuit, Matth. 6: 7. Iſtam ſuam regulam perfectiſſime ſecutus eſt Servator Divinus. Omnia, quæ vel Eccleſiam univerſam, vel fidelem in ſpecie, quis & qualiscunque jam ſit non refert, tangunt, quæque prolixiſſimis Commentariis ſingulatim enumerari poſſent, tam paucis verbis concluſa, & concatenata orare docuit, ut nihil inveniri neceſſitatis humanæ poſſit, quin pertineat ad aliquam periocham hujus Orationis. Laconica brevitas Spartanos docuerat, integrum aliquem ſenſum brevi ſententia, vel unico verbo exprimere; at omnem illam, in infinitum excurrentem, Eccleſiæ fideliumque neceſſitatem, verbis tam paucis exhauſtam dare, id enimvero non niſi infinitæ divinæque Sapientiæ eſt. Tanto clariùs illa elucet undiquâque, quo magis Oratio Dominica ſua ſe claritate & ſimplicitate commendat. Infert aliâs brevitas obſcuritatem, ſed verò hîc ſenſibus exercitatis, apertoque fidei oculo, omnia clara, omnia ſponte ſua naturalique ordine fluunt; Omnigena ſe hîc ſpectandam ſiſtit, ſibi undiquaque æqualis, harmonia; Convenit ex amuſſi cum univerſa ſcriptura, Chriſti Muneribus, Teſtamentariis bonis, N. T. Oeconomia, neceſſitatibusque noſtris; Nil ibidem ſuperfluum, nil quod deſiderari poſſit, lacerum & hiulcum nil adeſt; Et Spiritui precum accommodatiſſima eſt ea Oratio. Et quod mireris, ſpirat etiam illius temporis, quo Chriſtus vixit, orandi modum, dudum enim Cl. Viri, Ligtfootus Witſiusque, orbi erudito demonſtrârunt, deſumtas eſſe ejus phraſes ex Magiſtrorum formulis, quibus utebantur precantes; ita nimirum non puduit ſanctiſſimum Servatorem ſua facere, quæ bona & recta habebant Iſraelis Doctores, & ex quibus ſtaminibus divinam & omnibus ſuis numeris ita abſolutam contexeret precum formulam, qualem ars humana nunquam confeciſſet parem vel ſecundam. Qualis ſi fortè non videatur

deatur non nullis, id propriæ mentis vel obtenebratæ vel incuriæ & inexercitatæ, non ipſius Orationis, eſt vitio.

§. LI.

Habes nunc, Lector candide, quæ meditanti de Perfectione Orationis Dominicæ juxta ductum Theologiæ Coccejanæ ſuccurrerunt, cujus faſtidio ſi forte tenearis, poſt tot de iis rebus divulgata ſcripta, tecum altercari nolo; fruaris tuo judicio, dummodo mihi aliisque, qui mecum ſapiunt, idem liceat. Id meum hactenùs fuit, de nullo judicare, priusquàm omnia trutinaverim, tu ſi idem feceris, non admodum te mihi moleſtum fore, autumo. Si lapſus ſim alicubi, quod tamen præcavere annitor, vides humanam ſortem, habes quod effugias, ego verò quod emendem. Si bona tibi videntur quæ attuli, non eſt quod mihi, ſed Deo potius gratias agas, à quo eſt omne verum bonum. Nec etiam mireris, cur nullas Obſervationes Practicas adſperſerim, quivis enim, qui ſal in cerebro habet, illas facili negotiô ex ſuperioribus eliciet. Et quamvis gravem, fraterni amoris ſale perfricatam, disquiſitionem juſto ſuo loco habeam, quia veritatem, quâ nihil eſt pretioſius, juvat, rixari tamen cum quôpiam, eamque temporis jacturam inire nolo; gravioribus rebus illud ſacrum feci, mihique dictum puto, ut ſequar, Paulinum illud, 1. Cor. 11:16. εἰ δε τις δοκει φιλονεικος εἶναι, ἡμεις τοιαυτην συνηθειαν ὐκ ἐχομεν, ὐδε αἱ ἐκκλησιαι τυ Θευ.

TANTUM.

II.

JO. CONRADI WIRZII,

Archidiac. & Canon. Tig.

SOMNIUM

DE

MEDICINA

CORRUPTORUM SÆCULI MORUM. *

EScendo ſuggeſtum iſthoc, non meæ ſpontis impulſu, (experiundo enim indies magis magisque diſco, quam bene vivant, qui bene latent;) ſed ex ſacra lege, & recepto ordine, cujus me commonefecit Venerabilis ſacrorum Antiſtes, cui pertinaci corporis invaletudine conflictanti erectum, & cœleſtia meditantem animum conſervet Optimus Maximus Auxiliator! Prodeo in auguſtum conſpectum veſtrum hoc die, qui abhinc multis ſæculis inter nos dicatus eſt memoriæ eorum, quos principes Chriſtianæ religionis ſemina Tigurinorum arvis intuliſſe, & offuſam oculis ignorantiæ atque ſuperſtitionis caliginem nitida Evangelii luce diſieciſſe credidit antiquitas, Felicis nempe & Regulæ, quibus

Q4 ſive

* Oratio iſthæc ipſis Feriis Felicis & Regulæ, Protomartyrum Tigurinorum, III. Idus Septembr. M DCC XXXVI. fuit recitata.

ſive hiſtoriæ, ſive fabulæ tertium, Exſuperium ſeu Exſuperantium, addidere. Et quidni, miſſis crepundiis, ingentis illius beneficii cogitatio penitus eorum animis inſideat, qui Jeſum unice diligunt, vel, ut ἐμφατικώτερον, unice amant; quorum quarumve tandem cumque opera Deus in hac rerum converſione uſus fuerit? Illi enim ſoli terque quaterque Felices exiſtimandi ſunt, qui vitam moresque ad Regulam doctrinæ Domini noſtri Jeſu Chriſti ſedulo dirigunt & componunt, & cupidiſſime id operam dant, ut, dum anima Exſuperant ſua, virtutes divini magiſtri adumbrent. Tanto magis cordatos quosque, & æternitatis ſtudioſos, omnem curam ac induſtriam ea in re figere & locare neceſſe eſt, quo plures quotidie cernimus, quos veteris Dei in nos beneficii oblivia cepere, quique omnem ejus memoriam abolent & expellunt. Quare ſæpe mihi in mentem venit optare, ut quotannis ſtato die in concione dignis laudibus prædicarentur beata illa tempora, quibus patria noſtra, craſſiſſimis inſcitiæ tenebris diſpulſis, magno ſalutiferæ lucis ſplendore conſucere cœpit. Hunc ad finem ſpectare arbitror orationem, quæ his ipſis diebus, potiſſimum ab Felicis & Regulæ beneficiariis, in publica panegyri recitari conſuevit.

Equidem cum tali functurus officio, cum maxime ad vos venio, vehementer vereor, ut vicem meam expleam. Cum enim mihi occultum non eſt, vos de cathedris iſtis audire ſolitos viros ingenio valentiſſimos, & diuturno uſu exercitatiſſimos, qui nati factique ſunt ad aliorum animos curſu argumentorum, colore ſententiarum, nitore & cultu deſcriptionum invitandos & demulcendos; tum vero novis ſemper & exquiſitis eloquentiæ itineribus opus eſt, per quæ orator faſtidium mollium & delicatarum aurium effugiat. Si porro, principe oratorum definiente, is eſt orator, qui de omni quæſtione pulchre & orna-

ornate, & ad perſuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium poſſit; quid, quæſo, vos intenti exſpectetis ab homine, qui ſeſe ab omni adparatu prorſus deſtitutum lubens fatetur?

Omnibus igitur probe riteque penſitatis, longe aliam ingredi viam, nec oratoris, ſed narratoris perſonam in præſentia ſuſcipere conſtitui; quo, ſi vobis quotidiano, & humi repente dicendi genere uti videor, ipſa argumenti tractati ratio juſtam excuſationem præbeat. Quippe in animum induxi meum vobis plane exponere Somnium; at ſomnium non de hilo, aut titivilitio, ſed de re maximi momenti, ſcilicet de Medicina corruptorum ſæculi noſtri morum.

Non ambigo fore, qui hanc materiam vel potius ejus ediſſertandæ modum levem & non ſatis dignum ſummorum virorum auribus judicent. Sed hos etiam atque etiam rogo, uti ne prius judicent, quam totam rem clare & dilucide perceperint. Nam ex ſacro codice vel pueris conſtat, ante & poſt Chriſtum natum fictas narrationes verſis in orientem provinciis, in primis vero Palæſtinis, docendi cauſſa admodum fuiſſe uſitatas, tamquam imbecillitatis humanæ adminicula, quæ attentionem excitarent, & diſcentes atque audientes in rem præſentem inducerent. Quæ vel oblivio transmittuntur, vel in faſtidio ſunt, vel odium invidiamque movent, cum ſimpliciter & aperte dicuntur, ea ſub talium narrationum involucris leniter in animos influere, nec facile ex iis effluere ſolent. Præterea, ut mea faciam, quæ Phæder, facetus Æſopi imitator, ſcripſit,

Non ſemper ea ſunt, quæ videntur; decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit,
Quod interiore cura condidit angulo.

Quod ſi tamen pro Apologo ἀπολογίαν ποιεῖν cogor, id

 omne,

omne quod dici poſſet, tribus verbis conficiam. Date aliquid, Audit: Honoratiſſimi, communi errori, a quo me haud immunem eſſe puto. Ecquis iſte? Somniamus, donec vivimus.

Pronis nunc auribus accipite, quæ vobis ordine, uti quidque per ſomnum actum eſt, memorabo.

Quod mortalibus ſæpenumero accidere ſolet, ut, quæ vigilantes cogitaverant aut factitarant, noctu dormientibus objiciantur & recurrant, idem nuper in me evenit. Cum enim per diem multa mecum in pectore volviſſem de ægro & affecto ſtatu illorum Chriſtianorum, qui, doctrina purgata, & diſciplina ſacrorum ad typum Apoſtolicum feliciter ſatis inſtaurata, a magno illo Romanenſi cœtu diſceſſionem fecerunt; cum ſerio expendiſſem, non parum eos a prima illa puritate, ſuique ſtatus integritate, quod ad diſciplinam morum attinet, deflexiſſe, & læſa caritate, occaſione diſputationum de dogmatibus religionis ſæpe non neceſſariarum, ab hominibus, ſive petulantis, ſive intemperantis ingenii, in quibus turbulenti carnis motus gratia Jeſu Chriſti nondum erant ſubacti, intempeſtive & immoderate agitatarum, & inopia prudentium, vigilantium, pacificorum, ac rei ſpiritualis gnarorum Chriſti Jeſu miniſtrorum, quorum eſt purum ab impuro accurate diſcernere, & diligenter attendere, ne profani permiſceantur candidis veritatis confeſſoribus, ſciſſos eſſe in partes, & tam ſtudium religionis, quam amorem mutuum in iis refrixiſſe; cum non ſine mœrore animi ante oculos obverſata eſſent plurima vitia & offendicula, quæ purioribus ſacris addicti cum tempore admiſerunt, quibusque tam fœdam contraxerunt labem, ut ſemet ipſos, ſi ſibi non nimis blandiantur, in ſpeculo perfectæ legis Evangelii ſine pudore contemplari non poſſint; cum graviter luxiſſem jacturam caſtæ virginitatis ſponſæ Jeſu Chriſti, propter tot inſanos atque illici-

illicitos amores profecto non dignæ, quæ ſine mundiore & ornatiore cultu integros & puros Sponſi ſui amores demereatur, & ab ipſo inter cœleſtium geniorum plauſus & ovationes introducatur in conclave Patris ſui ad celebranda nuptiarum ſolemnia, noviſſimo tempore exſpectanda; cum magnam diei partem his cogitationibus & ſecretis queſtubus contriviſſem, Deoque enixe ſupplicaſſem, ut triſti Chriſtianorum facie commotus, ipſe labanti religioni, & tantum non exulanti maſculæ pietati ſuppetias ferret: accidit, ut, poſtquam dormitum me contuliſſem, mihi altiore ſomno oppreſſo viderer ſubito delatus in Parnaſium montem, Muſarum ſede celeberrimum.

Ibi magnam hominum multitudinem offendi, qui ex toto terrarum orbe huc advolarunt, & vultu ac ſermonibus ſingularem quamdam exſpectationem oſtenderunt Sciſcitanti, ecquid hæc tanta frequentia, tantique concurſus ſignificent, reſponſum eſt: conveniſſe in Apollinis templo veterum & novarum ſectarum ſophos atque antiſtites, ut conſilium caperent, quo modo quave ratione laboranti ſæculo ſuccurri, & licentiæ hominum, ſanctiſſimas leges non ſolum negligentium, ſed funditus vertentium, obviam iri poſſet. Tum vero incredibili gaudio, & inſolenti voluptate elatus, quod reperti tandem eſſent, qui adflictam & in ſordibus jacentem rem Chriſtianam commiſerarentur, omni expetiveram voto, ut mihi tam venerabili ſapientium concilio intereſſe liceret: neque enim mihi dubium erat, quin ex iis, quæ viſu auditùque comperirem, magnam utilitatem percepturus eſſem.

Ab janitore nullo negotio intromiſſus, vidi magno numero viros gravitatem præ ſe ferentes, barbatos, imberbes, varie amictos, & initium conſultationum acerrime exſpectantes. Quum ipſa futuri exſpectatio ſilentium feciſſet, major natu, ſurgens de

ſede ſua, ſic orſus eſt loqui : O vos ſapientiæ præſtantiſſimi, qui plus animo valetis & videtis, quam mortalium cæteri, non eſtis neſcii, univerſum pene terrarum orbem pervaſiſſe famam, eamque non ἀδέσποτον, ſed conſtantem & certam, de ſæculo hoc religionum fertili, pietatis ſterili, de labefacta divinarum humanarumque legum auctoritate, de bonis maiorum moribus non paulatim, ſed torrentis modo præcipitatis, de malo in dies ingraveſcente. Famæ quidem mos eſt, cuncta in deterius adferre, & veris addere falſa ; ſed hic cauſa nulla eſt, quare quiſpiam talia confingeret & comminiſceretur. Tanti igitur mali rumor omnibus, quibus ſalus publica curæ cordique eſt, Vobis præſertim, quibus gutta melioris ſanguinis ſub læva papilla ſalit, neceſſitatem imponit, omnibus ſtudiis ſuis, omni opera, induſtria, cogitatione, mente denique omni in id incumbendi, ut vis contagioſi morbi coerceatur & repellatur. Quare per immortalem Deum, per omnia ſacra, per ſalutem generis humani, per ſapientiam, qua eſtis præditi, ſingularem vos oro atque obteſtor, ut, quantum ingenio poteſtis, (poteſtis autem plurimum) maſcule & promte huc conferatis, & in commune conſulatis.

Hac animorum excitatione præmiſſa, Chilo Lacedæmonius, ex Græciæ VII viris, cujus tria dicta Delphis in Apollinis templo conſecrata fuiſſe ferunt, audientiam ſibi dari poſtulans : Ego quidem, inquiebat, bene gnarus ſum, rumoribus nec credi, nec ex iis ſtatui oportere ; & temeritatis culpam a ſe amoliri non poſſunt, qui levem auditionem pro re comperta habent. Verum prudenter collega præmonuit, heic nihil ſubeſſe falſi, ſed re vera graviſſime ægrotare ſæculum, & viribus animoque defici. Et ut de natura morbi libere aperiam, quid ſentiam, moriar ni puto, ex pulmonibus laborare, propterea quod tam graveolentem animam reddit, quæ brevi quaquavorſum

ſum ſparſa, in dies plures inficit. Quos oris fœtores ſi quis arte ſua emendaret, totum ſane humanum genus maximo iſthoc beneficio ſibi devinctum redderet. Quid tu cenſes, Galene, medicorum nobiliſſime?

Senex iſte, propter adſidens, ſententiam dicere juſſus, ajebat: Nihil cauſſæ eſt, cur non totus in Chilonis ſententiam concedam: quæcumque enim de valetudine ſæculi ad aures meas pervenere, ſatis ſuperque comprobant, intus latere vim morbi, in quem implicitum eſt, nec varios impetus & recurſus ejus ſuſtinere poterit, niſi celeria proponantur remedia, remedia intelligo non aſpera, ſed lenia: periculum enim eſt, ne homo & ætate confectus, & diuturnitate ægritudinum infirmatus, ſtrenuis aſperisque medicatibus protinus conſumatur. Quare ſi incluto ſenatui complacitum fuerit, in medicinis vel potionem parari, vel pulveres herbarios miſceri jubebo, qui & alvum vacuefaciant, & vomitus creent, (in ſchola noſtra laxantia & emetica vocantur) ut ſordes & inquinamenta longo temporis tractu collecta, ſenſim pedetentimque eluantur & abſtergeantur.

Dum hæc a Galeno in medium proferebantur, quidam, haud procul ſedens, cui cani & rugæ auctoritatem adferre videbantur, non tantum capitis quaſſatione aperte ſignificavit, ſe ab iſto judicio non paullum diſſidere, ſed etiam ſententiam rogatus, ita diſſeruit: Mihi quidem, veneranda capita, quæ mens ſuppetit, eloqui non dubitabo. Cæterum veſtri erit ingenii, veſtræque judicationis, probare, quæ vera, atque utilia factu putetis. Non ignoro, de Galeno optime ſemper exiſtimatum eſſe, & ego quoque virtuti ejus plurimum tribui; ſed hac in cauſſa longe mihi alia mens eſt. Inveteratum ſæculi malum mediocribus remediis ſiſti nequit; fortioribus omnino agendum eſſe cenſeo. Ne corporis quidem morbos veteres & diuiauctos, niſi per dura & aſpera coërceas;

urunt

urunt ſubinde medici, ſecant, & immedicabilia enſe ferroque recidunt. Num vos tanto malo aliis ſubſidiis ſuccurri poſſe arbitramini? Nonne hoc eſt, quod vulgo dicitur, malo arboris nodo malus clavus aut cuneus infigendus eſt? Corrupti ſimul & corruptores, ægri & flagrantes animi, haud levioribus remediis reſtinguendi ſunt, quam libidinibus ardeſcunt. Sic a majoribus inſtitutum eſt, ut, ſi anteiſſent delicta, pœnæ ſequerentur. Recte veteres impunitatem maximam peccandi illecebram dixere; ſi prohibita impune tranſcenderis, neque metus ultra, neque pudor eſt. Quia impune maxima peccata dilabuntur, tam multi in dies alacriores ad maleficia ſunt, & exleges vitam degunt. Ne igitur ſcelerum flagitiorumque licentia, qua omnes deteriores ſumus, quaſi rabies, longius contactu procedat, in parendi neſcios, quales tandem cumque ſint, animadvertatur, & legum publicarum ſubverſores, exempli cauſſa, bonis exuantur, ad operas ignominioſas damnentur, in exſilium ejiciantur, morte multentur, aliisque quæſitis pœnis adficiantur.

His & pluribus aliis in eamdem ſententiam dictis, alius utrum adſentiret, interrogatus: Non eſt inficiandum, inquiebat, medicos graviores morbos aſperis curare remediis; verum plane iſtiusmodi curatio heic mihi non probatur. Equidem leges non tantum ferendæ ſunt, ſed etiam ut valeant, efficiendum; nihil autem valent, niſi pœnæ in reos inrogentur. Sed ſolo pœnarum metu paucos reverentes ſincerosque Dei cultores, plures contra religionis ac pietatis ſimulatores fieri crediderim; quo hominum genere nihil deteſtabilius, nihilque Deo magis inviſum eſſe, ipſi mecum noſtis. Scite & ſapienter cati civitatium rectores jam pridem monuerunt, prudentiæ eſſe, parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare; & delicta neque obſervare omnia, neque pro modo exſequi; multumque corrigere & emendare

eos, qui non pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contenti ſunt. Et ſi quis uſtiones, ſectiones, aliave graviora recenſita ſupplicia in illos quoque conſtituenda eſſe ſciſcat, qui in religionis cauſſa a cæteris diſcrepant, a mitiſſimi Jeſu præceptionibus manifeſte aberrat; quippe qui homines ad bene ſentiendum, recteque vivendum non vi cogi, ſed ſuaſu perduci voluit. Violenta quæque, quæ hominum conſcientiis, ſolius ſupremi rerum omnium Moderatoris dominatui ſubjectis, vim adferunt, non ex Chriſti ſchola hauſta, ſed in cacodæmonis officina inventa & cuſa eſſe, fidenter adſeveraverim; & omnes tyrannidis illius miniſtros atque ſatellites dignos judico, qui in ultimam Thulen relegentur. Si hiſtoriarum rudibus loquerer, vaſtiſſima regna & ampliſſimas civitates teſtes citarem, quæ peſtifera hac potione ſumta, penitus everſa & exſtincta fuerunt. O quot centena millia eorum, qui Bohemiam, Moraviam, Auſtriam, Carinthiam, Stiriam, Hungariam, Galliam, & Italiam ſubalpinam incolebant, potio iſthæc ſuperiore ſæculo miſerabiliter exagitavit & enecavit, qui in cœlo paratum habent mortis & interitionis ſuæ ultorem! Nemini veſtrum latet, ſæpe numero accidere, ut graviſſime ægrotantium mors celeretur, cum exiguæ eorum vires, quæ ex ægrotatione reſtant, duriore remedio tentantur; perinde exitiale futurum perſuaſiſſimus ſum, ſi debilitato ſæculo aſperum quid pararetur. Deliberandum itaque eſt, annon imbecillitati illius alia, & quidem ſaniora ac tutiora reperiri poſſint auxilia; in quibus (ut clarius, quis meus ſit ſenſus, intelligatis) eminere mihi videntur, quæ intra animum medentur; qualia ſunt, Chriſtianos crebertime & graviter hortari, ut meminerint, eſſe profecto Deum, cujus omnia plena, qui totum hoc univerſum ſapientiſſime moderetur & gubernet, a cujus nutu & providentia cuncta pendeant, qui quæcumque mortales agunt & agitant, penitus perſpecta & explorata ha-

habeat, qui ſe non patiatur deludi, qui in ſceleratos vindicaturus, bonos vero, & virtutis ac honeſtatis ſtudioſos æterna felicitate mactaturus ſit; ut in pectus ſuum demittant, a quanta caligine ad quam nitidam lucem, a quanta miſeria ad quem felicitatis gradum, a quanta deſperatione ad quam præclaras ſpes, per doctrinam Jeſu Chriſti vocentur; ut animum & cogitationem ſuam numquam avocent a contemplatione ſummi & incredibilis amoris, quo eos miſericors Deus complexus ſit in cariſſimo Filio ſuo, quem de cœlo miſit, ut peſſimi ſpiritus imperium & technas everteret, & perditis præſentiſſimam ſalutem compararet; ut penitus animo figant, dum dormiunt, dum ſomniant, dum ludunt & luduntur, dum nihil aut male agunt, abire tempus, inopinantibus mortis horam ſupervenire, poſt abitum ex hac vita ſupereſſe immortalem animam, ut, ſi corpori juncta perperam egerit, æternas pœnas luat, ſi recte fecerit, egregium virtutis pretium a benigniſſimo Numine capiat.

Hunc, poſteaquam eloquutus eſſet, excipiebant quidem plures alii, ſuper hac re ſententiam dicturi; Sed quia quæ ex eorum ore audivi, nihil continebant, quæ a jam narratis diſſiderent, argumentum orationum recenſere ſuperſedeo, ne vobis, Auditores, tædioſa repetitione moleſtus ſim. Intererat conſilio vir, cæteris minor natu viſus, qui ſtans hoc modo fatus erat: Date, quæſo, veniam deliberationes veſtras paulliſper interpellanti. Si quid video, nihil hic conſtitui poteſt, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem; nec ego tantum mihi tribuo, ut credam, me quidquam invenire poſſe, quod lynceos oculos veſtros fugiat. Quapropter lubens tacebo, hoc unum ſi pace veſtra dixero, id me præter alia mira mirari maxume, neminem veſtrum in eam cogitationem incidiſſe, ut morbidum ſæculum, de quo tota iſthæc conſultatio inſtituta eſt, ſenatui ſiſtendum,

&

& totius corporis conditionem a capite ad calcem his contuendum eſſe oculis diceret. Nam quemadmodum medici non tantum de morbis, eorumque cauſſis & acceſſionibus docte & ex arte diſſerere, ſed etiam ad ægrotos viſere, venas tangere, & varia de morbi natura, origine atque effectis, ex ipſis percontari ſolent, ut, quibus potiſſimum medicamentis, quave illorum portione utendum ſit, eo melius intelligant: ita quæ de medicina ſæculi adhuc in utramque partem diſputata fuere, perparum utilitatis habitura eſſe opinor, niſi ipſum advocetur ſæculum, & valetudo ejus curatius inſpiciatur. Prædem me accipite, hoc demum facto felicius omnia proceſſura.

Cum nemo eſſet, cui iſtud conſilium non prorſus valde placeret, omnibus ſententiis decretum fuit, ut ægrum ſæculum continuo adduceretur. Quod vero propter ætatem pedibus minus valebat, a quatuor anni tempeſtatibus lectica ferebatur. Intromiſſum, quantum viſu percipere licuit, ſpeciem præbuit grandævi hominis, ſed tam confirmato vigentique corpore, ut adhuc per aliquot ſæcula vitam conſervaturus videretur. Nec quidquam fuit, ex quo debilitas aliqua colligi potuiſſet, niſi quod, exili & admodum rauca atque impedita voce, multum querebatur ſpirandi difficultatem. Viri ſapientes, habitu ejus, nequaquam rerum famæ pari, oculis diu perluſtrato, incerti dubiique quæſiverunt ex eo, ecquænam ſit corporis affectio, aut animi ægritudo, cum præclara facies maximum vigorem, nullasque dolorum intus latentium notas oſtendat; recordari ſe, ante centum annos colorem ei ſubfuſcum & exſanguem fuiſſe, haud ſecus ac ſi morbo regio laboraret, quem Hippocratis filii icterum vocitant; nunc vero vultum ipſius circumſpectantibus bona ſatis & commoda valetudine uti videri.

Tum vero decrepitus ſenex, quaſſa voce ſubdeficiens, vix proximis exaudientibus, dixerat: Viri conſilio & virtute ſpectabiles, ut primum in lucem editus fueram, ſtatim exitiabilis morbus me corripuerat, quo adhuc miſerabiliter diſcrucior; & valetudinibus feſſus, totiusque corporis doloribus preſſus, ægre ſpiritum duco. Nolite vobis imponi externa ſpecie; frons ſæpe mentitur. Conſpicamini me optima ac ſplendida veſte contectum; ita me comunt quotidie exornantque utriusque ſexus homines, ne introrſum turpia oculos ſubeant. Miramini oris gratiam & decorem; at credite mihi, color tantum eſt, color, inquam, non nativus, ſed adſcitus, non ſanguine diffuſus, ſed venuſtatis fuco illitus, quem magno & ærumnabili labore ſingulis pene diebus inducere ſolent, ut corporis vitia occultentur. Num vero factitia iſthæc & mentita diuturna eſſe putatis? Caduca ſunt, & brevi peritura; quin etiam varia: pro flexili enim & in horas mutabili hominum voluntate nunc hac, nunc alia forma induor, & omnis conditio mea lunæ conſimilis eſt, quæ primum obſcure prodit, deinde fulgore & claritudine impletur, & quum orbem implevit, rurſus deficit & ad nihilum redit, cum maxime nitet, luce lucens aliena. Pertinaciſſimum morbum meum recte comparaverim reciproco mari, quod eundem ſemper aquarum modum freto ſuo complectitur, etiamſi ſtata vice æſtus multum accedant & recedant: nam immenſum malorum mare eſt, quibus undique incluſus & immerſus ſum. Et cum mutatio aliqua formæ oculis veſtris ſubjicitur, ne exiſtimetis me hoc melius memet habere. Cum rubent genæ, vis morbi interiores corporis partes tanto vehementius dilacerat, ut acutiſſimis doloribus inteſtinis tantum non ſuccumbam. Cum vigor, qui conſtat ex ſpiritu, vultum deſtituit, & pallor in ore oſtentui eſt, multum caloris vitalis egeſtum, intus meliuſcule mihi eſt. Ut vero liquidius de deterrimo ſtatu

tu

tu meo judicare poſſitis; detrahite mihi egregia hæc veſtimenta, quibus me effœminati & mollitiæ dediti quotannis aliter atque aliter amiciunt: Sane fatebimini omnes, me tetro & cadaveroſo corpori, quam homini vivo, ſimiliorem eſſe.

His auditis, medici arte inſignes confeſtim accedebant, propius ægrotum contuituri, & veſte exutum contrectaturi. Heic vero quam fœda & miſerabilis facies in oculos incurrebat! corpus ulceribus intumeſcens, putribus fiſtulis turpatum, mala ſcabie paſſim ad duorum ferme digitorum craſſitudinem exeſum, & macie pellucidum. Quin accuratior perluſtratio & contrectatio oſtendebat, contagium morbi ipſa etiam oſſa attigiſſe. Ex quo facilis conjectura erat, Coloſſeæ magnitudinis hominem continuis febrium fervoribus usque adeo exaruiſſe, ut vix tantillum vivæ carnis ſuperſit. Et cum caput ejus adaperire vellent, lentæ ſaniei copia impediebantur. Quæ a me adverſa efficiebant, ut ſic mecum cogitarem: Profecto triſte hoc & plorabile ſpectaculum, quod non auditu cognoſcendum, ſed his oculis meis ſpectandum habeo, id ipſum eſt, quod olim deſcripſit divinus vates Eſajas, in principio oraculorum ſuorum calamitoſum populi alicujus ſtatum comparans cum homine peſſime adfecto, & ex plagis ac vulneribus illi inflictis graviſſime laborante; caput ægro; cor languido; membra contuſo, & diffluente pure; in quo proinde nihil integrum a planta pedis usque ad caput. Quibus quum addit, vibices & ſanioſas plagas non expreſſas, neque obligatas, nec oleo delinitas eſſe, quid, quæſo, aliud docere voluit, quam vulnera ejusmodi eſſe, ut non facile medicinam admittant & curationem, ſed in longum hanc miſeriam protractura ſint, remediis, quæ illis ſanandis faciunt, nondum allatis? Interea medicos, hoc lamentabili objectu viſo, tantus pervaſerat terror, oris confuſione prodi-

 tus,

tus, ut hominem, veſte rurſus injecta, extemplo e conſpectu abire juberent.

Quo facto, cum magna animos Philoſophorum & Medicorum deſperatio inceſſiſſet, & attonitis ſimiles, incerti conſilii animique pendentes aliquamdiu ſedissent, ſurrexit quidam, qui, ut perculſos erigeret, fandi copiam nactus, ita diſſeruit: Niſi me omnia fallunt, o Vos qui flos humani generis appellari meretis, in tanta conſiliorum inopia id unum reſtat, ut in conſultationem veniat, utrum talis debilitas humana ope ſuperabilis ſit. Ad me quod attinet, ut ne quid diſſimulem, ſi vos, ſi cæteri, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan, omnem ingenii aciem, omneſque induſtriæ & ſapientiæ nervos in eo contenderent, ut adflictam & prope exſtinctam ſæculi valetudinem adjuvarent, non dubito, quin fruſtra operam conſumturi, & laborem ſuum profuſuri ac perdituri ſint. Natura enim mortalium hoc quoque nomine prava & ſiniſtra dici poteſt, quod in ſuo quisque negotio hebetior eſt, quam in alieno. Turbida ſunt conſilia eorum, qui ſibi ſuadent; obſtat metus, aliis cupiditas, nonnumquam naturalis eorum, quæ cogitaveris, amor; & unusquisque, quod ipſe repererit, aut ſolum aut optimum ducit. Quæ quin præcipua diſſidiorum & obtrectationum cauſſa, atque in orcum ejicienda terrarum mariſque vaſtatrix ſit, nemo callidus rerum æſtimator iverit inficias. Nam dum pro ſua quisque ſententia, tamquam pro aris & focis, pugnat, & omnibus viribus annititur, ut quam plurimos adſenſores nanciſcatur, res publicas peſſum ire neceſſe eſt; quæ tum maximo malo ſuo, velut ex ruinis, fateri coguntur, quod proverbii loco dicitur: medicorum turba me perdidit. Accedit, in hac ſeneſcentis mundi ætate eo mali ventum eſſe, ut res maximi momenti ſegniter & ſomniculoſe agantur, & rari ſint, qui, quibus modis communem ſalutem adſequan-

quantur, penſi habent. Quare omnibus ſeria æſtimatione penſatis, hæc mea ſententia eſt, ut in maximis his difficultatibus ad omnipotentis Dei opem & miſericordiam confugiendum eſſe putem. Quamquam enim non ex eorum numero ſim, qui fatum Stoicorum fatuum agnoſcunt, & cuncta, quæ in terris fiunt, ex æterno quodam & indiſſolubili nexu, quem hodie Harmoniam Præſtabilitam vocare amant, derivant; pro vero tamen mihi conſtat, nihil rerum humanarum ſine ſapientiſſimo, juſtiſſimo & clementiſſimo optimi Dei Numine agi, neque bonum, neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi, ſed diverſa præmia bonos malosque ſequi. Huic optimo Deo ſi miſeri mortales non tantum ſtato anni die, in quem ſupplicatio indicta eſt, ſed ſæpe ad pedes ſupplices jacerent, veniamque delictorum demiſſis & male factorum pœnitentibus animis ſupplices poſcerent, non ſperare ſolum, ſed etiam confidere liceret, eum pro mirabili in fractos & adflictos lenitate ac miſericordia gratiam affatim commodaturum eſſe, ut cuncta in melius irent. Quo ſane quam facit aureum Senecæ in epiſtolis dictum: Initium eſt ſalutis, notitia peccati. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Ideo quantum potes, te ipſum coargue, inquire in te, accuſatoris primum partibus fungere, deinde judicis, noviſſime deprecatoris.

Id argumenti pluribus verbis ab illo diſputatum fuiſſet; ſed curſum orationis ſubito ſiſtebant, qui ſacrarii fores vaſto impetu feriebant. Quærentibus, quidnam moleſta hæc interpellatio ſibi vellet, qui ab janua erat reſpondit, adcucurriſſe plures, qui nuntiarent, animam agere ſæculum, & in ſe tumeſcentibus paullatim faucibus, & impedito meatu, vix ſpiritum trahere; maximopere itaque omnibus precibus petere, ut cœpta urgeantur, & quidquid opis reliquum ſit, feſtinetur; neque enim conſultandi & diſ-

putandi, ſed agendi nunc tempus eſſe, & pro magnitudine rei non lenta, ſed celeria remedia adhibenda, ne propera morte artes medicorum eludantur.

In his anguſtiis cum quid potiſſimum conſilii ex tempore caperent, aut ad quam ancoram confugerent, non haberent, quidam ſublata manu dicendi veniam popoſcit, &, cum facile impetraſſet, hunc ſermonem habuit: Patres conſcripti, etiam atque etiam omni contentione a vobis quæſo & peto, ut multiplicem, qui vos circumſtare videtur, metum deponatis, & anxiarum curarum, quibus parum proficitur, nec opus eſt, tandem deſinatis. Mihi quidem certum & exploratum eſt, rem communem non ita dilapſam debilitatamque eſſe, ut niſi qui Deus, vel caſus aliquis ſubvenerit, ſæculum ſalvum eſſe nequeat. Viros fortes & ſapientes fama terreri non addecet. Rumoribus atque auditionibus permoti de ſummis ſæpe rebus conſilia ineunt, quorum eos e veſtigio pœnitere neceſſe eſt, quum incertis rumoribus ſerviant. Atrato choro pridem in more poſitum eſt, ut in concionibus ſæculi labes turpesque maculas retegant, & fœdam ac luctuoſam temporum, in quæ incidimus, formam copioſe depingant; id quod non prorſus improbem, ubi eorum dicta eo intendere video, ut homines vel officio contineantur, vel a vitiorum deviis ad regiam virtutum viam traducantur. Sed quin interdum nimis vehementes ſint, & lamentis neque modum neque terminum conſtituant, mihi dubium non eſt. Ite mecum in anteriorum temporum hiſtorias, volvite & revolvite veterum, illorum præſertim, qui morum magiſtri eſſe voluerunt, monumenta; paſſim ad noſtram usque memoriam miſerrimas reperietis querelas de ulceroſo rerum humanarum ſtatu, de exſolutis legum nexibus, de effrena plerorumque licentia, de luxu, de immoderatis habendi dominandive cupiditatibus, de projectis ad quasvis

vis libidines animis, de aliis morum bonæque diſciplinæ depravationibus & corruptelis, quæ adeo in pejus augeſcant, ut nemini non apertum ſit, ſupremis appropinquatum eſſe, & depoſitas res communes vix ab interitu retrahi poſſe. Sed legetis etiam, ſi quid in moribus labavit, non defuiſſe corrigendi caſtigandique auctores. Non diffiteor, ætatem noſtram in ea incidiſſe tempora, ut quum maxime florere bonos oporteret, tum vivere etiam puderet; ſed an prudentiæ ſit, aſperare & exaggerare crimina, jure meritiſſimo ambigitur. Vitia erunt, donec homines; mortalium namque natura ita comparata eſt, ut magis in ea propendeat, quæ voluptate & jucunditate ſua alliciunt, quam in ea, quæ ſolida & duratura utilitate ſeſe commendant. Luctandum nobis nunc eſt cum perditorum temporum propagatione & prolatione: idem eveniet poſt futuris. Cavendum quidem omnino eſt, ne valeſcant vitia; ſed cum prævalidis & adultis nos impares eſſe videmus, omittere ea præſtat, quam fruſtra conando hoc adſequi, ut palam fiat, quam inopes conſilii ſimus. In magnis miſeriis, ubi ex præſenti potiorique ſpe deturbati jacemus, longinquam ſaltem & ſeram ſequamur oportet. Recte quidem faciunt, qui, quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre ſtudent: neque temporis medicinam exſpectant, quam repræſentare ratione poſſunt. Verum enim vero ſi contra temporum difficultates conſilio ſatis provideri nequit, hoc ſolatio, tanquam præſentium malorum levamento, utendum eſt, ut cogitemus, diem eſſe medicinam temporis, & ſtultis quoque mederi ſolere. Quid, quod ipſa utriusque fœderis inſtrumenta ſacra graviſſima vitia, quibus ſe populus Chriſto initiatus temporis proceſſu magis magisque inquinaturus & deformaturus ſit, non celent, ſed in lucem protrahant? Immo ſupremus magiſter Jeſus perfectam infelicis lolii & ſterilium avenarum, ſpinarum item & ſentium, evulſionem in finem ſæcu-

R 4 lorum

lorum omnium rejecit. Quemadmodum igitur qui ante nos mortalibus rebus interfuere, de emendando, & a fæcibus purgando ſæculo tantum curæ adhibuerunt, quoad per temporum injuriam hominumque pertinaciam licuit: ita & nos ad illorum exemplum decernamus ac moliamur, quod fieri potis eſt. Dicatis, quamnam ergo tu viam novam ingrediendam ſuades, qua nos ex tam impedito & ſpinoſo negotio expedire poſſimus? Ego vero inquio: non omnia ad amuſſim rugoſæ frontis ſunt exigenda & examinanda; nocet antiquus rigor & nimia ſeveritas, cui jam pares non ſumus. Indulgendum aliquid ætatis noſtræ hominibus, qui in quotidiano ferme luctu ac ſqualore vitam ducunt, ut ſexcentas, quibus circumſepti ſunt, ærumnas propter umbram & vocabula libertatis tanto facilius tolerent. Ne tamen nihil egiſſe videamur, ſimulque exiſtimationis & dignitatis tuendæ cauſſa, agedum, priſcarum legum voluntatem enodemus, & præter jam latas conſcribamus novas aliquot, quibus ſe populus teneat, ut cunctis innoteſcat, nobis incolumitatem publicam magna cura haberi.

Incredibile dictu eſt, quanta animorum conſenſione hæc vox excepta fuerit; nam & longioris moræ erant impatientes, & in ſinu gaudebant, quod via ſibi commonſtrata eſſet, qua ſe ex tam difficili cauſſa extricarent. Poſtquam igitur brevi inter patres de nonnullis, quæ populo imponerent, conveniſſet, componendis illorum actis delecto imperatum fuit, ut, quæ decreta eſſent, diligenter litteris mandaret, ut prius quam Senatus mitteretur, publice recitarentur; additum etiam conſultis, ut novæ leges æneis tabulis inciſæ, quo teſtatior eſſet memoria, celebrioribus terrarum locis adfigerentur. Nimis longum foret recenſere argumentum prologi, quo exquiſitis verbis in cœlum ferebatur maxima ſollicitudo cura-

curaque, quam indefeſſi ſuſtinuerint patres, ne defecti viribus ſæculi valetudo graveſceret. Accipite tantum auribus leges, quarum hæc ſententia fuit:

I. QUI. IN. POPINIS. ET. COMISSATIONIBUS. LIBERIUS. DE. DEO. REBUSQUE. DIVINIS. LOQUUNTUR. A. SACRIS. ARCENTOR.

II. QUI. IN. RE. NAUCI. AUT. TURPI. DEUM. TESTEM. ADVOCAVERIT. IRREVERENTIAE. ADVERSUS. SUPREMUM. NUMEN. POENAS. LUITO.

III. QUI. PERIURIO. NOMEN. DEI. VIOLAVERIT. CENTUM. AUREOS. PENDITO.

IV. QUI. NOCTU. SICIS. GLADIISVE. CINCTI. PER. PLATEAS. CURSITANT. TAMQUAM. TURBATORES. QUIETIS. IN. VINCULA. DETRUDUNTOR.

V. QUI. ANNONAM. INCENDIT. ET. EXCANDEFACIT. PECUNIA. MULTATOR.

VI. QUI. PECUNIAS. PUBLICAS. ADULTERINIS. ARTIFICIIS. IMITATUR. PATIBULO. EMINENS. SUFFIGATUR.

VII. QUI. AES. ALIENUM. CONTRACTUM. DISSOLVERE. NON. POSSUNT. HONORIBUS. PUBLICIS. HONORUMQUE. VOCABULIS. INDIGNI. IUDICENTUR.

VIII. QUI. USURAS. MULTIPLICAVERINT. ILLIBERALIS. ET SORDIDI. QUAESTUS. IACTURA. PUNIUNTOR.

IX. SI. QUIS. PECUNIAS. LEVIORIBUS. USURIS. MUTUAVERIT. SORS. TOTA. CONFISCABITUR.

X. QUAE. PUDICITIAM. IN. PROPATULO. HABENT. ET. MERETRICIO. QUAESTU. VIC-

TUM. QUAERITANT. SACRAE. ET. INTESTABILES. SUNTO.

XI. QUI. REM. FAMILIAREM. NEGLEXERINT. ET. PATRIMONIUM. SUUM. DECOXERINT. IGNOMINIA. PUBLICA. NOTANTOR.

XII. QUI. OLERA. ET. OPSONIA. CARIUS. VENDIDERINT. QUAM. LEGIBUS. AESTIMATA. SUNT. ET. ALIARUM. ETIAM. MINUTISSIMARUM. RERUM. AD. VITAM. QUOTIDIANAM. HOMINI. NECESSARIARUM. PRETIA. EXTENDERINT. PRO. MODO. PLECTUNTOR.

His XII. tabularum legibus lectis, cognitum eſt, unius ſæpe ſapientiam pluris valere, quam totam civitatem: nam ab hac legum conſtitutione poſtea omnem divini humanique juris ſanctionem manaturam crederes. Favebant ſibi patres, tamquam præclare de re publica meriti, & vultu lætitiam oſtendente diſceſſum parabant, Mihi vero æde exeunti in mentem veniebat Aeſopici illius:

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima exſpectatio.
At ille murem peperit.

Vix centum paſſibus a templo aberam, cum omnis multitudo acta feſtis vocibus exciperet, & clariſſimum plauſum daret. Audiebam etiam tubarum concentum, dulceſque diverſarum vocum modulationes, quæ nemora circumjectaſque valles impleverant.

Hoc ingenti ſonitu e ſomno excitus, paullatim ad memet redii, & nocturnæ quietis imagine admodum turbatus, animum ad varias cogitationes verſavi; ſed confuſe prorſus atque promiſcue, ita ut fieri ſolet, ubi altus corporis ſopor nondum diſcuſſus eſt. Nunc dolebam mecum, natura infirmitatis hu-

ma-

manæ tardiora eſſe remedia quam mala ; nunc flebam mortalium vicem, qui de bonæ mentis ſede adeo ſunt deturbati, ut immenſis curis & ægritudinibus dilacerari & vexari malint, quam emergere ſe ex malis, & ad bonam frugem recipere ; nunc altius animum penetrabat, eos quorum intereſt, non ſalutis ſæculi, quemadmodum medici, ſed coloris ſolum, ut aliptæ, rationem habere ; nunc lugebam invalidum legum auxilium, quæ aranearum telis adſimiles ſunt, in quas ſi animal levius aut imbecillum incurrat, hæret, ſin majus aliquod, perrumpit ; nunc pudebat temporum virtuti, qua nihil profecto formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius eſt, adeo ſævorum & infeſtorum, ut plerique omnes verum decus non in bene & rationaliter vivendi ſtudio, ſed in divitiis, in luxu, in ambitu & prenſationibus, in perpotandi pervigilandique inſana lubidine, poſitum exiſtiment ; nunc pigebat diſtædebatque, bonum publicum privata gratia, ac privatis ſimultatibus impediri & devinci, & dum ſeparatim ſibi quisque conſilium capit, ſuique commodi rationem ducit, publica conſilia corrumpi, & communia commoda in minimis poni ; nunc illud me mordebat, viros ingenio animique dotibus præſtantes cæteris, cum primum in nodum difficilem inciderunt, præmatura rerum deſperatione, vel ut ſuis neceſſitatibus inſerviant, protinus languefcere, & remiſſius agere : quo fit, ut bene cœpta non profligentur, nedum perficiantur, ſed rudia & imperfecta relinquantur ; nunc alia ex aliis intra me ipſum volvebam, donec lux matutina appeteret.

Sed quia non oratoris, multo minus judicis, verum narratoris tantum perſonam ago, heic finem narrandi facio. Neque mei judicii, neque mearum eſt virium, de re tam magna quidquam ſtatuere & pronunciare. Ad veſtrum potius, Auditores, arbitrium

trium omnia lubentiſſime defero. Ad veſtrum, inquam, quibus Superi intelligentem divini humanique juris mentem, & perſpicacem prudentiam dederunt. Ad veſtrum, qui dies noctesque in eam curam incumbitis, ut ne quid res publica detrimenti capiat, & patria fœdata perditis moribus, in veterem dignitatem vindicetur. Ad veſtrum, qui pro ſalute communi excubando vigilandoque quotidie experimini, multos ingentes labores ſummo imperio ineſſe, & magnitudinem animi in addendo, non in demendo rei publicæ oſtenditis. Ad veſtrum, qui omnem diligentiam & induſtriam eo confertis, ut Chriſtiani cœtus ab improborum colluvione ac fæce purgentur, & ad ſanctiſſimarum Jeſu Chriſti præceptionum normam componantur. Ad veſtrum, qui in conventibus ſacris omnem orationum rationem in id intenditis, ut homines, veritate & præſtantia Chriſtianæ religionis agnita; ſapienter cogitandi, caſte loquendi, recte faciendi, beneque moriendi artem ex limpidiſſimis Sacri Codicis laticibus combibant, & ad antiquam ſanctimoniam revertant. Ad veſtrum, qui teneros puerorum juvenumque animos formatis, optimisque litteris imbuitis, & operi inſtantes idemtidem animadvertitis, ut gypſum, aut argilla, dum eſt uda, in quamvis imaginem facile ſequitur fingentis manum: ita rudes juventutis animos facile in quamcumque, facilius autem in deteriorem partem flecti; & quemadmodum ſulphur ſubito ignem concipit: ita juventutem facile ad omnis generis crimina perpetranda inflammari. Ad veſtrum etiam, quibus genua virent, genæque rident, quorumque in vultu purpura rubet, ut, ſi pueritiæ tempus incurioſe abiit, nunc lubricum juventæ caveatis, & adoleſcentiam non petulanter, non irreverenter & temere, ſed religioſe erga Deum, ſed pie erga parentes & neceſſarios, ac omnes eos, a quibus eſtis ornati beneficiis, ſed moderate & caute tranſigatis, &, ut ſummatim dicam,

juve-

juvenes pulcherrimam illam rem diſcatis : animos cœlo ante inferre, quam inferatis animas.

Ad te tandem, ter optime Deus, orator venio, ſine, exorator ſim. Tu noſti, quibus, quamque gravibus & mortiferis vulneribus Chriſtiana civitas deformata ſit. Sine te, quæcumque homines de ſanandis illis conſilia ineunt, quæcumque medicamina adhibent, nihil ſunt, & irrita cadunt. Tu ſi ſubveneris, & jacenti rei communi medicinam feceris, tu ſi vibices & vulnera obligaveris, obducta quantocyus cicatrice coaleſcent & oblitterabuntur, ſanique ac ſalvi erimus omnes. Tu igitur miſerere eorum, qui te non eſſe vel credunt, vel cupiunt, ut hoc ſaltem ſecreta æſtimatione penſent, utrum tutius, & præſtabilius, & cum ſenſu communi magis conſentaneum ſit, an ita vivere, tamquam ſi Numen aliquod eſſet, quod res humanas inſpiciat, & ſapienter juſteque regat; an vero ſine Numinis ſenſu ita ætatem agere, ut ſi ipſi terreſtres dii forent, quibus quidquid libet, licet. Tu quæſo miſerere eorum, qui crebro quidem Deum aliquem loquuntur, ſeque religionibus teneri videri volunt, ſed religionibus, quæ, quod privata lubidine ficta, ſineque Chriſto ſunt, nihili ſunt; ut cum animo ſuo reputent, quam ſtolidum ſit & veſanum, immortalis Dei Numen frigido & jejuno commentitio cultu placare velle. Miſerere, benigniſſime Deus, eorum, quibus Jeſus Chriſtus, Solymis de cruce pendulus, pridem ſordet, quibus doctrina ejus, ex tuo ſinu depromta, contemtui eſt, quique leges, quas ipſe ſectatoribus ſuis præſcripſit, viliſſimas habent; ut ope tua inſanarum cupiditatum vinculis exſoluti, reſipiſcant, & (niſi omnia, quæ de Chriſto memoriæ prodita ſunt, fabuloſa eſſe putent) ſerio ſecum ipſi perpendant, quam moleſtum ipſis futurum ſit, calces adverſus ſtimulum jactare, & quam miſerabiliter res ipſorum caſuræ ſint, cum Jeſus Chri-

Chriſtus, is ſcilicet Chriſtus, cui non tantam, quantam Judæi Moyſi, quantam Turcæ Mohamedi, quantam Sinenſes Confucio, auctoritatem tribuunt, tot injurias ſibi ab iſthoc hominum genere illatas ultum advenerit. Miſerere eorum, qui futurorum ſecuri, ad ea ſolum quæ ante oculos poſita ſunt, animum attendunt, & multifariis curis huc illuc trahuntur, donec ultima ex improviſo ſuperveniant; ut depulſa ſocordia, injuncta Chriſtianis officia impigre obeant, & magna contentione animi in hoc laborent, ut beatam illam æternitatem conſequantur. Frenis compeſce indomitos hominum mores, & evagantes Chriſtianorum animos in ordinem cœleſti vocationi congruentem redige; ut inclinato impietatis regno, Filius tuus magis magisque toto terrarum orbe vincat, triumphet, imperet. Fac, Clementiſſime Pater, ut citato gradu adproperent præclara illa tempora, quibus jacens pietas caput tollat, & caſta adverſus diviniſſimas leges tuas reverentia vigeat. O felicem diem, cum omnes, quotquot eximia Deum religione, dum viverent, coluerunt, ad illud divinum animorum concilium cœtumque, duce Jeſu, proficiſcentur, quibus unica hæc, & nullo ſæculorum curſu terminanda lex propoſita eſt, ut toti in cœleſtes amores deliciasque immerſi, æterna gaudia agitent! Dixi.

* * * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * *

III.

III.

בש"ש

JOH. CASPARI HULDRICI,

Utikon: Paſt:

OBSERVATIO PHILOLOGICA,

De

Sancto canibus non projiciendo.

ad

MATTH. VII: 6.

Optime Celeb. LIGHTFOOTUS ad Concionem D. Salvatoris in monte habitam obſervat: *Ad explicationem hujus divinæ Concionis multiplex & accurata Judaicarum Antiquitatum cognitio requiritur: Chriſtus enim in unaquaque fere linea linguam, dogmata, mores, traditiones & ſententiam Judæorum reſpicit.* Harmon. Nov. Teſt. p. m. 21. Veritatem dicti, Viri Antiquitatum Judaicarum apprime docti, adſtruit procul dubio etiam Capitis ſeptimi comma ſextum, in quo Dominus Diſcipulis ſuis injungebat:

Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ.

Poſt tot virorum doctiſſimorum pericula, mea quoque experiri audet Muſa ſylveſtris atque tenuis, num quid lucis his verbis adferre queat. Non utar ambagibus, ſed ex S. Scriptura, Talmude & Rabbinorum

rum ſcriptis, oſtendere annitar, verba Chriſti rectè ab Interpretibus explicari ex ritu illo, quo nemini Iſraëlitarum, vel *Panes* vel *Carnes Deo ſacras* canibus projicere, integrum erat.

Ἅγιον *Græci*, קֹדֶשׁ ,קוֹרֶשׁ ,קוּדְשָׁא *Hebræi* vocabant omne quod Deo ritè conſecratum erat, ut Templa, Ornamenta, Sacrificia. &c. Hic ad *Sacrificia* reſpici, Interpretes jam dudum obſervarunt, nec etiam difficile id videre eſt, cum ſermo ſit de rebus ſacris, canibus ad edendum non projiciendis. Verum enim verò cum Sacrificiorum varia ſint genera, quæritur: num ad omnia in univerſum reſpexerit Salvator, num verò ad certum quoddam genus digitum intenderit. Prius defendunt Interpretes, poſterius mihi probabilius eſt, nec à vero multum me abeſſe puto, ſi dicam, alluſiſſe Dominum verbis ſuis ad *Sacrificia quædam ſanctiora, cætera ſanctitate antecellentia.*

Diſtinguunt nimirum Hebræi inter Sacrificia קדשי קדשים *ſanctiſſima*, & קדשי קלים *minus ſancta*, quæ inter magnum utique intercedebat diſcrimen. Ad priora, ſcilicet ſanctiſſima, ſi non tantùm, potiſſimùm tamen reſpexiſſe Salvatorem mihi veroſimile fit: a.) Quia adhibetur Articulus τὸ (μὴ δῶτε τὸ ἅγιον.) Qui, ut ſatius notum quam quod moneri pluribus debeat, emphaſi non deſtituitur, ſed demonſtrativi vim quam ſæpiſſime obtinet, uti ὁ πολυγλώττατος GLASSIUS egregiis id exemplis probatum dedit, Philolog. Sacr. p. 319. ſeqq. videſis & JO. GEORG. STRAUBE Diſſertat. Philolog. de Emphaſi Græcæ Linguæ Novi Teſt. quam Cel. van den HONERT, Pater, Diſſertat. de ſtylo N. T. inſeruit, p. 84. b.) Clarius hoc evincit ſcopus & intentio Chriſti, qui non קדשי קלים *ſancta quævis*, ſed, ut recte GROTIUS, VITRINGA, Obſervat. Sacr. P. 2. p. 350. aliique Interpretes eruditiſſimi obſervarunt, *Sapientiæ præcepta interiora, ſanctiſſi-*

ctiſſima, ſecretiſſima, ſublimiora Religionis Dogmata, canibus projicere interdicebat. † Nemo ergo, ſpero, ſubtilitatis Rabbinicæ ſectatorem me dixerit, cum ex allatis concludam: Chriſtum gnoma hac ſua reſpexiſſe ad Sacrificia קדשי קדשים ſeu קדשי מקדש, quæ ut cætera ſanctitate ſuperabant, ſic ſanctiſſime etiam habenda, multo minus canibus projicienda erant. Id quod nunc per partes demonſtrabo.

Bene quidem novi, ad quatuor claſſes Sacrificia Sanctiſſima vulgo a Rabbinis reduci; aſt quum in loco noſtro de iis tantum ſermo ſit, quorum pars quædam reſidua manebat, haud abs re erit filum nunc ſequi MAIMONIDIS, qui in ה' בכורים cap. 1. s. 4.

 octo

† Quibuſcum conſentit nobilis Biga Cel. Noſtratium. Alter eſt CHUONRADUS PELLICANUS, qui Commentar. in Matth. p. 22. verba Chriſti ita παραφράζει: *Quanquam velim vos eſſe promtos ad bene merendum de omnibus, tolerantes erga eos qui vos afficiunt injuria, ſimplices & candidos erga eos qui labuntur humana infirmitate, ut & perverſos malitis corrigi quam extingui: nolim tamen Evangelicæ ſapientiæ* MYSTERIA *ſine delectu prodi dignis & indignis.* Eſt alter ὁ πάνυ JOH. JACOBUS HULDRICUS, qui in aureo & tanto Viro digniſſimo opere: Die auf den Höhenen ſchreyende Höchſte Weisheit, Vol. 3. p. 97. non ſine vena ſcripſit: Und ſo zehlen wir zu dieſem HEJLJGEN ſo viel hohe und theure Warheiten, welche in dieſem groſſen Göttlichen Geheimnuß-Buch (der Heil. Schrifft) als in einer rechten Gold Grub und geiſtlichen Perlen-Muter oder Schatz-Kiſten, ſind aufgedecket, welche Geheimnuſſen in dieſem Wort ſelber betrachtet werden, als eitel Bekantlich-groſſe Geheimnuſſen der Gotſeligkeit, in denen verborgen alle Schätz der Erkantnuß nnd der Weisheit, und in die die Heil. Engel Gottes ſelbſt geluſtet hinein zuſchauen, ꝛc. ꝛc.

octo ſequentia recenſet : מה הן השמנה שאין נאכלין אלא במקדש בשר החטאת אחר חטאת העוף ואחר חטאת הבהמה ובשר האשם בין תלוי בין ודאי וזבחי שלמי צבור ומותר העומר ושירי מנחות ישראל ושתי הלחם ולחם הפנים ולוג שמן של מצורע אלו אינן נאכלין אלא במקדש : *Quænam ſunt illa octo dona, quæ nonniſi in Sanctuario comeduntur ? 1.) Caro Sacrificii piacularis tam ex avibus quam ex quadrupedibus. 2.) Caro Sacrificii pro Delicto æque dubio ac certo. 3.) Sacrificia Salutaria publica. 4.) Reſiduum manipuli Paſchalis. 5.) Reliquiæ fertorum Iſraëlis. 6.) Duo panes Pentecoſtales. 7.) Panes Propoſitionis. & 8.) Logus olei Leproſi. Hæc nonniſi in Sanctuario comeduntur,*

1. Primum ergo ex his Sacrificiis eſt חטאת, *Chaldæis* חטאתא, *Syris* ܚܛܗܐ, *Græcis* ἁμαρτία aut περὶ ἁμαρτίας, *Latinis* *Sacrificium pro peccato*, *Rabbinis* non raro קבועה *Conſtitutum, ratum, fixum*, קרבן שהיא לעולם בהמה ולא יעלה וירד לפי עושר המקריב ועזיו : *Quia hoc Sacrificium ſemper ex animali conſtat, neque ei accedit quicquam vel decedit ex offerentis vel opibus vel paupertate.* † Diſtinguitur hoc Sacrificium in varias ſpecies, de quibus Canon Rabbinorum eſt : שהחטאות באין מחמש מינין מכבשים ועזים ובקר בין גדולים וקטנים וקטנות וגדולות שלהם ובאין גם כן בין מן הזכר או הנקבה ומן התורים או מן בני היונה : *Sacrificia pro peccatis quinque eſſe ſpecierum, conſtare enim 1. Agnis, 2. Capris, 3. Armento magno, & 4. Parvo utriusque ſexus, 5. Turturibus aut pullis columbæ.*

Extra

† Obſervant Magiſtri de hoc Sacrificio : החטאים שיתחייבו אליהם חטאת הם לעולם אותם שחייבין על זדונו כרת: *Peccata, quibus Sacrificium deſtinatum eſt pro peccato, ea eſſe, quæ elata manu committuntur atque excidii pœna caſtigantur.* Vid. Cel. HOTTINGERI Jus Hebr. Leg. CXIX. p. 148, 149.

Extra oleas vagarer, ſi multa de qualibet hujus Sacrificii ſpecie dicere animus eſſet; ad ſcopum indigitaſſe ſufficit, rigorem horum Sacrificiorum fuiſſe ſummum, Sacerdotibus quippe ſolis caro reſidua cedebat, & quidem זכרי כהונה *Maſculis* & Puris. † Inſuper in comeſtione accurate obſervari oportebat & *Locus* & *Tempus*. Quod *Locum* attinet, ſtante Tabernaculo comedi hæc Sacrificia debebant intra atrii aulæa, prope aram, *Num.* XVIII. 10. & Tract. Talmud. SEVACHIM cap. 14. Miſchn. 4. & ſtante Templo ἐν παστοφορίοις *in Atrii interioris cœnaculis*, quæ loca propterea קדשי קדשים citato jam loco *Num.* XVIII. dicuntur, hinc Tract. Talm. MACCOTH cap. 3. Miſch. 3.: ואלו הן הלוקין האוכל קדשי קדשים חוץ לקלעים *Hi vapulant, qui Sancta Sanctorum extra peripetasmata comederint.* Et *Tempus* quoque comeſtionis accuratè erat obſervandum, quo enim ſanctiora Sacrificia erant, eo breviori temporis ſpatio comedenda erant. Sacrificia proin חטאת edere Sacerdotes debebant ipſo jugulationis die, aut ſaltem nocte proximè inſequenti, quæ autem ultra ſtatutum tempus reliquæ manſerant, comburi neceſſario debebant, Vid. *Lev.* VII. 15, 17. Legi in hanc rem quoque meretur R. LEVI BARZELON: in מצות שריפת בשר נותר הקדשים *Præcepto de comburendis reliquiis Sanctorum* apud Cel. HOTTING. Jus Hebr. p. 189, 190.

2. Ad Sacrificium *pro Delicto* proximè accedit אשם quod περὶ πλημμελείας *Græci*, *Latini Sacrificium pro Delicto* vocant, quodque nonnulli cum priori communi nomine Sacrificiorum ἱλαστικῶν comprehendunt, alii vero cum illo confundunt; *La difference entre* חטאת

† *Defectuoſis* vetita erat, ut peculiari Diſſertatione non ita pridem oſtendit Cel. ab HAMM, Miſc. Duisburg. Vol. 1. p. 276. ſeqq.

& אשם *eſt ſi deliée, qu'elle eſt presque imperceptible, c'eſt pourquoi cela eſt extrémement diſputé entre les Auteurs*, dicit JURIEU dans l'Hiſtoire des Dogmes & des cultes de l'Egliſe. P. 2. c. 3. p. 311. ABARBANEL Commentar. in Levit. fol. 229. de utriusque Sacrificii diſcrimine ita diſſerit: חטאת ואשם שניהם כאחר על חטאת אם לא שחטאת הוא על חטא לדוע שחטא בשגגה והאשם הוא הבא על הספק אם חטא ואם לא חטא ואין עמהם: *Sacrificium* חטאת *&* *Sacrifitium* אשם *inſtar unius habentur, niſi quod* חטאת *pro notorio peccato offeratur, per ignorantiam commiſſo,* אשם *vero pro dubitatione, an peccaverit nec ne.* Sententiarum divortia aliorum exſcribere nihil attinet; † Optime, quantum ego quidem judico, litem compoſuit Vir longe Celeberrimus JOH. CONR. IKENIUS, Fautor atque ante luſtra circiter duo Præceptor maxime venerandus, qui in Antiquit. Hebr. cap. XIII. v. 24. judicat חטאת *pro peccato ad pœnam ejus averruncandam,* אשם *pro reatu ad tranquillandam conſcientiam eſſe oblatum*. &c.

Diſtinguitur hoc Sacrificium in אשם תלוי pro*Delicto dubio* †† & אשם ודאי pro *Delicto certo. Prius,* היחיד והנשיא

† Qui his delectatur, cuique otium eſt, adeat BONFRERIUM in Lev. cap. 10 LEVIN. TORNIELLUM ſub A. M. 2545. num. 22. SAM. PETITUM. var. lection. cap. 22. RELAND. Antiquit. Sacr. P. III. C. 3, 4. BERN. LAMY, Libr. III. de Tabernac. Moſis, cap. VII. p. 476. JOH. FRISCHMUTH, Diſſertat. ad Pſal. XL. 7. quæ in Theſauro Diſſertat. Theol. Phil. Vol. 1. p. 624. extat.

†† להקריב קרבן מי שנסתפק לו אם חטא בחטא מן החטאים הגדולים שאדם מתחייב בעשותו אותם בזדון כרת ובשגגה חטאת קבועה: *Quod offerendum illi, qui dubitat an commiſerit peccatum ejusmodi magnum, quod hominem, ſi contumaciter illud perpetravit, reum facit exciſionis, ſin autem per errorem, ſacrificii fixi.* Vide ſæpius jam citat. Jus Hebr. Cel. HOTTINGERI, p. 159.

והנשיא חייבין ומשיח ובית דין פטורין׃ *Obligat quemlibet Privatum & Principem, ſed ſacerdotem unctum & Senatum non obligat.* † Tract. Talmud. HORIOTH, cap. 2. Miſchn. 7. Victima illi deſtinata erat איל תמים *Aries integer* Lev. V. 18. *Poſterius* verò, præeunte ſcriptura, à Magiſtris ad quinque claſſes reducitur: *Quinque ſunt ſacrificia pro reatu, quæ veniunt pro certo, reatus prævaricationis, reatus furti, reatus Naſiræi, reatus Leproſi, & reatus deſponſæ ſervæ*, verba ſunt R. OBAD. de BARTENORA ad HORAIOTH, cap. 2. Miſchn. 7. ex verſione Cl. SURENHUSII. היחיד והנשיא והמשיח חייבין׃ *Obligat hoc ſacrificium quemlibet Privatum, Principem & Sacerdotem unctum.* Idem ibid. Animalia offerenda debebant eſſe maſcula, & quidem Naſiræo & Leproſo agnus, in reliquis caſibus קרבן של איל שצריך להיות שוה שתי סלעים׃ *Sacrificium arietis quem æquivalere oportebat duobus ſiclis.*

Horum ſacrificiorum rigor cum præcedentium idem planè erat, quare jam dicta repetere non lubet, Legiſlatoris verba exſcripſiſſe ſufficiat: en illa, Lev. VII: 1, 6, 7. וזאת תורת האשם קדש קדשים הוא כל זכר בכהנים יאכלנו במקום קדוש יאכל קדש קדשים הוא כחטאת כאשם תורה אחד להם׃ *Hæc eſto lex ſacrificii pro Delicto; ad ſanctum ſanctorum pertinet, omnis mas è ſacerdotibus comedere poteſt de illo, in loco ſancto comeditor, pertinet quippe ad ſancta ſanctorum. Lex una eademque eſt & ſacrificio pro peccato & ſacrificio pro delicto.*

3. Sequuntur זבחי שלמי ציבור *Sacrificia ſalutaria publica* †† Conſiſtebat hoc ſacrificium ex duobus agnis, qui ſemel quotannis offerebantur, & quidem tempore Pentecoſtes. Ad ſancta ſanctorum pertinuiſſe, dubitare

† Ratio præcepti videre eſt apud R. LEVI. HOTTING. Jus Hebr. p. 160.

†† *Salutaria ſingulorum* ſacris levioribus annumerabantur.

bitare nos non ſinunt expreſſa verba *Lev. XXIII. 20.* Ad quæ R. LEVI apud Cl. HOTTING. num. 137. recte omnino commentabatur : אותן שני כבשים הם הנקראים זכחי שלמי ציבור ונאכלים לכהנים חוץ מין האימורים כהטאת ונאשם: *Duo agni illi, ſacrificia cœtus dicti, comeduntur à ſacerdotibus, exceptis partibus combuſtioni deſtinatis, ſicut in ſacrificio pro peccato & reatu.*

4. Pergimus ad *Manipulum* העומר ſecunda Paſchatis die offerendum. Pertinebat ſacrificium hocce ad מנחת צבור proin & ad קדשי קדשים de quo Lev. XXIII. 10, 11. *Quum ingreſſi in terram illam, quam ego daturus ſum vobis, meſſuri eritis meſſem ejus ; tunc afferetis manipulum frugum, primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem : qui agitabit manipulum iſtum frugum coram Johova ad acceptionem veſtri : poſtridie illius ceſſationis agitabit eum ſacerdos.* Ritus circa Collectionem, Præparationem & Oblationem fuſe deſcribuntur Tract Talm. MENACHOTH cap. 6. Miſchn. 6, 7. cap. 8. Miſchn. 1, 2. cap. 10. Miſchn. 1, 2, 3, 9. & à Commentatoribus BARTENORA, MAIMONIDE, EZ HACHAIM &c. In compendio exhibentur ritus hi Cod. MENACHOTH cap. 10. Miſchna 4. qui ex verſione Cl. SURENHUSII ſequentes erant : *Demetebant* (manipulum) *atque in caniſtra reponebant, deinde ad Atrium Templi ferebant, ubi ipſum ad ignem torrebant, ad præceptum de toſto de ipſo adimplendum, ſunt verba R. Meyri. Sapientes verò dicunt, cannis truncisque eum percutiebant ne comminueretur. Poſtea imponebatur vaſi Avub, quod perforatum erat ut ignis undique penetrare poſſet, & ventus ignem afflare, quum in atrium expanſus eſſet. Tandem molæ indebatur fabrariæ, atque inde decimam educebant cribratam tredecim cribris ;* † *reliquum verò*

† JOM TOPH in Toſeph. ad MENACH. cap. VI. 7. ita rem exponit: כשלש עשר' נפה ל'הר"ב זו למעלה מזו עליונה קולטת סובין תחתונה קולטת סלת ופירש"י זו למעלה מזו כל

rò redimebatur, & ab unoquoque comedebatur, & placentæ obnoxium erat, ſed immune à decimis. R. *AKIBA dicit, placentæ & decimis obnoxium erat. His peractis decima miſcebatur cum oleo & thure, atque poſtea ei affundebatur, convolvebatur, agitabatur, adducebatur, pugillo colligebatur, & comburebatur;* Reliquum verò a Sacerdotibus comedebatur.

5. Pedem promovemus ad *Reliquias fertorum Iſraëlis* שירי מנחות ישראל Novem oblationum ſpecies Rabbini numerant, quas R. LEVI apud Cl. HOTTINGER. num. 116. recenſet. Ex his pars quædam combuſta erat, quædam pro more קדשי קדשים Sacerdotibus puris & maſculis in cibum ceſſit. Verba Legislatoris ſunt Lev. II. 1. ſeqq. *Cujusvis animæ, quum afferet oblationem muneris Jehovæ, è ſimila eſto oblatio, cui ſuperfundet oleum, & imponet thus. Sic afferet illud ad aliquem filiorum Aharonis, Sacerdotum, qui accipiet inde plenum*

אחת עבה מחברת׳ עליונה ראשונה קולטת סובין שהיא היתה גסה שבכלן ולא היתה קולטת כי אם סובין והיו הקמח והסלת לעבר הנפה ושוב היה נותן הקמח והסלת בתחתונה ברקה הימנה והיא היתה קולטת הקרטין סלת וחקמח והולך לעבר הנפה ושוב היה חוזר ונותן הסלת ברקה הימנה נבי שלא ישתייר מן הקמח ומן הסובין בסלת כלל שתהא הסלת ברורה: *In tredecim cribris juxta explicationem* R. BARTENORÆ, *unum erat ſuper altero, ſuperius retinebat furfures, inferius retinebat ſimilaginem; &* R.S.I. *interpretatur verba, unum erat ſuper altero, unum erat altero latius, ſuperius quod primum erat retinebat furfures, nam hoc omnium erat latiſſimum, & non retinebat niſi furfures, & farina cum ſimilagine tranſibant cribrum: & deinde dedit farinam cum ſimilagine in inferius cribrum, quod priori erat anguſtius & illud retinuit optimam ſimilaginem, & farina tranſiit cribrum: & denuo dedit ſimilaginem in cribrum præcedente anguſtius, ne quicquam ex farina aut furfuribus relinquatur, ſed ſimilago planè pura reddatur.*

num pugillum ſuum è ſimila ejus muneris, & ex oleo ejus, cum toto thure ejus: adolebitque Sacerdos ſuffimentum memoriale ejus in ipſo altari, munus igne abſumptum odoris grati Jehovæ. *Quod autem remanſerit ex iſto munere, eſto Aharonis & filiorum ejus* :׳׳׳ קדש קדשים מאשי *res ſancta ſanctarum eſt, ex ignitis Jehovæ &c.* Conferatur omnino MAIMON. in ה׳ מעשה חקרבנות cap. X. 3. ואין חטאת ואשם ושירי מנחות נאכלין אלא לזכרי כהונה ואם נאכלו בהיכל נאכלו שנאמר בקדש קדשים תאכלנו: *Neque ſacrificium pro peccato & pro delicto, neque Reliquiæ ſertorum comeduntur, niſi à maſculis Sacerdotum, & ſi comedenda ſunt, in Templo comedi debent, quia ſcriptum eſt:* (Num. XVIII. 10.) *in loco ſanctiſſimo comedetis illud.*

6. Ad קדשי קדשים pertinebant quoque שתי הלחם *Duo panes pentecoſtales*, qui ita diſtribuebantur, ut unus Pontifici M. alter Sacerdotibus maſculis & puris in cibum cederet, qui illos במקדש in loco ſancto comedere debebant. Lev. XXIII. 17, 20. *Ex habitationibus veſtris adducetis panes agitationis duos, duarum decimarum; è ſimila erunt & fermentati coquentur primitivæ Domino. Et agitabit Sacerdos ea cum panibus primitivorum agitatione coram facie Jehovæ cum duobus Agnis:* קדש יהיו :ליהוה לכהן *res ſancta erunt Jehovæ, pro Sacerdote.* Confer. Cod. Talm. SEVACHIM cap. XIV. m. 3. PESACHIM cap. VII m. 4. MAIMON. ה׳ מעשה חקרבנות cap. X. 14. ה׳ בכורים cap. I. 3, 4, & 9. Plura in hanc rem Doctiſſimus congeſſit HACKMANNUS, Amicus quondam & commilito ſuaviſſimus, Diſſertat. de duobus Panibus pentecoſtalibus.

7. Excipiunt hos Panes alii, חלחם הפנים *Panes propoſitionis*. His iterum ſolis Sacerdotibus & quidem in atrio interiori, veſci integrum erat. Lev. XXIV. 9. *Poſtea erit Aharonis & filiorum ejus, qui comedent illum in loco ſancto: quia res ſancta ſanctarum eſt pro*

pro eo, ex ignitis Jehovæ. Ita diſtribuebantur, ut poſtquam dimidiam partem accepiſſet Pontifex M. altera divideretur inter ClaſſemSacerdotalem, quæ illa hebdomade cultum peregerat & mox diſceſſura erat, & inter novam accedentem, cui miniſterium hebdomade ſequente obeundum. Videatur MAIMON. HILCOTH THAMIDIM, cap. IV. 12.

8. Agmen τῶν קדשי קדשים juxta MAIMONIDEM noſtrum, claudit לוג שמן של מצורע *Logus olei Leproſi.* In purgatione leproſi adhibebatur, præter alia quæ Lev. XIV. deſcribuntur, Logus olei, ex quo Sacerdos mundando aurem dextram, pollicem item manus & pedis dextri illiniverat, dein ſepties coram Domino de eo ſpargebat, reliquumque quod in manu habebat ſuper caput mundandi effundebat; *Quod reliquum erat, Sacerdotibus maſculis & puris in cibum ceſſit.*

Ex iis ergo, quæ hactenus in medium protuli, facile videre eſt, ſacrificia קדשי קדשים dicta, partim Deo fuiſſe oblata, † partim à Sacerdotibus puris in loco ſancto fuiſſe comeſta; Non Sacerdoti polluto, non Levitæ, non Iſraëlitæ quisquis tandem ille fuerit, multo minus cani, licita erant. Quid impedit ergo, quo minus Chriſtum, de *ſanctiſſimis Religionis Myſteriis* cum *Judæis* loquentem, ad hæc ſacrificia reſpexiſſe affirmemus? ac ſi dixiſſet: *Scitis, o chari, quanto ſtudio reſidua ſacrificiorum* קדשי קדשים *Sanctiſſimorum à Sacerdotibus veſtris habeantur; notum eſt, homini impuro, & ſi Sacerdos ipſe eſſet, neutiquam comedenda illa porrigi; Neminem veſtrum fugit, ne Atrio quidem efferri illa licere, ſed in loco ſancto comedenda & ſi quæ ſuperſint ſtudioſe comburenda eſſe; Quis veſtrum eſt, qui non norit, morte afficiendum eſſe*

 Sacer-

† Hinc nomen הלחם אלהים *Panis Dei* nacta ſunt.

Sacerdotem, ſi cani † *vel micam carnis, aut ferti reſidui projeciſſet? Volo proin jubeoque, ut Myſteria Regni, Dogmata Sapientiæ cæleſtis interiora, non ſolum ipſi ſanɛte habeatis, ſed & caute aliis explicetis atque adminiſtretis.*

Huic mandato ipſe Dominus ſatisfecit, ſiquidem Dogmatum ſuorum ἐξωτερικὰ populo tradidit, interiora verò filiis domus reſervavit: *χωρὶς δὲ παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς, κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐπέλυε πάντα. Marc. IV: 34.* Memorabile eſt, inquit WITSIUS Oecon. lib. IV. c. 13. p. 815. *Ipſum Jeſum in diebus carnis ſuæ doctrinam ſuam obſcuriori V. T. Oeconomiæ accomodaſſe, ac promiſcuæ turbæ vix aliter, quam ſub parabolarum involucris, myſteria regni cælorum, conjectanda potius, quam perſpicienda, propoſuiſſe.*

Antequam colophonem imponam opellæ, obſervandum eſt, quod Hebræi antiqui, VORSTIO annotante in Adagiis N. T. c. 4. putarint, magnam cœleſtis veritatis jacturam fieri, quoties ſapientiæ præcepta impiorum hominum ludibrio exponerentur. Pertinet huc locus Proverb. IX. 7, 8. יסר לץ לקח לו קלון ומוכיח לרשע מומו: אל תוכח לץ פן ישנאך: *Qui erudit deriſorem, recipit ſibi ignominiam, & qui corripit improbum, recipit convicium ſibi. Ne corripito deriſorem, ut non odio proſequatur te.* In Tract. Talm. CHAGIGA fol. XIII. col.

† De canibus & contemtu illorum apud Judæos nihil jam dicam, cum inter plures alios Magnus BOCHARTUS Hieroz: p. m. 661 - 695. de hac materia prolixiſſimè egerit; vel verbulo indicaſſe ſufficiet, à Judæis canes pauciſſimos fuiſſe educatos, hinc Illuſtris R. ELIEZER המנדל כלבים כמנדל חזירים: *Qui educat canes melior non eſt illo qui educat ſues.* & Tract. Talm. BAVA KAMMA cap. VII. m. 7. יגדל אדם את הכלב אלא אם כן היה קטור בשלשלת: *Nemo canem educabit niſi catena ligetur.*

col. 1. legitur : אמר רבי אמי אין מוסרין דברי תורה לגוי *dixit* R. AMMI, *non tradunt τῷ Goi* (aan een Geus) *verba legis.* & in TOSEPHOT : אסור משום מגיד דבריו ליעקב *Vitium eſt, quia dicitur, indicat Jacobo verba ſua.* BAVA KAMMA fol. 38. col. 1. in TOSEPH. חמלמד תורה לגוי עובר בעשה דמגיד דבריו ליעקב: *Qui Goi legem docet, peccat contra præceptum affirmativum, nam Jacobo Deus,* non τοις Goim, *verba ſua indicat.* In JALKUT CHADASCH fol. 171. col. 2. num. 71. ſub titulo Thora docetur : לגוי אסור לגלות סתרי תורה כלל וכלל ומי שמגלה לגוי כאלו התריב כל הטולם ומשקר בשמא קדישא: *Vetitum eſt Goi myſteria legis revelare, & qui illa Goi revelat, idem facit ac ſi totum* UNIVERSUM, *quin* DEUM *ipſum perdidiſſet.* Hinc & cap. 1. Libri MIFCHAR HAPPENINIM legitur : אל תשליכו הפנינים לפני החזירים ואל תמסרו החכמה למי שאינו יודע מעלתה: *Ne projiciatis margaritas coram porcis, & ne tradatis ſapientiam ei, qui ignorat præſtantiam ejus.* Quibus pollicem premit MAIMON. in MORE NEVOCHIM, docens : Sapienter ſapientes prohibuiſſe, ne quis סתרי תורה *Arcana legis* prudentibus æque ac imperitis, nullo diſcrimine facto, exponeret. *Ita creditu facillimum eſt*, verba ſunt Cl. ZORNII Bibl. antiq. p. 782. JUVENALEM *ad receptam Judæorum opinionem & loquendi rationem alluſiſſe* :

Servant & metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

Dici non poteſt, quanto ſtudio miſer populus myſteria religionis ſuæ & hodienum celare curet. Norunt hoc omnes, quicunque cum Rabbinis de Ritibus ſuis vel per horulam confabulati ſunt ; ſæpius hoc ipſe etiam in itinere literario *Altonæ, Hamburgi, Berolini, Hallæ, Francofurti*, &c. expertus ſum. Quapro-

propter Cl. SCHUDT facile crediderim, qui in Proleg. Libri egregii: Die Jüdiſche Merckwürdigkeiten, ſequentia annotavit: Es iſt durchgehends ein groſſes Glück, wo man von Juden die rechte Beſchaffenheit und wahre Urſachen ihrer Gebräuchen und Dingen erforſchen kan, als welche ſie für den Chriſten mit allem Fleiß verbergen, und ſelbigen, ſonderlich denen, ſo ihrer Sachen nicht wol kündig ſind, gar leicht eines aufbinden. Confer. EISENMENGER. aureo libro des Entdeckten Judenthums P. I. cap. XV. p. 608.

Num Chriſtianorum *Diſciplina Arcani* † ex dicto hoc Salvatoris ortum traxerit, quave cura ethnici †† ſacra ſua celaverint, ſcopi non eſt examinare, nec etiam inquiram.

תם ונשלם:

† De qua nuper peculiari oratione eruditiſſimè, ut ſolet, egit Cel. Hiſt. Eccl. & Jur. Nat. Profeſs. Publ. JOH. JAC. ZIMMERMANNUS, Præceptor & Amicus dum vixero amandus. V. Temp. Helv. T. II. p. 76. ſqq. 170.

†† Videantur JAMBLICHIUS de vita Pythag. c. 5. 23. 32. 34. PLUTARCHUS in Iſide. PORPHYRIUS de vita Pythagoræ. p. 185. CLEM.ALEX. Strom. lib. V. FRANCISCI PATRICII Diſſert. de Diſciplina Arcani in Sacris Gentium. Cel.HEIDEGG. in Myſterio Babylonis, p. 179. Pluresque alii, quos toto agmine citat Cl. ZORNIUS Bibl. antiq. p. 828.

IV. JOH.

IV.

JOH. FRIDERICI STAPFERI,

DE

TEMPORIBUS REFRIGERII,

Ad locum

ACT. III: 19.

Exercitatio Biblica.

SUMMARIA.

§. I. Quomodo locus vertendus ſit, indicatur. II. Quænam ſint illa tempora Refrigerii, Interpretes diſcrepant; illorum *alii* cogitant de Liberatione fidelium in Excidio Hieroſolymitano. III. *Alii* de toto N. T. curriculo, *vel* relate ad Vetus Teſtamentum, *vel* ad vices afflictionum. IV. *Alii* referunt ad ultimam N. T. periodum. V. *Alii* denique ad Salutem æternam. VI. Quænam ex allatis ſententiis ſit præferenda, ex nexu & verborum ſenſu dijudicandum. VII. VIII. Nexus verborum cum præcedentibus & ſequentibus. IX. Explicatur vox καιρος. X. Indicatur ſignificatio vocis ἀνάψυξις. XI. Quæ opponitur vel *ſiti*. XII. Vel *æſtui*. XIII. Vel *labori*, qui in S. Scriptura etiam peccata ſignificat. XIV. Vel denique tempora ἀναψύξεως ſunt Sabbathum, reliquis diebus oppoſitum. XVI. Explicato nexu & ſignificatione verborum, ad examen diverſarum ſententiarum acceditur. XVII-XXI. Prima, ſecunda & quarta examinantur & refutantur. XXII. Ea eligitur, quæ tempora

pora hæc refert ad ultimam N. T. periodum, quia Prophetæ conſentiunt. XXIII. Judæorum de temporibus refrigerii ſententia indicatur. XXIV. XXV. Veritas hujus ſententiæ ex nexu adſtruitur. XXVI. Celeb. Lampii ſententia in hac re. XXVII. XXVIII. Sententia hæc porro probatur ex ſignificatione vocis ἀνάψυξις, quatenus opponitur α. *ſiti.* XXIX. β. *æſtui* ſive calamitatibus. XXX. Petrus reſpexit ad quædam vaticinia, ut putat Celeb. Vitringa. XXXI. XXXII. Illa, quæ Petrus inter alia ob oculos habuiſſe videtur, extant Eſajæ XXV: 5. & XLIX: 10. quæ explicantur. XXXIII. XXXIV. ex Apoc. VII: 9. ſeqq. illuſtrantur. XXXV. Et ad ſententiam noſtram applicantur. XXXVI. γ. Quatenus opponitur *Labori* ſive peccatis. XXXVII. XXXVIII. δ. Quatenus Tempus Refrigerii reſpondet tanquam Antitypus Sabbatho primo; cur in numero plurali de καιροῖς ſermo ſit, ratio additur. XXXIX. XL. Duæ objectiones ſolvuntur. Diſſertationi finis imponitur.

§. I.

INter alia loca, in quorum explicatione verbi divini Interpretes à ſe invicem differunt, etiam eſt ille, Actor. III: 19. ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου: *Ut veniant Tempora Refrigerii à facie Domini* : *Beza* particulas ὅπως ἂν vertit *poſtquam*, ut ponantur pro ἐπειδὰν, quam ſignificationem ex Herodoto in Clio & Thalia, & Sophocle in Tyran. confirmat, ut ſenſus ſit: Peccata illorum eſſe delenda, quando Tempora Refrigerii venerint. Alii vertunt, *ut cum* venerint, ſive obvenire poſſint, vobis Tempora Refrigerii. Stylo tamen Scripturæ Novi Teſtamenti optimè vertuntur per *ut,* ut vel finem notent vel conſequens illius rei, de qua mentio facta erat; & ita ſenſus eſſet: Opus eſſe, ut reſipiſcant & peccata eorum

rum deleantur, ut Tempora Refrigerii ipſis obtingant; continuaretur itaque hîc promiſſio in præcedentibus inchoata, & ὅπως ἄν ſecundam promiſſionem primæ conjungeret, & per ipſorum pœnitentiam Tempora Refrigerii accelerarentur. Quocunque autem modo vertatur, ſenſus erit, peccata ipſorum cum adventu Temporum Refrigerii eſſe delenda; ut tempus reſipiſcentiæ ipſorum & deletionis peccatorum cum temporibus ἀναψύξεως ſit unum, utrumque cum altero conjunctum.

§. II.

Diſputatio autem noſtra præcipue in eo verſatur, *quænam* ſint illa *Tempora Refrigerii?* *Nonnulli* interpretum ea referunt ad initium Novi Teſtamenti, ut hîc Judæis promittatur, eos, ſi reſipiſcerent, imminenti excidio urbis & Politiæ Judaicæ exemtum iri; adeoque ſi à propria juſtitia & conſilio improbitatis ſe converterent, eum diem, qui Judæis impœnitentibus terribilis, ipſis ſuaviſſimus futurus ſit: ut hoc tempus idem ſit, quod Luc. XXI: 28. vocatur ἀπολύτρωσις & Rom. XIII: 11. σωτηρία.

§. III.

Alii autem intelligunt per tempora hæc recreationis totum Novæ Oeconomiæ curriculum, ut nempe Judæis promittatur, quod ſi obedirent Chriſto, habituri ſint communionem cum omnibus bonis Chriſtianorum; adeoque hîc opponatur conditio fidelium Novi Teſtamenti, ſtatui degentium ſub Vetere Teſtamento, qui, viventes in fovea, in qua non eſt aqua veri ſolatii, Zach. IX: 11, 12. fere ſiti confecti, ſub Novo Teſtamento, ſi crederent & reſipiſcerent, aquis vivis debebant refocillari & qui hactenus *onus* & *æſtum* diei perpeſſi erant, Matth. XX: 12, *recreationem* per Chriſtum adductam & per fidem in ipſum acquirendam poterant exſpectare: vel *alii* talem

Eccle-

Eccleſiæ ſub Novo Teſtamento intelligunt conditionem, quâ ſtatus proſperi & triſtis perpetua ſit viciſſitudo, ut *vices refrigerii* poſt afflictiones temporibus ſuis ſemper recurrant.

§. IV.

Alii vero hæc tempora reſtringunt ad ultimam Novi Teſtamenti periodum, tempora ἀποκαταστάσεως exhibentem, cum converſione Judæorum conjunctam, quando omnes afflictiones ceſſabunt, & totus Iſrael ſalvabitur.

§. V.

Alii tandem cogitant de temporibus conſummationis ſeculorum, quando Dominus Jeſus venturus eſt ad judicium, ad retribuendum unicuique ſecundum opera: Quæ futura ſunt tempora afflictionis impiis & contumacibus; piis vero ac fidelibus, Tempora Refrigerii, quietis ac ſalutis, ſecundum 2. Theſſ. I: 7. ubi promittitur cum adventu Domini θλιβομένοις ἄνεσις.

§. VI.

Ut autem inveniamus, cuinam harum ſententiarum potiſſimum aſſentiendum ſit, nobis conſiderandus erit, tum *nexus* cum verbis præcedentibus & ſequentibus, tum *verborum ſignificatio*, & deinde perpendendum, cuinam ſententiæ & nexus & verborum ſenſus maxime conveniat.

§. VII.

Ex eo nimirum, quod Apoſtolus antea dixerat, Chriſtum juxta prædictionem Prophetarum paſſum eſſe, nunc hortationem infert, ut ſeriam & integram agant pœnitentiam & ad Deum ſeſe convertant. Hanc vero hortationem commendat a triplici fructu, qui inde ad ipſos redundaturus ſit. *Primus* in eo conſiſtit, quod Deus peccata reſipiſcentium quaſi ex rationario

ſuo

ſuo deleturus ſit, quando dicit: *εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας*. *Secundus* fructus eſt adventus Temporum *Refrigerii*, *ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου*. *Tertius* fructus, qui immediate cum verbis noſtris conjunctus, eſt miſſio Domini ad judicium, cum nimirum id vere reſipiſcentibus exſpectandum eſt, ut, poſt multos exantlatos labores afflictionesque, temporaque refrigerii ipſis à Deo exhibita, Jeſus Chriſtus ipſis ante prædicatus adventurus ſit, ut ſuos in hac quidem terra liberatos ab omnibus moleſtiis ad ſe aſſumat, æternaque gloria tanquam victores coronet.

§. VIII.

Cum autem hanc miſſionem Jeſu Chriſti, Tempora Refrigerii ſecuturam, avide exſpectarent Judæi, Apoſtolus adhuc tempus addit, indefinitum quidem, quo hicce Domini adventus futurus eſſet, quando dicit: *Quem oportet cælum capere, usque ad tempora exhibitionis omnium, quæ elocutus eſt Deus per os omnium ſanctorum Prophetarum ſuorum.* Primi nimirum ex Judæis fideles falſa erant imbuti opinione, adventum Domini ad regnum gloriæ prope adeſſe; quem errorem ipſe Petrus cum reliquis Apoſtolis brevi tempore antea adhuc foverat, uti patet ex Act. I: 6. ubi dicunt: *Κύριε, εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ*; Nunc vero Apoſtolus a Spiritu Sancto melius edoctus, etiam Judæos a falſa hac opinione vult liberare, ne fides ipſorum turbaretur; unde ipſis indicat, quod Jeſus hicce tam cito nondum exſpectandus ſit, ſed quod multa a Deo per os Prophetarum prædicta adhuc ſuperſint, quæ Deus gradatim conſumare conſtituerit, adeoque Jeſus Chriſtus adhuc in cœlo manſurus ſit, donec omnia, æque de afflictionibus ac eas ſequentibus Temporibus Refrigerii prædicta, impleta ſint.

§. IX.

Paucis oſtenſo nexu, indicandum, quid ſint *και-*

ϱοι ἀναψυξεως, *Tempora Refrigerii.* De vocabulo καιϱος breviter annotamus, quod ſignificat *primo: tempus certum & præſtitutum*, ita Luc. XX: 10. Και ἐν καιϱω ἀπεϛειλε πϱος τȣς γεωϱγȣς δȣλον. *Secundo: opportunitatem temporis*, ut adeo hic ſignificetur, refrigerium ſua vice & opportunitate & quaſi rerum gerendarum occaſione adventurum: Deus enim fata Eccleſiæ in hiſce terris ita ordinavit, ut triſtis & læti temporis ſit viciſſitudo, atque unum ſit occaſio alterius, unde poſt laborem atque æſtum afflictionum, juxta rerum gerendarum opportunitatem, etiam tempora recreationis ſuam habebunt vicem.

§. X.

Vocis autem ἀναψυξεως, ab ἀναψυχω, metaphorica eſt ſignificatio, quando *refocillare, recreare, reficere* notat, & occurrit 2. Tim. I: 16. ubi Apoſtolus de Oneſiphoro ait: πολλακις με ἀνεψυξε, *ſæpe me refrigeravit*: & annotante *Suicero* in Theſauro ſuo, in vetere Onomaſtico *refrigero* ſignificat ἀναψυχω, & *Heſychius* ex loco Apoſtoli: Ἀνεψυξεν, ἀνεπαυσεν: item ἀναψυχηναι, ἀναπαυσασθαι. Qua autem voce Chaldæo-Syra Apoſtolus fuerit uſus, incertum; *Hammondus* putat, Petrum adhibuiſſe vocem נחמותא, *Conſolatio*, qua voce Paraphraſtæ utuntur, quando loquuntur de diebus Meſſiæ, & ſimili plane modo dicitur de Simeone Luc. II: 25. quod exſpectaverit παϱακλησιν, *conſolationem* Iſraelis. Sed cum res ſit incerta, hic non moramur; agitur de ſignificatione vocis græcæ.

§. XI.

I. Ejus translatio primo videtur deſumta ab iis, qui *ſiti* conficiuntur & *poculo* frigido *refocillantur*; ita dives ille helluo rogat Abrahamum, ut mittat Lazarum, ἱνα βαψη το ἀκϱον τȣ δακτυλȣ αὐτȣ ὑδατος καὶ καταψυξη, *refrigeret* linguam ejus Luc. XVI: 29.

§. XII.

§. XII.

II. Hæc vox opponitur *æſtui* ſive afflictionibus, ſolent enim punctiones & afflictiones divinæ in Sacra Scriptura per metaphoram igni & fornaci ignis comparari; ita Matth. III: 12. το δε ἀχυρον καλακαυσει πυρι ἀσβεςω, & 1. Petr. IV: 12. Apoſtolus monet, ne percellantur πυρωσει, ad explorationem ipſis facta. Sicuti verò calamitates *æſtui* comparantur, ita liberatio ab iis ſub ſimilitudine auræ vel *umbraculi refrigerantis* venit; hinc eſt, quod Tempora Refrigerii apud Hebræos proverbialiter liberationem quamvis, ſive *temporalem* ſive *ſpiritualem* ſignificant, *Quia*, ut *Limborchius* in hunc locum commentatur, *perinde uti qui actu ac ardore fuerunt afflicti, per refrigerium, ita qui graviſſimis fuere preſſi calamitatibus, per liberationem, ac potiſſimum contrariorum bonorum adeptionem ac ſalutem, ſe quam maxime recreari ſentiunt.* Priori ſenſu, nempe de liberatione a pœna temporali, intelligitur Exod. VIII: 11, vel 15. Ἰδων δε Φαραω, ὁτι γεγονεν ἀναψυξις, הרוחה, *refrigerium* ſive *reſpiratio, aggravavit cor ſuum,* &c. de libertatione ſpirituali ſumitur Pſalmo LXVI: 12. διηλθομεν δια πυρος καὶ ὑδαλος, καὶ ἐξηγαγες ἡμας εις ἀναψυχην, *in refrigerium*, ubi afflictiones divinæ *igni* comparatæ ἀναψυχη opponuntur: de hujusmodi recreatione hanc voce etiam *Theoph.* ad 2. Tim. I: 16. explicat, pag. 806. Καθαπερ ἀθλητην τινα ὑπο αὐχμου συνεχομενον των θλιψεων ἀναψυξεως ἠξιωσε. *Tanquam athletam quempiam afflictionum æſtu vexatum, refocillatione me dignatus eſt.*

§. XIII.

III. Opponitur tertio refrigerium *labori*, quando quis laboribus defatigatus per blandam requiem animam quaſi recipit & ſeſe recreat. Laboris autem nomine in Sacra Scriptura præcipue etiam Peccata veniunt; ita ea appellat Lamechus, quando Genes. V: 29. dicit: *Hic conſolabitur nos de labore noſtro & de dolore*

manuum noſtrarum. In tranſitu obſervo, idem vocabulum *Conſolationis*, *Labori* peccatorum oppoſitæ, hic occurrere, quod Judæi ad tempora Meſſiæ exprimenda adhibent, ינחמנו, *conſolabitur nos*, unde נחמות, *conſolationes*, appellantur ab iis beneficia per Meſſiam adducenda. Laboris porro nomine peccata veniunt Pſalmo XVII: 4. *Quantum ad opera humana, ex verbo labiorum tuorum obſervo ſemitas effractoris.* Pſalmo CVI: 39. *Polluerunt ſe laboribus ſuis.* Eſajæ LIX: 6 *Facta illorum ſunt facta iniqua & opus violentiæ in manibus eorum*; ut & Apoc. XVII: 11. *& blaſphemarunt nec reſipuerunt ab operibus ſuis,* Ita vero Peccata appellantur, quia peccator ſine coactione omnibus viribus ſuis ad ea perpetranda occupatus, veram mentis requiem iis impedit; is enim, qui hujusmodi opus perpetrat, ab accuſationibus conſcientiæ ſuæ vexatus vera quiete gaudere non poteſt, eo minus, quia cum malo turpi, adhuc malum triſte connexum eſt; peccata enim propter maledictionem iis intentatam varias etiam in hac vita afferunt calamitates, eorumque cauſa afflictionibus homines afficiuntur; Adamo enim dictum fuit, *maledicta eſto terra propter te, cum dolore comedito proventum ejus omnibus diebus vitæ tuæ.* Gen. III: 17-19. Sub quibus doloribus varia mala in hac terra propter peccata exantlanda intelliguntur.

§. XIV.

Cum ergo peccata ſint *Labor*, hinc etiam liberatio ab iis & eorum deletio vocatur ἀνάπαυσις, quod juxta Heſychium, ut ſupra annotavimus, idem ſignificat quod ἀνάψυξις; Quapropter Chriſtus omnibus fatigatis oneratisque labore peccatorum ſuorum, ad eum venientibus requiem & refrigerium promittit, *venite ad me*, inquit Matth. XI: 28, 29. *omnes, qui fatigati eſtis & onerati*, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς, *tollite jugum meum in vos, & diſcite a me, quod mitis ſim & humilis corde* καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν *animabus veſtris.* Hæc etiam cauſa

eſſe

eſſe mihi videtur, cur reſipiſcentia & converſio ad Deum atque deletio peccatorum conjungatur cum *ἀναψύξει*, *reſipiſcite & convertimini ad Deum, ut veniant Tempora Refrigerii.*

§. XV.

IV. Ea etiam tempora maxime Tempora Recreationis appellari merentur, quibus a laboribus quotidianis ceſſantes, nos in conſideratione operum divinorum recreamus. Ita de Deo dicitur, quod *die ſeptimo* quieverit, ſive ſe recreaverit ab operibus ſuis, ὅτι ἐν αὐτῇ κατέπαυσεν ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ. Gen. II: 3. ſicuti ergo Sabbathum eſt κατάπαυσις, ita tempus per illud præfiguratum vera ἀνάπαυσις & tempus ἀναψύξεως ſummo jure appellari poteſt.

§. XVI.

Nunc, quantum ſcio, ſenſum, quem vox ἀνάψυξις habere poteſt, quantacunque potui brevitate, expoſui: In eo autem cardo diſputationis noſtræ verſatur, ut oſtendamus, cui tempori id maxime conveniat, & quænam ex quatuor ſententiis ſupra allatis aliis ſit præferenda. Quod, meo quidem judicio, aliter dijudicari non poteſt, quam ex nexu & ſenſu verborum; qui, quantum ego video, iis maxime favet, qui ſtatuunt: Tempora illa Refrigerii & ἀποκαταστάσεως πάντων ea eſſe, quæ adventum Domini immediate antecedunt, nempe ultima atque lætiſſima Novi Teſtamenti periodus. *Duo* ergo mihi explananda incumbunt: *Alterum* eſt, ut oſtendam, quod *prima*, *ſecunda* & *quarta* ſententia cum nexu & ſenſu verborum non optime congruant: *Alterum* eſt, ut probem, *tertiam* ex dictis ſententiis veritati eſſe convenientiſſimam.

§. XVII.

Prima ſententia καιροὺς ἀναψύξεως reſtringit ad tempus vaſtationem urbis Hieroſolymorum immediate ſequens;

quens ; ita enim, ut ex multis unius verba afferam, *Oecumenius* in hunc locum loquitur : Ἐι τις καὶ τους μετα την ἅλωσιν λεγει καιρους ἀναψυξεως, οὐδεν κωλυει. Καὶ γαρ τους της κακωσεως αὐτων καὶ αἰχμαλωσιας δια τους ἐκλεκτους ἐκολοβωσεν ὁ χριστος, ἵνα οἱ πιστευσαντες εὑρωσιν ἀναψυξιν, καὶ διασωθωσιν ἀπο της σφοδρας ἐκεινης ταλαιπωριας, &c. *Nihil prohibet, quominus tempora poſt vaſtationem Hieroſolymorum vocentur Tempora Refrigerii : propter electos enim Chriſtus tempus calamitatis & captivitatis eorum decurtavit, ut electi recreationem invenirent, & à maxima illa miſeria liberarentur.*

§. XVIII.

Ad hanc vero ſententiam obſervo : α. Quod contrariari mihi videatur nexui. Conjungitur enim atque uno quaſi halitu pronuntiatur *Tempus Refrigerii* cum *adventu Domini*; hic autem adventus eſt vel *primus*, quando venit ad judicium ſuum exercendum in incredulos Judæos, in plenaria urbis & Politiæ judaicæ deſolatione, de qua ipſe Matth. XXVI : 64. ita loquitur : *Ab hoc tempore videbitis Filium Hominis ſedentem ad dextram Potentiæ Dei, & venientem in nubibus cæli.* Aut intelligitur de adventu *ſecundo* ad ultimum judicium, uti ſumitur Act. X : 42. XVII : 31. Si de priori adventu explicetur, quando Chriſtus illuſtri modo ſeſe manifeſtavit, & judicium exercuit in populum illum rebellem & fœdifragum, neceſſario Tempora Refrigerii Hieroſolymorum vaſtationem antecedere debuiſſent : quia adventus ſive miſſio Domini proponitur tanquam ſequens hæc tempora ; quod tamen falſum eſſe exinde patet, quia fideles a Judæis miſere afflicti (Matth. X : 35, 36 Joh. XV : 20, 21. Pſalm. XLIV : 23.) refocillationem neutiquam habuerunt : ſi vero intelligendus ſit adventus ſecundus, abſurde certe hæc tempora ἀναψυξεως ad initium Novi Teſtamenti & verba immediate ſequentia, vocula copulativa καὶ cum iis conjuncta, ad finem ſeculorum referrentur, β. Alterum quod obſervo eſt, quod, etſi

per

per deſtructionem Politiæ Judaicæ perſecutio Chriſtianorum ſub Judæis ceſſaverit, requies tamen fidelium & *ἀνάψυξις* tam exigua fuerit, ut dubitari vix poſſit, quin Apoſtolus ad illuſtriora reſpiciat tempora: Statim enim ac Eccleſia ab afflictionibus Judæorum liberata, ipſi certamen fuit ſubeundum cum Philoſophis gentibus, Chriſtianam Religionem blaſphemantibus, & propter varias illas calumnias graves ipſis perferendæ fuerunt perſecutiones atque calamitates, uti id ex Hiſtoria Eccleſiaſtica abunde cuivis patet.

§. XIX.

Secunda ſententia ea eſt, quæ Tempora Refrigerii refert ad integrum Novæ Oeconomiæ curriculum, cui ſententiæ inter alios favet *Gulichius, Hermeneuticæ ſacræ parte poſter*: §. LXII. quando ita fatur: *Supponit Apoſtolus tanquam notum, multas Eccleſiam inde à tempore, quo Chriſtus poſt paſſiones erat glorificatus, manere tentationes & afflictiones. Illis igitur opponit vices Refrigerii, ſuis ſingulas opportunitatibus & quaſi rerum gerendarum occaſionibus repræſentandas & accelerandas Eccleſiæ. Denique id conſecuturum, ut poſt multos exantlatos labores & perpeſſas moleſtias pro Regno Dei & veritate, atque etiam poſt exhibita Eccleſiæ Tempora Refrigerii Deus mittat reſipiſcentibus, ſeque ex animo diligentibus, ante deſignatum Jeſum Chriſtum. Ad quid autem mittat, niſi ut ſuos reſuſcitet ex pulvere & aſſumat ad ſe, ac devictis omnibus hoſtibus ipſorum ac ſuis, etiam ipſa morte, plenaria ſalute ac gloria eos ſecum coronet.* Alii vero hic cogitant de refrigerio, quod naſcitur ex fide Evangelii, aut liberatione a moleſto jugo legis Moſaicæ, ut *Refrigerium* hic tantummodo opponatur *oneri Ceremoniarum*, non vero æſtui perſecutionum alternis vicibus recurrentium, ut Celeb. Gulichius explicat.

§. XX.

Verum quidem eſt, integrum Novi Teſtamenti

tempus venire ſub nomine καταπαυσεως, Hebr. X. paſſim: *Tum*, quia opponitur Veteri Oeconomiæ, ubi preſſi fuerunt jugo difficili portatu, *tum*, quia ejus finis & conſummatio eſt quies æterna. Verum etiam eſt, quod Eccleſia Novi Teſtamenti alternis vicibus ſemper ſua habuerit Tempora Refrigerii: Sed α. obſtat, quominus de liberatione a Lege Moſis intelligere poſſimus, quod Apoſtolus loquitur in tempore futuro, de Temporibus Refrigerii, quæ nondum advenerant, cum tamen liberatio a lege placitorum illorum non bonorum per Chriſtum jam erat adducta, & nova lex per effuſionem Spiritus Sancti data. β. etiam Refrigerium intelligi non poteſt, quatenus ſuis vicibus inde ab initio Novi Teſtamenti oppoſitum fuit afflictionibus Eccleſiæ: 1. enim Apoſtolus loquitur de Tempore Refrigerii non interrumpendo, ſed cum adventu Domini nullis intervenienribus calamitatibus immediate conjuncto: 2. Sermo Apoſtoli dirigitur in ſpecie ad Judæos, uti patet ex toto contextu: ſub illorum autem nomine intelligendi ſunt, vel illi ſoli, qui in concione hac præſentes erant, vel hæc Apoſtoli monitio reſpicit totam Gentem Judaicam: ſi ad ſolos illos, qui tunc præſentes erant, reſpiciat hæc concio, concipere non poſſum, quare Apoſtolus cum ἀναψυξει, qua iis a perſecutionibus incredulorum Judæorum libertas obtigit, ſtatim conjungeret adventum Domini; ſi vero hæc monitio in genere ad totam Gentem Judaicam pertineat, dici non poteſt, quod tempora αναψυξεως jamjam habuerint, ſed demum exſpectamus tempus illud, quo Iſrael per veram reſipiſcentiam ad Deum converſus ſalvabitur.

§. XXI.

Sententia denique illorum, qui Tempora Refrigerii, miſſionem Domini & ἀποκαταστασιν παντων demum ſecutura putant, α. Nexui plane contraria ſtatuere mihi videntur; cauſam enim ſatis gravem non video, cur

cur Apoſtolus, ſi æternam requiem intellexiſſet, metatheſi verborum uſus fuiſſet, & non potius dixiſſet: *Reſipiſcite igitur & convertite vos ad Deum, ut deleantur peccata veſtra, & mittat prius prædicatum vobis Jeſum Chriſtum, & veniant tempora refrigerationis a conſpectu Domini.* β, Loquitur in numero plurali, de καιροις, *Temporibus*, ut pertineat ad tempora, ſive ſecula mundi potius, quam vero ad æternitatem, nulli rerum ſucceſſioni, nullis rerum viciſſitudinibus obnoxiam; unde Scriptores Sacri in numero ſingulari de illo tempore loqui ſolent. γ. Hic ſermo fit de tali ἀναψύξει, de qua locuti ſunt *omnes* Prophetæ; atque illi non multis vaticinati ſunt de ultimo judicio atqui gloria illud ſecutura, ſed vaticinia illorum potius deſcribunt fata Ecclesiæ in hac terra, ejus viciſſitudines triſtes & lætas, eventus illuſtres, ſignaque temporum.

§. XXII.

Reſtat ergo illa ſententia, quæ ſtatuit *Tempora* ἀναψύξεως & ἀποκαλασασεως παντων, de quibus *omnes Prophetæ* locuti ſunt, illa tempora *Conſolationis* & lætiſſimi ſtatus Eccleſiæ eſſe in hac terra, quæ veram Judæorum ad Deum & ad Regem ſuum, nempe Davidem myſticum, converſionem proxime ſunt conſecutura, & ante conſummationem ſeculorum decurſura. Ratio aſſertionis hujus hæc eſt, quia *omnes Prophetæ* in his diebus *Refrigerii* & *conſolationis* deſcribendis ſuas finiunt Prophetias; unde poſtquam Apoc. X: 7. ab Angelo dictum erat, *diebus vocis ſeptimi Angeli conſummatum iri myſterium Dei, ſicut annuntiavit ſervis ſuis Prophetis;* deinde clangente ſeptimo Angelo dicitur, Apoc. XI: 15. *Omnia Regna facta eſſe Domini noſtri & Chriſti ejus, eumque regnaturum in Secula Seculorum*, & hæc ipſa ſunt *tempora* ἀναψύξεως & *conſumationis*, de quibus Petrus loquitur ex ore *omnium Prophetarum.*

§. XXIII.

Ipſi quoque Judæi communiter perſuaſi ſunt, ſa-

lutem promiſſam in extremis mundi ſeculis non præſtandam, antequam afflictiones & calamitates quammaximas perpeſſi ſint, quas *Dolores Meſſiæ* appellant: Secutura deinde promiſſa a Prophetis in ſinu Eccleſiæ depoſita, quæ, uti ſupra annotavimus, נחמות ſive תנחומין, *Conſolationes*, appellant, in quibus pleroſque Prophetarum vaticinia ſua terminare obſervant; unde inter alia ſigna adventus Meſſiæ ponunt *exhibitionem* omnium illarum נחמות. *conſolationum*, quas Deus ſperare juſſit. Aut nihil video, aut hæc eadem ſunt, quæ Petrus dicit.

§. XXIV.

Et quid impedit, quo minus huic ſententiæ calculum addam, ſi ipſe nexus verborumque ſenſus id poſtulat, quod nunc ex inſtituto oſtendere fert animus. *Connexio* enim horum verborum cum ſequentibus clare nobis indicat, quandonam *Tempus* illud *Refrigerii* ſit exſpectandum; nempe tunc, quando appropinquat reditus Chriſti ad judicium, & quando Deus mox miſſurus eſt Virum, quem ad hoc definivit, ut habitabilem judicet in juſtitia; tempus vero, quo Chriſtus venturus ſit, Apoſtolus indicat verſu 21. quando nempe omnia, quæ Deus per os Prophetarum locutus eſt, *conſummabuntur* & quaſi circulum ſuum abſolvent. Vox ἀποκαλαςασις enim ſignificat quidem 1. reſtitutionem alicujus rei in priſtinum ſtatum, ita enim *Grotius* ad hunc verſum commentatur. *'Αποκαλαςασις Plutarcho, Columellæ, Numenio apud Euſebium, Servio ad Eclogam IV. Gnoſticis apud Irenæum I: 13. & aliis eſt revolutio ſideris in priſtinum locum.* Ita hac voce etiam uſi videntur LXX. Gen. XI: 13. XLI: 13. Job. VIII: 6. Jer. XXIII: 7. 2. Significat rei collapſæ reſtitutionem, *Hiſtoricis* enim, inquit Grotius, ſignificat *quietem redditam rebus turbidis*; ita hac voce utuntur diſcipuli Chriſti, Act. I: 6. quando Chriſtum interrogant, ει εν τω χρονω τυτω ἀποκαλιςανεις την βασιλειαν τω Ισραηλ; 3. Tandem

dem notat conſummatam repræſentationem, plenariam exhibitionem ſive impletionem alicujus rei; ita interpretatur Interpres Syrus & Oecumenius, & Heſychius hanc vocem explicat per τελείωσιν, conſummationem, & obſervante Ligtfooto, vocabula Rabbinorum Judaicorum התקממות vel קיימות quæ conſummationem ſive exhibitionem alicujus rei notant, idem quod ἀποκατάστασις ſignificant; eodem plane ſenſu ſumitur, Matth. XVII: 11. ubi de Elia dicitur ἀποκαταστήσει πάντα. Ex contextu autem facile patet, hic aliter explicari non poſſe, quam de *conſummata repræſentatione* atque *exhibitione* rei promiſſæ vel prædictæ; ἀποκατάστασις enim hæc pertinet ad ea, quæ Deus locutus eſt per Os *omnium Prophetarum*, atqui Prophetæ omnes delineant fata Eccleſiæ in hac terra, atque in deſcriptione conſummati Eccleſiæ Status in fine ſeculorum plerumque Prophetias ſuas finiunt. Calculis nunc bene ſubductis ex collatione verſus 19. cum 21. colligo: *Tempora Refrigerii* cum *temporibus* ἀποκαταστάσεως πάντων, *conſummatæ exhibitionis* omnium, immediate eſſe conjuncta, myſterium autem Dei, teſte Angelo, Apoc. X: 17. *conſummabitur* diebus vocis ſeptimi Angeli: exſpectanda ergo hæc tempora periodo ultima Novi Teſtamenti.

§. XXV.

Senſus ergo Concionis Petrinæ a verſu 18-21. hic eſt: „Deus quidem ea, quæ per Prophetas de „ Chriſti paſſionibus prædixit, implevit, illumque ad „ dextram Majeſtatis ſuæ exaltavit, & cum id ad culmen conſummati Servatoris requiratur, ut ſuos etiam ad ſe aſſumat & in iis glorificetur, exſpectare „ poteſtis, & per veram fidem & reſipiſcentiam accelerare tempora illa lætiſſima, afflictiones Eccleſiæ infallibiliter ſecundum Prophetas ſecutura, & poſt ea „ novam Redemtoris miſſionem; ne tamen illum „ tam cito exſpectetis, multa enim adhuc ſunt im-

„ plen-

„ plenda, quæ Deus prædixit, quæ prædelineato or„ dine ſingula ſuo tempore in Eccleſia gerenda ſunt, „ antequam Tempora Refrigerii, & cum iis conjun„ ctus adventus Domini aderit.

§. XXVI.

Eadem quoque circa hunc locum Celeb. *Lampii* ſententia eſſe videtur, quando ex nexu horum verborum in *Diſſertatione II. de æternitate pœnarum*, Editionis germ. pag. 254. ita loquitur: „Jeſus muſste ſo lan„ ge in dem himmel bleiben, biſs alles, vvas ſo vvohl „ von der hize der trübſahlen als der darauf folgenden „ verkühlung vvar gevveiſſaget, dargeſtellet vvar. Diſs „ gibt einen natürlichen ſchönen zuſammenhang: dar„ aus iſt nun offenbahr, daſs hier nicht auf die zeiten, „ vvelche noch lange nach der zukunft Chriſti müſſen „ ervvartet, ſondern vilmehr auf diejenige, vvelche mit „ derſelben herannahung müſſen vollendet vverden, „ geſehen vverde, in vvelchem der gedemüthigten kir„ chen eine erquickung von der hiz der anfechtung „ vvird gegeben vverden, und zu vvelchen der ſaamen „ Iſraels durch eine aufrichtige bekehrung in dieſem le„ ben muſste vorbereitet vverden.

§. XXVII.

Hæc quoad Nexum dixiſſe ſufficit. Id jam ſupereſt, ut oſtendam, *Tempora* illa *Refrigerii*, ſi ipſam vocis ſignificationem cum Prophetiis de hac re vaticinantibus collatam contemplamur, ultimæ Novi Teſtamenti periodo maxime competere: Quod, ut omnis evitetur obſcuritas, ordine ſupra præfixo, ex ſenſu quem vox ἀνάψυξις admittit præſtabo. Diximus nimirum, eam I. Opponi *ſiti*: Statum ſcilicet Judæorum ſi conſideramus, ſunt adhuc terra ſiticuloſa צמאון, hoc eſt, natio quæ aquis Evangelii & Spiritus Sancti non irrigatur, quique adeo refrigerio aquæ ſalutis maxime indigent. Plurimæ aliæ Gentes ſunt adhuc De-

ſertum

ſertum horridum atque incultum, donis Spiritus Sancti plane deſtitutæ, carentes aqua doctrinæ gratiæ, pluvia matutina & ſerotina. Si ipſum Eccleſiæ ſtatum contemplamur, multis adhuc eget, quæ ultimis temporibus in Prophetiis promittuntur. Tunc ergo erit ἀνάψυξις, reſpectu ſitis & ſiccitatis ſpiritualis, quando *ponetur deſertum in ſtagnum aquarum & terra arida in ſcaturigines aquarum* Eſajæ XXXV : 7. tunc *lætabitur Deſertum & Aridum*, verſu 1. & verum accipient *Refrigerium* Judæi & Gentes, quando ultimis temporibus, ſecundum promiſſum Eſajæ XLIV : 3. Deus *effundet aquam in ſitientem*, hoc eſt, in Judæos: ſitiunt enim illi magis, ut celeb. *Vitringæ* verbis utar, quam Gentes, quippe ardenter deſiderant & cupidiſſime exſpectant Salutem, quam ſibi apud Prophetas promiſſam tenent, licet eam perverſe interpretentur, & conditio illorum in orbe triſtis vere & miſeranda facit, ut majori jure dici mereantur terra ſitibunda, pluviæ inops, quam alius quiscunque orbis terrarum Populus, qui propterea refrigerium quammaxime deſiderant. Sed Deus etiam *effundet fluenta in Aridam*, hoc eſt, in Gentes; Vaſta enim adhuc ſunt Deſerta mundi, exſortia divinæ Gratiæ: Ex hiſce autem de refrigerio Prophetiis præjudicium capere licet de fato Eccleſiæ noviſſimi temporis, quando Deus opus gratiæ ſuæ in converſione Judæorum & Gentium *conſummabit.* Ea enim prærogativa convenit ultimæ Eccleſiæ periodo, *ut terra plena futura ſit cognitione Jehovæ, ut aquæ tegunt fundum maris.* Eſajæ XI: 9.

§. XXVIII.

Sed non modo conditio Judæorum & Gentium, aqua gratiæ divinæ perfuſorum & recreatorum, ſed etiam ſtatus fidelium, ſive Eccleſiæ, omnia priora tempora felicitate ſuperabit: nam *neque eſurient amplius neque ſitient amplius. Quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, paſcet eos, & via dux erit ipſis ad vivos aquarum fontes,*

tes, Apoc. VII: 16, 17. hoc eſt, dona gratiæ & Spiritus Sancti omnis generis Eccleſiæ magna copia impertiet, eamque replebit & inſtruet vera conſolatione, lætitia, clara viarum ejus ſcientia, ut nulla amplius, uti nunc, eſurie & ſiti laboratura ſit, ille enim, *qui eſt* Α *&* Ω, *ſitienti dabit ex fonte aquæ Vitæ gratis*, hoc eſt, copiam divinæ gratiæ, quæ ſiti & deſiderio Eccleſiæ antecedentium temporum ſatisfaciat, conſolationemque ex inexhauſto fonte uberrimam: confer. Apoc. XXII: 17. Ex dictis clarum eſſe mihi videtur, *Refrigerium*, quatenus *ſiti* oppoſitum eſt, ratione Judæorum & Gentium, & non minus Eccleſiæ, ultimis illis temporibus adventum Domini immediate anteceſſuris optime convenire, ut dubitari vix poſſit, quin Apoſtolus eo intenderit.

§. XXIX.

II. Res vero clarior fiet, ſi nunc porrò conſideramus, quod *Refrigerium*, quatenus opponitur *æſtui*, de quo omnes Prophetæ loquuntur, nonniſi ad ultima tempora poſſit referri. Stylo emblematico Sol acutus, Ἥλιος ὀξὺς, æſtuans, in Scriptura ſignificat caſtigationes divinas, in Eccleſiæ perſecutionibus fideles affligentes; Quæ Dei judicia Soli comparantur, quia ex cœlis in terram miſſa homines obruunt, quæ exſequuntur hoſtes incenſi ac incitati odioque flagrantes Principes, quorum furor ira & vindicta incenſus miſeros & omni præſidio deſtitutos acriter perſequitur: ſimili deſumto ab hominibus, in deſerto aliquo absque ullo latibulo atque umbraculo vagantibus, quos Sol æſtuans, illi ita expoſitos, urit & pungit, imo quaſi exurit, atque ita perſequitur, ut illos non ſinat quieſcere, ac omni refrigerio privet. Ut ad inſtitutum nunc redeamus, ſupponit Petrus, tanquam ex Prophetis notum, Judæos non ſolum, ſed & Eccleſiam, inde ab initio Novi Teſtamenti ad ultimam usque periodum, multas paſſuram calamitates

atque

atque perſecutiones: ſtatum enim Judæorum, qualis inde ab iis temporibus, quibus Petrus hæc locutus eſt, ſi conſideramus, tremendis ſunt expoſiti divinis judiciis, *diſperſi, palabundi, & cœli & ſoli ſui extorres, vagantur per orbem, ſine homine, ſine Deo, Rege:* inquit de illis *Tertullianus.* Adeo ut omni plane auxilio & umbraculo, æque divino ac humano, deſtituti ſint, & quo ab æſtu inimicorum ſuorum ſe recipiant, non habeant. Statum vero Eccleſiæ ſi contemplamur, huc uſque ſimilis fuit tentoriis Meſech & Kedar, vagans in deſerto, expoſita odio & furori Principum magnorum & potentium, qui falſo ſuperſtitionis zelo flagrantes, in Eccleſiæ exitium ſemper conjuncti, eam nituntur perdere; & vehementioris perſecutionis æſtum, ſequentibus adhuc temporibus Eccleſiæ perferendum, vaticinia nos dubitare non ſinunt.

§. XXX.

Secundum autem ſeriem fatorum Eccleſiæ à Prophetis delineatorum, ſequentur deinceps tempora ἀναψύξεως. Emblema, quod huic voci ſubeſt, eum notat Eccleſiæ ſtatum, quo illa, ab omnibus perſecutionibus & afflictionibus libera, ſub *umbraculo* alarum divinæ providentiæ tuta & ſecura erit, ad quem perfectiſſimum ſtatum Eccleſia, omnibus ejus inimicis, æque ex Paganiſmo ac Antichriſtianiſmo, devictis perveniet. Apoſtolum vero ad illuſtria quædam reſpexiſſe vaticinia, quæ ultimæ Novi Teſtamenti periodo ejusmodi ab æſtu refrigerium promittit, dubitare vix licet; loquitur enim, ut de re nota & in Prophetarum effatis contenta. Duo præ cæteris ſeligimus loca, quæ Petrus ob oculos habuiſſe videtur, quorum alterum extat Eſajæ XXV: 5. alterum autem Cap. XLIX: 10. utrumque ſub finem ſextæ & ſeptima Novi Teſtamenti periodo implendum, inde Apoſtolum Phraſin ſuam mutuatum eſſe, ex Celeberrimo *Vitringa* ſentio, qui in Comment. ſuo in Eſajam,

ad

ad Cap. XXIV: 23. Tomo II. p. m. 31. ita de hac re ſententiam ſuam exponit: *Annon vides idem eſſe, quod Petrus in Oratione ſua ad Judæos, exſpectari jubeat* καιρες ἀναψύξεως, *tempora Refrigerii.* (*Act. III. 19.*) *Emblema, quod phraſi ſubeſt, deſumtum eſſe ex Cap. XXV. 5. ubi Deus æſtum perſecutionis dicitur temperaturus eſſe Refrigerio denſæ nubis, ſoli urenti objiciendæ.* Et ad Cap. XXV: 5. Tom. II. pag. m. 44. ita loquitur: *Eadem metaphora occurrit in ampliſſima deſcriptione ſolatii Eccleſiæ, Cap. XLIX. 10. quam phraſin, ut & noſtri loci, imitatus eſt Petrus, ubi loquitur de temporibus* ἀναψύξεως, *refrigerii, & Johannes Vates, in Apoc. cap. VII: 16. coll. cum Pſalmo CXXI. 6.*

§. XXXI.

Ut res eo clarior fiat, paucis & ſenſum & implementum horum locorum inquiremus. Prior, qui extat cap. XXV: 5. ita habet: *Tanquam æſtus in ſiccitate eſt tumultus hoſtium. Humilias æſtum umbra denſæ nubis.* Continent hæc verba promiſſionem, qua Deus ſe præſtiturum ait, Eccleſiæ ſuæ Refrigerium, & æſtum perſecutionum temperaturum eſſe, veluti ſit interjectu craſſæ nubis. Implementum autem vaticinii hujus Celeberrimus Commentator ita oſtendit, ut α. demonſtret, quod impletionem ſuam προληπτικην temporibus Maccabaicis perfecte conſecutum ſit; β. deinde ex hypotheſi ſua, quod aſpectus Eccleſiæ ſextæ periodi ſimilis futurus ſit Eccleſiæ Maccabaicæ, oſtendit, quod Myſticus hujus Prophetiæ ſenſus quærendus ſit in ultimis ſextæ & initio ſeptimæ periodi, ubi Deus Eccleſiam, *æſtu* ſeverioris perſecutionis preſſam, vindicaturus erit, eique largiturus ἀνάψυξιν, *refrigerium*, quod Gentium Judæorumque ſecutura eſt converſio.

XXXII.

Alter huic ſimilis locus extat Cap. XLIX: 10. parte poſt: *Et non feriet illos æſtus & ſol.* Poſtquam ſcilicet

licet Eccleſia Chriſti per longi temporis tractum perſecutionibus afflicta eſt, Deus illi erit inſtar nubis illius, quæ Iſraëlem in deſerto Arabiæ contra intolerabilem ſolis æſtum obumbravit.

§. XXXIII.

Simili plane modo *tempora* hæc *Refrigerii* deſcribuntur à divo Johanne, Apoc. VII: 9. & ſeqq. ubi mentio fit turbæ multæ ex omnibus gentibus, quæ venit ex magna afflictione, ipſis à Regibus & Principibus perſecutoribus æſtu odii flagrantiſſimi in illos inflammatis illata; quæ turba hoc erigitur ſolatio, quod inſidens throno protecturus ſit illos *umbraculo*, quod in illos caſurus ſit neque ſol, neque ullus novæ afflictionis *æſtus*.

§. XXXIV.

In omnibus autem phraſibus, quæ hic occurrunt, ad feſtum Tabernaculorum alludi, negare nemo poterit; dicitur enim, quod turba illa magna, qualis olim ad hoc feſtum celebrandum confluebat, geſtet palmas in manibus ſuis, quod in illo feſto in uſu erat, quando Judæi ramos ſalicum, palmarum & myrthorum colligatos, quos לולבים nominant, gerere ſolebant: deſcribuntur porro tanquam cantantes, uti fieri ſolebat in hoc feſto, quando Hoſanna identidem repetebatur, unde illud feſtum à Judæis dictum fuit הושענא רבה, *Hoſanna magnum.* Additur, qui inſidet throno, σκηνώσει ἐπ' αὐτȣς: reſpicitur itidem ad habitationem in tabernaculis סוכת, quæ Iſraelitæ juxta legis præceptum ex frondibus viridibus conficiebant. Et Agnus deducet eos ad fontes vivos aquarum; alluditur iterum ad ritum ſingularem in feſto Tabernaculorum, quando aquas hauriebant ex fonte Siloah: uti prolixe explicat Celeb *Vitringa.*

§. XXXV.

Cum ergo certum ſit, ea hic repræſentari tempo-

ra, quæ per Feſtum Tabernaculorum fuerunt præfigurata, hinc conficimus, tempora illa ἀναψύξεως, quæ à Prophetis Veteris & Novi Teſtamenti deſcribuntur, & quorum Petrus ex ore Prophetarum mentionem facit, eſſe ea, quæ exſpectantur in fine *anni* illius *accepti*, quando Eccleſia cum lætitia & pace hic aget in terra, illisque fruetur bonis, quæ Deus noviſſimæ Eccleſiæ temporibus deſtinavit. Quando magnus ad Eccleſiam erit confluxus, Populorum, id eſt, Gentium æque ac Judæorum ad Deum converſio, ſumma ubique lætitiæ & ſalutis demonſtratio, propter bona, per tot ſeculorum curſum exſpectata, tandem adducta & præſtita, & dona gratiæ & Spiritus ſancti omnis generis maxima impertientur affluentia, Eccleſiaque ſub umbone divino in ſtatum maximæ libertatis atque ſecuritatis erit vindicata. Et quia peccata æque Eccleſiæ ac Judæorum omniumque populorum in cauſa ſint, cur Deus juſta ſua judicia erga eos exerceat, requiraturque reſipiſcentia & vera ad Deum converſio, antequam Deus adducat læta illa tempora, hinc Apoſtolus Petrus hæc duo conjungit, requirens converſionem ad Deum, ut veniant *tempora refrigerii*, quæ tanquam converſionis fructum conſiderat.

§. XXXVI.

III. Ad tertiam nunc ſignificationem tranſeo, quam vox ἀνάψυξις admittere poteſt, quando etiam ſuavem à labore requiem & refocillationem ſignificat; Labor autem ille in Sacris Paginis etiam peccata noſtra exprimit. Hoc ſenſu ſi *Refrigerium* accipiatur, tempora ἀνάψυξιν adducentia eodem quo ſupra diximus tempore verum ſuum ſortiuntur implementum. Scilicet tunc præcipue, quando vera Iſraëlis, ad quos in verſu noſtro ſermo eſt, omniumque populorum à peccatis ſuis ad Deum erit converſio, & ita plenitudo Gentium introibit, & totus Iſrael ſalvabitur; *verum* enim tunc temporis ipſis obtinget ab operibus ſuis,

ſive

ſive labore iniquitatis, *refrigerium*, quando illi, qui adhuc gemunt ſub ſeveritate judicii divini, propter peccata in ipſos excitati, denique in gratiam recipientur, atque ita perducentur ad agnitionem peccatorum ſuorum, ad notitiam & fidem Meſſiæ, quando *veniet ex Zione Liberator, & avertet impietates à Jacobo*, uti Apoſtolus Paulus, Rom. XI: 25. 26. ex Eſajæ LIX: 20. de hoc myſterio loquitur, quorum *verborum ſenſus eſt*, inquit, Celeb. *Vitringa, finem adventus Meſſiæ, quo ſe manifeſtum faceret Populo Judæorum, fore, ut eos ad ſinceram perduceret reſipiſcentiam à graviſſimis criminibus, à majoribus per longum tractis, incredulitate, inquam, obduratione cordis & blaſphemia veritatis Evangelicæ, in quibus hucusque perſtiterant; quo gratiæ ejus cum pœnitentia evaderent participes*: Ex hiſce iterum ſatis evidenter conſtare mihi videtur, Apoſtolum Petrum, quando ad reſipiſcentiam monet Judæos, ipſisque ex ore Prophetarum καιρὺς ἀναψύξεως promittit, ea intelligere tempora, quibus à peccatis ſuis ad Deum ſe convertent Judæi, atque ita à judiciis propter peccata ipſis inflictis *refrigerium* accipient; quæ cauſa eſt, cur Apoſtolus ἀνάψυξιν, ut reſipiſcentiæ fructum, deletioni peccatorum adjungit.

§. XXXVII.

IV. Quartum eſt, quod ſupra monuimus, cum ἀνάψυξις opponatur Labori, ea eſſe tempora ἀναψύξεως, quibus à labore ceſſantes nos ab eo recreamus; ita Sabbathum reſpectu reliquorum dierum eſſe diem ἀναπαύσεως atque recreationis: quod adeo liquidum mihi videtur, ut probatione opus non habeat. Quod autem verum eſt, ratione operum naturæ ſive typi, id etiam verum eſt ratione operis gratiæ ſive antitypi; ſicuti enim ſex diebus opera naturæ fuere abſoluta, & ſeptimo ſecutum eſt Sabbathum, ita exſecutio magni illius operis gratiæ tot diebus majoribus abſolvetur; ſive, ut clarius me explicem, ἑξαήμερον illud creationis, & omnia opera ejus, fuerunt figura omnium fa-

torum atque viciſſitudinum Eccleſiæ, tum Veteris tum Novi Teſtamenti, & ſex illi dies creationis primæ fuerunt typus ſex millenniorum creationis ſecundæ, ſabbathum vero primum millennii ultimi, quod ex profeſſo probatum dedit celeb. *Lampius*, *de Fœdere Gratiæ, Tomo II. Cap. 5. pag. 159.* ſeqq. hæc eſt cauſa cur Moſes, Pſalmo XC: 4. typum cum antitypo comparans dicit, *unum diem apud Dominum eſſe ut mille annos, & mille annos ut unum diem.* Niſi enim prius ad typum creationis referatur, & poſterius ad Antitypum tot millenniorum illi reſpondentium, ταυτολογια ſtatueretur, nec ſatis gravis ratio dari poſſet, cur Author hujus Pſalmi hæc reciprocaret. Si autem quis malit, Sabbathum ſive periodum hebdomadæ typum geſſiſſe ſeptem periodorum Novi Teſtamenti, ille non tantummodo me, ſed & Sacram Scripturam, habet conſentientem; cum Vetus Teſtamentum quidem cœlo & terræ comparetur, Novum vero novo cœlo & novæ terræ; eaque quæ evenerunt ſub Veteri Teſtamento, typum geſſerunt eorum quæ fiunt ſub Novo Teſtamento; ut adeo prima creatio præfiguraverit, & totum tempus creationis ſecundæ, & ſeorſim ſeptem Novi Teſtamenti periodos. Sed quocunque modo intelligas, Antitypus Sabbathi erit ultimum tempus, ubi vera erit καταπαυσις.

§. XXXVIII.

Cum ergo Sacra Scriptura ultimam periodum ita à reliquis diſtinguat, ut ei ſoli veram quietem adſcribat, hinc amplius mihi nullum dubium eſt, Prophetas, & ex iis Petrum, quando modo tam illuſtri de *temporibus refrigerii* loquuntur, digito quaſi monſtrare antitypum illum Sabbathi primi, quando Eccleſia omnibus antecedaneis laboribus exantlatis vera gaudebit requie.

§. XXXIX.

Quæri autem poſſet, cur Apoſtolus loquatur in plurali

plurali numero de *καιρούς*, ſi ad ultimam tantum Novi Teſtamenti periodum *tempus refrigerii* ſit referendum, non vero ad varias Eccleſiæ viciſſitudines & mutationes? Ad hoc reſpondemus, quod & ultima hæc periodus ſuas habitura ſit viciſſitudines & gradus. Quemadmodum nimirum opus primæ Creationis eſt typus tum omnium temporum in genere, tum ſeptem periodorum Novi Teſtamenti in ſpecie; Ita ultimum Novæ Oeconomiæ tempus ſeorſim conſideratum iterum erit creationis Antitypus, quæ cauſa eſt cur divus Johannes, Apoc. XXI: 1. ex Eſajæ LXV: 17. & LXVI: 22. de eo loquens dicit: *Deinde vidi cœlum novum & terram novam, primum enim cœlum & prima terra abierat:* Cum ergo phraſibus de creatione prima deſumtis utatur, & loquatur de creatione novi cœli & novæ terræ, hinc dubitare non licet, figuram creationis illo tempore de novo ſuum ſortituram eſſe implementum; unde periodus illa in ſeptem alias iterum dividenda, quæ ſeptem diebus Feſti Tabernaculorum fuerunt præfigurata, quamvis non negem, feſtum illud etiam totam œconomiam Novi Teſtamenti præfiguraſſe. Ex his nunc facile patere mihi videtur, quare Apoſtolus in numero plurali de *temporibus* loquatur.

§. XL.

Alia adhuc objectio, quam *Ligtfootus* movet, brevibus eſt diluenda; dicit nimirum, juxta hanc ſententiam tempus hoc multum diſtare à temporibus Petri, qui tamen tempora illa refrigerii & exhibitionis omnium, de quibus Prophetæ vaticinati ſunt, jam iſthoc tempore Judæis pollicitus ſit, ſi reſipiſcerent. Reſpondeo ſecundum tenorem omnium Prophetarum, *tempora refrigerii univerſalis* exſpectari non poſſe, antequam Judæi ad Deum & Meſſiam fuerint converſi, quod ſignum illius temporis eſt, quia autem Evangelium hucuſque à Judæis fuit rejectum, pau-

ciſſimique temporibus Apoſtolorum ad Deum fuerunt converſi, adeoque conditio, ſub qua Petrus tempora refrigerii promittit, non fuit impleta, ergo demum tunc refrigerium illud exſpectandum, quando Judæi hanc conditionem præſtiterunt.

§. XLI.

Hæc ſunt, quæ de *temporibus refrigerii*, de quibus Petrus loquitur, dicere conſtitui. Ex dictis vero concludo, quod ſententia illa, quam propugnavi, nec nexui, nec ſenſui verborum, nec analogiæ fidei, nec aliis ſcripturæ locis de eadem re agentibus, repugnet, adeoque præ omnibus aliis veritati ſit conſentanea. Si quis autem aliter ſentiat, & melioribus ſe niti argumentis credat, ei liberum eſto à me diſſentire; nemini quicquam obtrudo. Utinam myſterium illud mox conſummaretur, & redemtio Iſraclis veniret ex Zione, ut *conſolationum*, quas exſpectant, mox participes fierent, & ita poſt ἀποκαταςασιν παντων ante prædicatus Jeſus veniret!

Ἀυτῷ Δοξα.

* * * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * *

V. SIM-

V.

SIMPLICII VERINI
Animadverſiones Criticæ,
in
LUDOVICI COCHETI
Noviſſimam
Diſputationem Theologicam,
In qua Doctiſſ. Auctor
Orthodoxorum, Remonſtrantium ac Socinianorum Syſtemata
Synthetice deducta, ſe exhibiturum promittebat.
Lauſannæ: 4. 1736. pl. 10.

§. I.

CUm ſcopus Clariſſ. Editoris *Tempe Helv.* ſit, ut non tantum Obſervationes & Diſſertationes nondum publici juris factas, ſed & alias jamjam excuſas, quæ Orbi Erudito inſignem afferre poſſunt uſum, huic ſuæ Collectioni inſerat, mihi nullum eſt dubium, quin Vir Celeb. Summario huicce ſolidiſſimæ Diſſertationis Amici ſingularis mei, *Ludovici Cocheti*, etiam ſpatium aliquod concedat. Ita nimirum comparata eſt hæc Diſſertatio, ut vel ipſa mole jamjam ſpectabilem ſeſe reddat, pleraſque alias magnitudine vincat, & admirationem propterea apud Doct. Authoris populares commoveat. Verum quidem eſt, quod ne vel fando quidem unquam audiverim, Theologiam hactenus methodo tam egregia atque clara fuiſſe edoctam, ut Doctiſſimus Cochetus primus operis tam inſignis inventor meri-

to habendus ſit; ſed quis propterea non magna de præſenti opere exſpectaret? cum Author ejus ex illis proſapiam ſuam ducere videatur, quibus incredibilis illa animorum & mentis ad omnia capacis motus, & ingeniorum celeritas ita à benigno Numine infuſa eſt atque conceſſa, ut prodigii inſtar apud eos habeatur, ſi inter alias gentes ingenioſus, acutus aut ſolers quisquam reperiatur.

§. II.

Eleganti huic, &, ut veris appellationibus utar, tenui & vix aſpectum ferenti merci ſplendida ſuſpenſa hedera hæc eſt: *Diſſertatio Theologica, Orthodoxorum, Remonſtrantium, ac Socinianorum Syſtemata ſynthetice deducta, exhibens, quam, Deo Duce, Præſide Viro Plurimum Venerando D. Abrahamo Ruchat, V. D. M. S. S. Theologiæ Profeſſore digniſſimo, pro viribus publice defendet Ludovicus Cochet, S. S. Theologiæ Stud. Author & Reſpondens, Lauſannæ.* &c. Quis non vel ex ipſo titulo ingentis utilitatis ſperaret opus! cujus nunc inſignius unum aut alterum producam documentum. Et id certe non facerem, niſi mereri virtutem & eruditionem Doct. Cocheti cenſerem, ut majori in lumine collocetur: Sed immenſum ingredior iter, in quo terminos aut metas nullas videre aut contingere mihi liceret, ſi omnia obſervatu digna exponere vellem.

§. III.

In proœmio hujus Diſſertationis & finem & uſum Doct. Author declarat. *Cum nimirum Theologi Proteſtantes in varias abeant ſententias, & inde miſere ſcindatur Eccleſia Reformata, multum intereſſe, ut noſcamus, in quo conſentiant vel diſſentiant Theologi, ut veritatem aſſequamur, eam ab innumeris quæſtionibus oppreſſam liberemus; errantes ab erroribus revocemus: difficultatem vero hujusmodi notitiam ſibi comparandi inde eſſe, quod Theologi tractatus ſuos hoc modo conficiant, ut iis perluſtratis in univerſum eos de uno aut*

altero

altero Religionis articulo tali & tali modo ſentire colligatur, eorum vero ſententias rationes prorſus vel fere ignorentur vel imperfecte cognoſcantur; ut autem incommodum hoc vitetur, Principiorum & Conſequentiarum, quas ex illis nectunt Theologi, cognitionem requiri: Tractatum vero, cujus ope talis cognitio comparari poſſit, adhucdum deſiderari. Hujuſmodi Tractatus ingentem deinde Doct. Author oſtendit uſum, quippe qui inſerviret ad tuendam & oppugnandam ſententiam, ex quo Logomachiæ animadvertantur, qua ratione ſtudia noſtra dirigenda ſint, quinam Authores legendi intelligatur; Talem autem tractatum hactenus deſideratum, qui hoſce uſus præſtet, & ex quo Theologorum ſententiæ & rationes intelligi poſſint, in hac Diſſertatione exhibiturum promittit.

§. IV.

Gloriatur, non nimis quidem, ut mihi videtur, pro Theologiæ ſtudio modeſtiam exigente, Doct. Author, ſe, quod hactenus non deprehenderunt Theologi, inveniſſe. Poſt tot Viros Doctos exortus eſt oculatior cæteris, qui vitium ab omnibus neglectum emaculavit. Theologi nimirum Proteſtantes hactenus tractatus ſuos ita confecerunt, ut ex iis tantum intelligatur, quid in uno vel altero religionis articulo ſentiant, eorum autem ſententiæ rationes prorſus ignorentur. Miſeram ſcientiæ Theologicæ ſortem! Theologorum ſententiæ rationes hactenus ignoratæ; tantum, quid in uno vel altero articulo ſtatuant, cognitum. Sed nunc demum maximus inter Theologos Heros & Coryphæus prodit, qui mutila & obſcura ſummorum Theologorum ſyſtemata in ordinem redigit, qua ratione Theologia in poſterum docenda, oſtendit. Oh incognitum aliis gentibus arcanum! Hæc ſane ſunt magnifica & manifeſta argumenta, in Helvetia adhuc ſupereſſe, qui ignorata Theologis ſummis hodie in clariſſima luce ponunt. Et utinam ſub tali Magiſtro mihi puero & juveni creſcere licuiſſet! Utinam ab ore tam erudito pendere mihi

datum fuiſſet! Nunc demum aliorum ignorantia, & in re Theologica ruditas, ſatis apparet. Omnibus numeris abſolutum Syſtema Theologicum in lucem producitur. Aſt tædet me, longo & pleno moleſtiæ & ut ita dicam ærumnabili labore, quem in excutiendis Theologorum ſcriptis exhauſeram, tempus impendiſſe; demum ex hac diſſertatione, quid Theologi ſentiant, ſatis intelligo.

§. V.

Sed ne eruditum Lectorem prolixis detineam Elogiis, ad inſtitutum redeo. *Fontes* (hac nimirum voce utitur de vulgatiſſimis loquens Syſtematibus Theologicis:) Doct. Author deinde aperit, qui ipſi adeundi fuerint, & quinam legendi Authores, cum potiſſimum celebriorum inter Reformatos *Sectarum* opiniones tradere ſuſceperit, Orthodoxorum ſcilicet, Remonſtrantium & Socinianorum. Ubi non negligenda mihi videtur nota, quam in calce paginæ adjicit, in qua ſingulare ingenii & eruditionis edidit monumentum, quando ſe explicat, quosnam per *Sectas* illas Reformatorum intelligat. Ne nempe eruditus Lector exiſtimet, Authorem tantum de *Secta* Orthodoxorum (egregium Eccleſiæ fidelium nomen!) acturum, dicit, *per Reformatos ſe intelligere quoscunque Chriſtianos, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſerunt.* In ſcenam prodituram ſperavi *Sectam* Lutheranorum, & Sectam Anabaptiſtarum, quippe qui ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt, ſed apparent *Secta* Orthodoxorum, Remonſtrantium & Socinianorum; quaſi poſteriores ab Eccleſia Romana, & non potius ab Eccleſia vera, ſeceſſionem feciſſent. Quos omnes communi Chriſtianorum nomine, Socinianos æque ac Orthodoxos, complectitur. Ex his nunc facile deprehendit Benev. Lector, quid de ſequentibus ſperandum.

§. VI.

His nunc præmiſſis, propoſitum adgreditur Doct. Author,

Author, & Orthodoxorum Syſtema ſecundum methodum propoſitam excutit. Ubi ipſi, ſagaciſſimæ mentis beneficio, re diu multumque deliberata, in mentem venit, *Principium & fundamentum Theologiæ Chriſtianæ eſſe ſtatum hominis in peccatum lapſi, tum in ſe ſpectati, tum reſpectu juſtitiæ divinæ.* Accurrite nunc Theologi, adeſte Cocceji, Altingii, Witſii, Vitringæ, Lampii! & quotquot ſummorum Theologorum nomine orbi Chriſtiano noti eſtis; addiſcite nunc demum verum principium & fundamentum Theologiæ: *Eſt ſtatus hominis in peccatum lapſi.* Si recte ſentio, Principium eſt talis veritas, ex qua omnes reliquæ veritates & dogmata doctrinæ alicujus, per neceſſarium nexum & conſequentiarum concatenationem, demonſtrari poſſunt. Aut multum fallor, aut Doct. Author idem per Principium ſignificare vult. Hoc ſenſu tamen concipere non poſſum, quomodo ſyſtemata contraria ex eodem Principio fluere poſſint, ut Author ſtatuit, omnibus tribus *Sectis* idem principium attribuens. Sed quænam nunc illa veritas? quodnam Principium Theologiæ omnium veritatum Theologicarum quaſi fons & fundamentum? *Eſt ſtatus hominis in peccatum lapſi.* Egregie! Theologia, vel vi vocis, ex conſenſu omnium Theologorum, eſt Doctrina de Deo ejusque glorificatione per opera ſua. Sed principium & fundamentum Theologiæ *eſt ſtatus hominis in peccatum lapſi*, hoc eſt, profundiſſimum omnis miſeriæ & tenebrarum barathrum; & ex hoc barathro nunc tota de Deo doctrina methodo nova derivari debet. Dei, circa quem tota verſatur Theologia, nulla fit mentio. Nova certe methodus Theologiam docendi, hactenus revera ignota: *Principium & fundamentum Doctrinæ de Deo eſt ſtatus hominis.* Si amiciſſimus & Doct. Author dixiſſet: Objectum & veritatem fundamentalem Theologiæ, & reliquarum quaſi principium, eſſe Manifeſtationem Gloriæ Dei in hominis peccatoris Salvatione, forſan à ſententia

Theo-

Theologorum non multum receſſiſſet. Sed, ut verum fatear, tunc non fuiſſet methodus hactenus deſiderata, in qua στυλος καὶ ἑδραίωμα omnis veritatis Theologicæ eſt *ſtatus hominis in peccatum lapſi*. Singulare certe ingenii capitalis monumentum!

§. VII.

Poſtquam ita Doct. Author *opinionum* (uti ipſe vocat) *Sectæ* (verbis Doct. Authoris uti ſemper amo) Orthodoxorum principium & fundamentum poſuiſſet, deinde reliquas Veritates (ſive opiniones, ut proprio vocabulo utar) per neceſſarium conſequentiarum nexum deducit & demonſtrat. Nempe quomodo? Proxima conſequentia, quam ex prima hac & capitali veritate & reliquarum omnium fundamento elicit, eſt *Status Hominis ante lapſum*, ubi agit *de imagine divina, de libertate in qua homo conſtitutus erat, de fœdere naturæ;* (forſan exiſtimat Benev. Lector, Doct. Authorem neceſſitatem fœderis naturæ demonſtrare ex relatione mutua, quæ fuit inter Creatorem & hominem ad imaginem ejus creatum; ſed nova methodus hactenus deſiderata *opiniones ſectæ* Theologorum Orthodoxorum ex primis ſuis principiis per neceſſarium nexum demonſtrandi conſiſtit in nuda narratione hiſtorica; nempe *poſtquam Deus hominem ita creavit, fœdus cum eo pepigit*) agit deinde *de lege poſitiva, ejus violatione per peccatum, & amiſſione imaginis divinæ, de ſtatu poſterorum Adami, ubi de peccato Originali.*

§. VIII.

Non omittenda hic nota, quam Doct. Author addit, quando ad vocabula *Peccatum Originale* infra ita obſervat: *Hinc ſequitur, quod, ut actus ſit peccaminoſus, neceſſe non ſit, ut fiat ſcienter & Sponte.* Indicium ſummæ perſpicacitatis & eruditionis! Datur peccatum originale, ergo ad actum peccaminoſum non requiritur, ut fiat ſponte: Quaſi unum alterum excluderet; quaſi anima non in primo exiſtentiæ ſuæ momento prædita

eſſet

eſſet voluntate, & per conſequens, quicquid agit, cum voluntate, vel, quod idem eſt, cum ſpontaneitate ageret; quaſi actus peccandi voluntatem ſive ipſam animæ eſſentiam præcederet. Sit ergo, quod ad naturam peccati requiritur, ut fiat ſponte, & Deus (abſit blaſphemia dicto) ne quidem juſtus judex eſſe poſſet, ſi actum invite & coacte commiſſum puniret, cum id puniret, cujus homo contrarium voluit; quod prolixe demonſtrare facile eſſet, & de quo inter Theologos & Philoſophos ita convenit, ut nullus unquam, qui claram de juſtitia divina & natura peccati habet ideam, id negaverit. Sed forſan hoc ipſum pertinet ad methodum hactenus deſideratam.

§. IX.

E diverticulo redeo. Expoſito ita ab Erudit. Authore ſtatu hominis inſtituto & deſtituto, tranſit ad ſtatum reſtitutum, ubi elegantiſſimus conſiderandus eſt nexus, (Author enim methodo hactenus deſiderata omnia ex principio ſuo per neceſſarias conſequentias deducit) qui ita habet, dignus enim eſt ut integer & verbotim hic ponatur: *Sed in Deo datur juſtitia ultrix, cui repugnat, ullum peccatum relinquere inultum. Atqui homo, qui peccavit, huic neceſſario obnoxius eſt. Quomodo ergo Deus ſeſe erga genus humanum geret? an vult totum in æternum perire? Minime, noluit totum genus humanum æterno quod merebatur exitio involvi, ideoque* &c. Idem eſt ac ſi diceret, in Deo datur juſtitia ultrix, ergo hominem non vult punire. Deus non poteſt non velle peccatum punire, ergo non vult punire. Nunc demum incipio ſcire, quid ſit veritates per nexum & conſequentias neceſſarias ex primo ſuo principio deducere. Nunc demum percipio, in qua re methodus illa hactenus deſiderata proprie conſiſtat, absque qua *Opiniones* Theologorum intelligi non poſſunt.

§. X.

Cum itaque Doct. Author liberationem hominis ex

ex juſtitia ultrice demonſtraſſet, dicit: *Deum ea quæ ad ipſius ſalutem pertineant, non modo decreviſſe, ſed & executioni mandaſſe, & propterea novum fœdus cum homine pepigiſſe. Ut nimirum lapſus homo atque corruptus æternæ felicitatis compos fiat, requiri, ut juſtificetur, adoptetur & ſanctificetur; cum vero hæc ab homine præſtari nequeant, neceſſe eſſe, ut ab alio vice hominis præſtentur.* Impoſſibilitatem autem hæc præſtandi a parte hominis, inter alia hoc argumento demonſtrat: *Tandem, an imaginem Dei in ſe reſtituere valebit, cum Deus illum ea privaverit?* Hæc hauddubie ex intimo Theologiæ adyto deprompta ſunt. *Deus hominem imagine ſua privavit.* Culpa amiſſæ imaginis in Deum rejicitur: Non tamen ipſe ſe ea privavit, ſed Deus. Bone Deus! Quantum eſt quod ante methodum hanc diu deſideratam neſcivimus!

§. XI.

Demonſtrata itaque Mediatoris neceſſitate, ex eo, quod Deus hominem imagine ſua privavit, Author agit de Decretis; Nexus inter utrumque ita habet: *Ex ſupra dictis facile intelligimus, quænam Decretorum divinorum, ſalutem hominum & Fœdus gratiæ ſpectantium, ſit natura. Ac ſi Deum de ſalute & mediis ad illam obtinendam neceſſariis decernentem conſideremus, illum per ſuum Decretum ea media exequi, ac eo ipſo, quos ſalvare vult, infallibiliter ad ſalutem perducere ſtatuentem agnoſcere cogimur, præſertim ſi reputamus, ſalutem & media ad eam conſequendam neceſſaria ab homine nullo modo pendere.* Nunc demum agnoſco ſtupiditatem ingenii mei, hæc enim adeo ſublimia mihi videntur, ut captum meum ſuperent. Sed nolo in detegendo horum verborum ſenſu & elegantia diu deſudare miſer, quia nec otium nec voluntas mihi eſt omnia laudandi, nec in indagandis tanti Viri egregie dictis gloriam ſitam eſſe magnam aut utilitatem credo.

§. XII.

Oſtenſo itaque nexu Author agit de Decretorum natura

natura, eamque pro accurata ſua ſoliditate ita exponit, ut Decreta de hominis ſalvatione ex hominis lapſu & ad ſatisfaciendum divinæ juſtitiæ impotentia potius, quam vero utrumque & lapſus permiſſionem & hominis ex miſeria liberationem ex mera Dei gloriam Juſtitiæ & Miſericordiæ manifeſtandi Voluntate derivet. Sed hæc methodo hactenus deſideratæ adſcribenda, quæ omnia Dei opera, æque interna ac externa, ex primo ſuo Principio, nempe *Statu hominis poſt lapſum*, deducit.

§. XIII.

Decreta exequendi modum ratione Electorum Author ita explicat, ut, *cum Deus decreverit hominem juſtificare, adoptare, ſanctificare & glorificare*, oſtendat *1. Quid Chriſtus in hoc negotio præſtare debuerit? 2. Quid Deus? 3. Qua ratione nobis hæc beneficia communicentur?* Quoad Chriſtum dicit, *clarum eſſe, ipſum in hoc negotio Mediatorem agere.* Sed certe, quomodo hoc ex ſupra dictis clarum ſit, ego videre non poſſum: Quis enim Chriſtus ille ſit, & quam relationem in negotio gratiæ habeat, nullibi oſtenſum; ut ſi Lector ignarus, qui ex nova hac methodo articulos Religionis Chriſtianæ addiſcere vellet, in quo orbe verſaretur, aut quis ſit ille Mediator, neſciret. Ut porro clarum eſſet, Chriſtum in hoc negotio Mediatorem agere, quantum quidem ego video, opus fuiſſet oſtendere, eum in æterno Pacis Conſilio Mediatoris partes in ſe ſuſcepiſſe: Nam quomodo clarum eſt, Chriſtum eſſe Mediatorem, ſi nullibi probatum, illum ad munus illud fuiſſe ordinatum, ejusque in ſe ſuſcepiſſe executionem? Sed forſan methodus hactenus deſiderata poſtulat, ut talia aſſumantur, quorum antea ne quidem facta mentio, nedum probata ſunt.

§. XIV.

Ut autem Chriſtus ad munus hoc obeundum aptus eſſet

eſſet Mediator, Author dicit, requiri, *1. ut eſſet homo, 2. juſtus, 3. Deus, 4. ut pœnas peccato debitas perſolveret, 5. ut ultro ferret, 6. ut nos ſatisfactionis noſtri loco factæ certos faceret:* Ubi requiſita talis Perſonæ, quæ Munus Mediatorium obire poſſet, & ipſa Muneris Mediatorii executio, mutilo quidem modo, ita inter ſe commiſcentur, ut videatur, methodum hactenus deſideratam in mera obſcuritate, & eorum, quæ hactenus à Theologis diſtincte edocta fuere, commiſtione conſiſtere. Mediator etiam munus ſuum peragens ita deſcribitur, ut nec Propheta fuerit nec Rex, ſed vix munus ſacerdotale obiverit: Ejus ad dextram Dei exaltationis, pro fidelibus apud Patrem interceſſionis, indeque Spiritus Sancti effuſionis nulla facta mentione, quaſi hæc non itidem ad executionem ſui muneris pertinerent.

§. XV.

Expoſitis eis, quæ Chriſtus noſtri loco præſtitit, Author pergit ad ea, *quæ Deus propterea egerit*, nempe *homini peccata remittit, adoptat, eum regenerat, quod fiat à parte Dei per vocationem tum externam tum internam*, cum vero *etiam homo ad officia quædam teneatur, ipſius eſſe credere & reſipiſcere; quæ omnia cum fluant ex Gratia Dei, ſint immutabilia.* Hæc omnia ſi ex regulis methodi hactenus deſideratæ perpendere, vel in ſeriem diſponere & oculis Lectorum exponere vellem, libellus inde non exiguus mihi naſceretur; ſed talia quis legeret?

§. XVI.

Cum ita de Decreti Electionis executione egiſſet Author; nunc etiam de executione Decreti Reprobationis ſe acturum ait, *quod difficile non ſit.* Sed promiſſi forſan oblitus, vel methodi hactenus deſideratæ memor, nihil de hac re agit, ſed duo tantum conſectaria ex non explicatis deducit, quorum primum eſt: *Cum Reprobi & Electi ANTE eorum Reprobationem & Ele-*

& Electionem: (vellem ut B. L. hic attenderet) *cum Reprobi & Electi ante eorum Reprobationem vel Electionem peccato & ejus pœnis æternis ſimul addicti ſint, ſequi, Deum eos reprobare ex mero beneplacito.* Alterum conſectarium eſt, *Cum omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſint, ſint Dei dona, ſequi, Reprobos ullum actum bonum edere non poſſe;* addita obſervatione, *quod Decretum hominis libertatem in agendo non excludat.*

§. XVII.

Itaque ſe ea, quæ ad Syſtematis Theologorum Orthodoxorum eſſentiam pertineant, *demonſtraſſe*, ait Author. Nunc demum ſcio, quid ſit demonſtrare, nempe, confuſe & ſine ullo ordine aliquid proferre. Accedite Mathematici, & diſcite ex methodo hactenus deſiderata, veritates ex primis ſuis principiis per neceſſarium conſequentiarum nexum *demonſtrare!* Quod vero Doct. Author *omnia*, quæ ad Syſtematis Orthodoxorum eſſentiam pertinent, ſe demonſtraſſe dicit, certe indicium manifeſtæ ignorantiæ prodit. Unum tantum & alterum exemplum adducam. Scopus nempe methodi hactenus deſideratæ inter alia eſt, *opiniones* celebriorum inter Reformatos *Sectarum*, Orthodoxorum nempe, Remonſtrantium & Socinianorum, per conſequentiarum nexum ex principiis deductas ita tradere, ut appareat, in quo conſentiant vel diſſentiant variarum ſectarum Theologi, ut videre eſt in procemio Diſſertationis eruditiſſimæ. Quid ergo magis conveniſſet, quam ea capita eſſentialia, in quibus ab invicem variæ *Sectæ* maxime diſcrepant, explicare; Si Doct. Author hoc fecit, unde eſt, quod 1. ne γρῦ quidem de Revelationis neceſſitate locutus ſit, cum tamen Sociniani, Religionem communem omnibus natura notam ſtatuentes, Revelationis neceſſitatem impugnent? 2. Quid magis eſſentiale fuiſſet, quam agere de Sacroſanctæ Trinitatis myſterio, absque quo Fœdus Gratiæ ne intelligi quidem poteſt? Quid ma-

gis conveniſſet, quam eum articulum prolixius explicare & adſtruere, in quo Orthodoxi & Sociniani, Deitatem Filii & Spiritus Sancti negantes, maxime differunt: Sed Author methodi hactenus deſideratæ Filii Dei & Spiritus Sancti ex occaſione tantum operum eorum mentionem facit, quaſi Myſterium Sacroſanctæ Trinitatis *vel* adeo natura notum eſſet, ut de eo univerſalis inter omnes homines ſit conſenſus; *vel* quod ad eſſentiam Theologiæ nequidem pertineat. Hæc eſt Methodus nova, in qua omnes Theologorum nævi emaculantur, qui hactenus *Tractatus* ſuos ita confecerunt, ut iis perluſtratis, in univerſum eos de uno aut altero Religionis capite tali & tali modo ſentire, colligatur; ſed nunc ex methodo deſiderata addiſci poteſt, quid in omnibus Religionis capitibus ſentiendum ſit, cum tamen Eſſentia totius Theologiæ plane omittatur. Sed ingenue fateor, tale Myſterium ex principio & fundamento univerſali omnium Syſtematum, quod Doct. Author poſuit, nempe ex ſtatu hominis in peccatum lapſi, deduci & demonſtrari vix poteſt. Ut 3. adhuc unum addam, ex ſcopo Doct. Authoris mihi etiam non omittenda fuiſſe videtur Doctrina de Sacramentis, cum Sociniani Ritus illos Symbolicos tantum habendos eſſe dicant pro teſſeris & notis externæ Chriſtianiſmi profeſſionis, adeoque eorum uſum tantum in eo conſiſtere, ut depingant & ſignificent, non autem obſignent.

§. XVIII.

Antequam ſubtilis Theologus (nunquam enim ſine laude nominandus) ad Syſtema Remonſtrantium pergit, duo adhuc agit; quorum prius eſt, quod ex dictis quasdam deducit conſequentias, quæ ſpectant tum Fœderis Gratiæ Oeconomiam externam, *tum* Fœderis Novi cum Vetere harmoniam & convenientiam. Ex eo autem, quod Vetus & Novum Teſtamentum non ſint duo Fœdera diverſa, ſed eadem quoad eſſentiam,

tiam, has de Oeconomia externa N. T. deducit conſequentias, quæ meo quidem judicio egregie inde fluunt, nempe *1. Quod Eccleſia, quæ eſt cœtus fidelium, non poſſit totaliter a fide deficere.* Nexus certe admirandus mihi videtur; Vetus & N.T. ratione eſſentiæ ſunt unum idemque, ergo proxime inde fluit, fideles non poſſunt deficere. Sed altera conſequentia, quam inde deducit, longe elegantior adhuc mihi videtur, quæ verbotim ita habet: *Secundo,* diſcimus, *quod Baptiſmus, quod eſt unum ex præceptis Cæremonialibus à Deo in Eccleſia conſtitutis, infantibus neceſſario adminiſtrari debeat, ſiquidem tanquam Signum & Sigillum Fœderis Gratiæ à Deo decreto ſuo abſoluto ſit ſtatutus.* Hic duo ſunt, quæ adeo ſublimia mihi videntur, ut ea rationis meæ decempeda metiri nequeam. Primum eſt; Quomodo dici poſſit, Vetus & N. T. non ſunt duo fœdera diverſa ſed eadem quoad Eſſentiam, ergo Baptismus infantibus ſub N. T. neceſſario adminiſtrari debet. Alterum, quod concipere non poſſum, eſt; Quomodo ſtringat ratio aſſertionis, quam Doct. Author affert ex eo, quod Baptismus abſoluto Dei decreto ſit ſtatutus ſignum & ſigillum Fœderis Gratiæ: Eodem enim modo ſequeretur, Circumciſio & Paſcha conſtituta ſunt abſoluto Dei decreto ſigna & ſigilla Fœderis Gratiæ, quod unum eſt ſub V. & N. T. ergo infantibus ſub N. T. neceſſario adminiſtrari debent. Quod autem ſolidam hanc Doctiſſimi Authoris argumentationem percipere non poſſum, inde eſſe arbitror, quia Methodum hactenus deſideratam propter ingenii mei ſtupiditatem penetrare mihi non licet.

§. XIX.

Poſterius eſt, quod Doct. Author de iis capitibus, de quibus inter ſe diſcrepant Theologi Orthodoxi, mentionem facit, quando innuit, alios eſſe Supralapſarios, alios Infralapſarios; ex Infralapſariis alios, nempe Orthodoxos, iterum eſſe vel Univerſaliſtas, alios vero Particulariſtas. Alios ſtatuere tantum

tum

tum duo Fœdera, alios vero tria, naturale, legale & evangelicum. Tandem etiam mentionem facit controverſiæ cum B. Piſcatore de obedientia activa & paſſiva Chriſti. Et ita primæ Diſſertationis parti finem imponit.

§. XX.

Plura adhuc extarent, quæ dignis laudibus, ut pauca ex ingenti copia prolata exempla, celebranda fuiſſent: Sed hic finem & modum feci, non quod non plura deprehendere potui, ſed quod faſtidio lectorum occurrere ſatius credidi, quare illuſtriora tantum quædam ſpecimina protuli, quæ docebunt, Doctiſſimum Authorem ſolum id intendiſſe, ut vaſti alicujus voluminis Author poſſit celebrari; ea quæ jam millies fuere excuſa, ea quæ Theologi celebres clariſſime docuerunt, Doctiſſimus Author temere &, ut plebejus & ſordidus ſtylus oſtendit, ſine ulla meditatione aut cura, ita compilavit, ut omnes fere Lectores, exceptis Popularibus, doleant, tantam pretioſæ chartæ copiam atque vim fruſtra fuiſſe conſumtam.

§. XXI.

Syſtema Remonſtrantium ita tractat Clariſs. Author, ut Principium primarium & fundamentum Syſtematis eorum ponat *ſtatum hominis ante & poſt lapſum*, & reliqua eorum dogmata eodem ordine, quo Orthodoxorum, & eadem plane methodo hactenus deſiderata inde deducat. An vero hoc ſit Principium Syſtematis eorum, cuivis Theologiæ non plane imperito dijudicandum relinquo. Cætera vero, quæ ad methodum novam pertinent, ſi excutere, vel in ſeriem modo numero notatorum paragraphorum diſponere, & oculis Lectoris exponere vellem, dies integer non ſufficeret.

§. XXII.

Eodem plane modo, ut paucis abſolvam, etiam Syſte-

Syſtema Socinianorum, ex eodem Principio & fundamento derivatum, explicat; oblitus tamen mihi videtur animæ, centri & fundamenti totius Socinianiſmi, quod eſt Religio communis omnibus natura nota. Cætera vero omnia plane alio modo ac inverſo ordine, uti methodus nova poſtulat, ac hactenus à Theologis factum eſt, exponit. Unicum ſolummodo ex pluribus afferam exemplum: *Ex eo* nimirum, *quod Sociniani ſatisfactionem Chriſti negant, fluere* dicit, *Chriſtum eſſe merum hominem.* Loco quod hactenus exiſtimarunt Theologi, ex eo, quod Sociniani Rationem faciunt Religionis normam, fluere, quod negent Myſteria, ex hoc vero quod negent divinitatem Chriſti, inde vero quod negent ejus ſatisfactionem. Sed methodus hactenus deſiderata poſtulat, ut omnia plane alio atque inverſo ordine ac ab aliis factum eſt, pertractentur, omnia vero & ſingula ſi percurrerem, & mihi & Benevolo Lectori nauſeam crearem.

§. XXIII.

Cum ſcopus noſter ſit, honorem & eruditionem Doctiſſimi Authoris quantum pote elevare, hoc unum addere lubet, quod quis vel mirari vel ignorantiæ Doctiſſimi Authoris adſcribere poſſet, quod Socinianorum Syſtema poſt Remonſtrantium ponat; ideo non omittendam cenſeo Authoris defenſionem in nota doctiſſima, quam propterea adjicit, in qua graviſſimas adducit rationes, propter quas hunc obſervaverit ordinem. Verba ponderoſiſſima hæc ſuut: *Cum hæcce Diſſertatio non Hiſtorica, ſed mere Theologica ſit, non eſt quod quis miretur, cur Syſtema Socinianorum Syſtemati Remonſtrantium poſtpoſuerimus.* (Quaſi ideo, quia Diſſertatio eſt Theologica, nullus obſervandus eſſet ordo:) *utriusque enim Syſtematis ſumma cum eadem ſit, Sociniani non modo eadem Principia ſtatuant, eaſdem ex iis Principiis conſequentias cum Remonſtrantibus ferè nectant, ſed præterea ulterius procedant: Ordo requirebat, ut primo Remonſtrantium Syſtema traderemus, tum ut circa ea, quæ cum Socinianis*

ipſis communia ſunt, ad illud amandare poſſemus. (Quaſi ordo non potius requireret, ut, cum Sociniani non tantum priores fuerunt tempore, ſed & Arminiani multa ex Socinianorum dogmatibus aſſumſerunt, ii qui Anteſignani fuerunt præcederent:) *Tum ut ea Capita, in quibus diſſentiunt, facilius ſecerneremus.* Hæc certe graviſſima ratio mihi videtur, quaſi diſſenſio inter eos minus ſecerni poſſet, ſi Sociniani Remonſtrantium anteſignani præcederent, quam vero ſi prius explicaretur Remonſtrantium Syſtema, qui multa Socinianorum dogmata ſua fecerunt. Sed *hac via* Doctiſſimo Authori juxta methodum diu deſideratam *clarior & brevior viſa eſt.*

§. XXIV.

Ut tandem inſignis eruditionis ſuæ Colophon oſtenderet Author, ſub finem Diſſertationis adhuc de Logomachiis Theologicis ſe acturum dicit: Quamvis, cum quid Logomachia ſit neſciverit, de plane alia re agat: Ubi tranſitus ita habet: *Hucusque varia quorundam Theologorum Proteſtantium de ſingulis Religionis Capitibus placita recenſuimus.* Inſignem hic iterum ſuam notitiam prodit, Socinianos & Remonſtrantes Theologorum Proteſtantium nomine inſigniens; ſed quid miror! Qui Orthodoxos, Socinianos & Remonſtrantes, communi Sectarum nomine complectitur, qui Socinianos Reformatos & Chriſtianos Theologos appellat, an is, quinam ſint Proteſtantes & unde ſic dicti, ſcire poteſt? Et celare non poſſum, quod Author noſter apud quosdam Socinianiſmi ſe ſuſpectum fecerit, cum ſemper tam honorifice de eis ac de ipſis Theologis Orthodoxis loquatur, parique Theologorum Proteſtantium, Chriſtianorum, Reformatorum, &c. nomine inſigniat; ſed metuens ego, ne tale præjudicium promotioni ejus ad S. S. Miniſterium obeſſe poſſet, etiam hac in re eum defendere ſategi, hæcque ignorantiæ ejus potius quam vero nequitiæ adſcribenda putavi. Addit deinde,

de, *Veruntamen antequam huic finem imponeremus, methodi cui inſiſtimus uſus egregios in proœmio laudatos confirmandi hic locus eſſet,* Hos uſus ego pauciſſimis expediam. Si Syſtemata Theologiæ omnia methodo hactenus deſiderata conſcriberentur; in qua non tantum capita eſſentialia omiſſa, ſed omnia ferè præpoſtero ordine concinnata, brevi efficeretur, ut aliam Theologiam poſteri ſint habituri atque majores noſtri legerunt; ſancta Religionis noſtræ dogmata tantis obſeſſa forent tenebris, ut nonniſi dilutum ſuæ originis colorem habitura eſſent; & adeo deformarentur, ut nativæ faciei vix tenuia quædam ſervarent lineamenta. Sed qui aliter fieri poteſt, ubi ſtatus hominis in peccatum lapſi, id eſt, ſummæ miſeriæ barathrum, Theologiæ Principium ſtatuitur atque fundamentum; ex tenebris enim quid aliud provenire poteſt, quam ipſæ tenebræ. Addit tandem ſummus noſter Theologus: *Aſt cum jam ſatis prolixa ſit hæc Diſſertatio, præcipuum uſum tantummodo confirmabimus, ſcilicet methodo à nobis uſurpata Logomachias è Theologia exulare, nec cuiquam opinionem, quæ à ſuis Principiis abhorret vel clare non fluit, affingi.* Quam infrunita hæc mihi videantur, verbis eloqui vix poſſum; caveri hac methodo, ait Doctiſſimus Author, ne cuiquam, quod à ſuis principiis abhorret vel clare non fluit, affingatur. Eadem principia & fundamenta Orthodoxis, Remonſtrantibus & Socinianis eſſe, Author toties inſinuat, & propter novum inventum cœlum & terram clamoribus implet. Si eadem omnibus ſint principia, qui fit, quod ex eodem principio contraria plane, ut ſunt hæc tria Syſtemata, clare fluant? quid hoc aliud eſt, quam aſſerere, contraria ab eodem principio non abhorrere? dicit Author: ſua methodo nihil cuiquam tribui, quod à principiis ſuis abhorret & clare non fluit; ergo ex principio Theologiæ Orthodoxæ clare fluit Socinianiſmus, quia Orthodoxi & Sociniani idem habent principium & fundamentum; hocque modo ex eodem principio clarè

fluere Doctrinam Orthodoxam, Remonſtrantem & Socinianam, aſſerit perſpicaciſſimus Author. Hæc quam ἀσύςατα ſint, quivis cordatæ mentis homo percipere poteſt, &, ut abſolvam brevibus, ego nullo negotio vel intra horam ea, quæ Doct. Author Logomachiis ideo accenſet, quia abhorreant à principiis Socin. & Remonſtr. niſi id jam à ſummis Theologis ad ſatietatem usque factum eſſet, ex Socinianorum & Arminianorum principiis deducerem.

§. XXV.

Ea, quæ *Savantiſſimus* Author Logomachiis accenſet (in tranſitu obſervandum, per Logomachiam in methodo hactenus deſiderata, ex ignorantia ſignificationis, non controverſiam in mero vocabulorum diſſenſu conſiſtentem intelligi, ſed talia dogmata, quæ Sectæ alicui falſo imputantur) ſunt *1. An detur Theologia & Lex naturalis? 2. an Theologia naturalis ad ſalutem ſufficiat? 3. an Ratio humana ſit principium & norma Religionis? 4. an Sacra Scriptura in locis quibusdam ſit corrupta? 5. an Libri V. T. ſint ejusdem uſus ac Libri N. T.? 6. an Jehova ſit nomen creaturis incomūnicabile? 7. affirmari contra Socinianos non poſſe, Author exiſtimat, quod in æterna Dei exiſtentia non ſit ſucceſſio prioris & poſterioris. 8. an Deus definiri debeat ſupremus omnium rerum Dominus? 9. an Deus ſolus poſſit creare? 10. an homo ante lapſum fuerit īmortalis?* Cauſa, cur Doct. Author hæc omnia Logomachiis annumeret, eſt, quod *vel* ſubinde mentem Adverſariorum noſtrorum non perceperit, ſubinde *verò* aliquid invenit, in quo unus Socinianorum à reliquis diſſentit, inde factum fuit, ut Author exiſtimaret, hanc omnium reliquorum Socinianorum eſſe mentem, quorum ſcripta ipſi procul dubio non ad manus fuerunt; quæ oſtenderem, ſi Lectori nauſeam creare vellem.

§. XXVI.

Poſt finem operis hujus Theologici, quinque ad-

huc

huc occurrunt corollaria, ex quibus tantummodo ſecundum, quia præcipue poſterior ejus pars ænigma & mihi & aliis eſt, ut ſenſum ejus ne Oedipus quidem divinando aſſequi poſſet, hic apponere lubet: *Temere & imerito Reformati nomen ſibi vindicat, qui ſcriptum humanum ut Controverſiarum de Religione Judicem ſummum habet; Hominem enim, ſeu vivo voce ſeu ſcripto loquens, cæca fide audiatur, Papam eſſe perinde eſt.* Nonnulli crediderunt, Authorem hæc ſcribentem quibusdam tam inviſam Formulam Conſenſus ob oculos habuiſſe, ſed ego indefeſſus ejus defenſor exiſtimavi, quamdiu de ipſa horum verborum conſtructione inter eruditos lis ſit, non temere falſum aliquem ſenſum ipſis eſſe attribuendum. Concurrite quæſo & adeſte, quotquot vivitis, Latinorum Authorum Editores, emergite vos ab inferis, Scaligeri, Caſauboni, Salmaſii, Gronovii, Grævii, & omnis Interpretum ordo, Illuſtres, Galliæ olim decora, Manes, dictata excipite regia, explanate horum verborum ſenſum, elegantem linguæ latinæ addiſcite ſtylum.

§. XXVII.

Sed licet plenum adhuc habeamus horreum, hic finis & meta eſto, vix enim, ſi altius provehere vellem, portum proſpicerem; nam nullam vidi fere paginam, quæ non oculis meis ingentem copiam talium rerum obtulit, quæ ſoli methodo hactenus deſideratæ conveniunt. Tu vero, oh maxime inter Theologos Coryphæe, Cochete! jam placido in otio conſeneſcere & lucubrandi finem facere poteris; Hac enim penu inſtructus, jam ſine ullo labore veritatem tueri, oppreſſam liberare, errantes ab erroribus ſuis revocare, omnes Theologorum libros explicare poteris. Applaudite Theologi! nunc demum methodus inventa, qua hiatus & defectus Syſtematum veſtrorum reſarciuntur & explentur. Abite Theologi, ex quorum *Tractatibus*, tantum quid in uno vel altero

Religionis capite ſentiatis, colligi poteſt, adeſt *Tractatus*, cujus ope demum perfecte, quæ ad Theologiam pertinent, cognoſcuntur. Oh ingentem gloriæ & famæ ſuper aſtra jam tendentis ſegetem! quam vivus metes & quæ mortuum æternis cumulabit Elogiis.

VI.

CONSPECTUS ACADEMIÆ BERNENSIS,

qualis erat anno MDCCXXXVI. *

JOHANNES HENRICUS RINGIER, Zoffinganus, natus anno 1668. ad Cathedram Græco-Ethicam vocatus 1715. ad Theol. Catecheticam A. 1718. ad Cathedram Theologico-Elenchticam A. 1720. ad Cathedram Didacticam A. 1735. Extat ejus Diſſert. de *Typis Antichriſti*, vide *Temp. Helvet. Tom. 1. 449.* Diſſert. Theol. *de conſenſu Proteſtantium in doctrina de Prædeſtinatione.* Bernæ 1720. Diſſert. Theol. *de fontibus errorum, eorumque πρώτοις ψεύδεσι*, Bern. 1724. *Commentarius in Catech Heidelbergenſ. Theologico-Practicus. 4.* pl. 70.

SAMUEL SCHEURERUS, Bernas, natus A. 1685. ad Profeſſionem Eloq. & Hiſtor. vocatus A. 1709. Annos 1717. & 1718. tranſegit in itinere Academico, quod jubente Ampliſſimo Magiſtratu cum

* Comparuit primo facies Academiæ Bernenſis *in Bibliotheca Bremenſi, Claſſ. VI. p. 716.* Sed cum ab illo tempore Academia noſtra plurimas paſſa fuerit mutationes, præſentem jam ſtatum lectori exhibemus. In Biographia autem Cl. Virorum, qui ex illo tempore remanſerunt, nulla facta mutatio, & illis tantum ea adjecimus, quæ exinde ab iis ſcripta in lucem prodiere.

cum Celeberr. *Iſelio*, Baſileenſi, inſtituit per Galliam, Angliam, Belgium, & Germaniæ partem, ad ſtatum coram oculis uſurpandum externarum Eccleſiarum, Academiarum, Bibliothecarum, commerciumque literarum habendum cum viris ſolide doctis & magnis. Clariſſimo *Iſelio* ex Gallia in patriam revocato, ipſe Pariſiis ad Anglos transfretavit, qui eum poſt aliquod commorationis inter ipſos tempus, quod inter Londinum, Oxonium & Cantabrigiam diſpertitus eſt, primum Societatis ejus, quæ privatim in ædibus Excellentiſſimi *Bonetti*, Regis Boruſſiæ Legati, convenire ſolebat, deinde rogante Nobiliſſimo *Chamberlainio*, Armigero, Regg. Socc. Anglico & Berolinenſi ſocio, ejus, quæ *ad promovendam Chriſtianam cognitionem*, intra illud regnum ſplendidiſſimum, atque etiam extra, in partibus Malabaricis aliiſque, nomen habet; altero dein menſe, rogantibus, Viris Illuſtriſſ. Iſaaco *Newtono*, Edmundo *Hallejo*, cuius familiaritate *Scheurerus* utebatur, præprimis Oxonii agens, ejus convictor, & Nobiliſſ. *Molineux*, Principi Walliæ à ſecretioribus conſiliis & epiſtolis, Societatis Regiæ, quæ pro objecto habet *promovendam cognitionem rerum naturalium*, deinde & ejus itidem Regiæ, à Regina quippe Anna, A. 1700. ſtabilitæ, quæ dicitur *de propagando Evangelio in partibus tranſmarinis Americanis*, rogante Ampliſſimo Archipræſule Cantuarienſi Socius allectus fuit, ad juvandum veritatis ſcientiarumque divinarum & humanarum augmentum; Inde inviſit Academias Belgicas, Viroſque inibi graves & celebres. Per Germaniam in patriam reditum inſtituit, quem ſecutæ ſunt grates Publico nomine decretæ & actæ, vel Illuſtrioribus perſonis vel integris Societatibus & Academiis. Ex itinere Academico redux ſub finem anni 1717. vocatur ad Cathedram Ethicam & Linguæ ſanctæ, cui priori Spartæ ſuffecta eſt. A. 1720. Cathedra Theol. Catechetica; & tandem A. 1735. promotus ad Cathedram Theologico-Elenchticam.

Edita

Edita tum ab eo, tum ſub ejus auſpicio & Præſidio.

1. Oratio ſolennis, von dem Mißbrauch der Wiſſenſchaften. 4. Bern. 1716.
2. Diſquiſitio Philologica, *de nomine Moſis* & Ægyptiaco & Hebraico. 4. Bern. 1722.
3. *Rhizologia Hebraica emphatica*, qua voces S. Codicis frequentiores & ſignificantiores ex genuina ſua notione primaria evolvuntur &c. Baſileæ 1723. in 8. pl. 10. ob quam Societati Regiæ Berol. allectus fuit Author A. 1724.
4. Land-Theologie, oder der im ſchauen und bauen andächtige Landmann. 8. Bern. 1725: pl. 17. Eadem in idioma Belgicum verſa prodiit. Amſtel. 1728.
5. מסלול דרך הקדוש, ſive, *de Diſciplina Eccleſiaſtica* Diſſertatio Theol. Authore Nic. Brunnero. Bernæ. 4. 1727.
6. JOBEL, ſive, *de Jubilæo Moſaico & Chriſtiano*, Schediaſma Philologico-Theologicum, in annum Jubil. Bernenſ. 4. Bernæ 1728. pl. 5.
7. *de Miraculis* Diſſertatio Philoſophico-Theologica Auth. Sam. Hortino. 4. Bernæ. 1728.
8. קצר הלכות נדרים וחרמין S. *de Votis & devotis* Diſſ. Philologico-Theologica. 4. Bernæ. 1728.
9. *De RELIGIONE & veræ à falſa Criteriis*. 4. Bern, 1728.
10. *De Columnis JAKIN & BOAZ in Templo Salom.* Diſſ. Philol. exeg. prior. Auth. J. Frid. Kilchbergero 4. Bernæ 1730.
11. *De LXX. Hebdom. Danielis ad Cap. IX. 24.* &c. Diſſ. Chronologico-Theologica. Auth. Sam. König. Bernæ 1730.
12. Tentamen *de literarum*, potius *Literatorum, nævis*. Auth. J. Rod. ab Arnay (nunc Prof. Eloq.) Lauſannenſi. 4. Bernæ 1730.

13. De

13. *De Monte LIBANON*, Diſſ. Philol. Geographica, Auth. J. Rod. Kyburz. 4. Bernæ. 1730.
14. *Miles Eccleſiaſticus*, ſeu, vera effigies Miniſtri Evangelici ab Apoſtolo depicta. 2. Tim. II, 3. Auth. Nic. à Gryerz. 4. Bernæ 1731.
15. Obſervationes miſcellæ Theologico-Philologicæ Auth. J. Rod. Grunero. 4. Bernæ 1732.
16. *De admiranda Filii Dei* φανερωσει ἐν σαρκι *ſtatuque ejus & officiis*, Meditationes Theologicæ. 4. Bernæ 1732.
17. *De ultimis mundi & hominis*. Theſes Theol. Bernæ. 1726.

In MSc. & inedita, partim effecta, ad prælum parata, partim affecta: *

1. Onomatologia divina, ſive tractatus de Nominibus Dei in S. Scriptura occurrentibus Philologicus & practicus. 4.
2. Hermeneutica Decalogi Sacra, ſive veterum Hebræorum XIII. Chriſtianorum item, plurium regularum legis divinæ Hermeneuticarum contractio in duas, ad decalogum applicata. 4.
3. Kizzur Targumim, ſ. compendium Paraphraſium Chaldaicarum, exhibens ea tantum loca, quæ à textu Hebr. diſcrepant, eive lucem aliquam affundunt.
4. Compendium N. T. Syriaci, ut id quod harum paraphraſium eſt utile, minore & temporis & laboris ac ſumtuum impendio haberi poſſit. 4.
5. Somnium Judaicum, de Templo ipſorum tertio imaginario, quod pro inauguranda Cathedra Catech. & Hebraica publice propoſuit. 4.
6. Tractatus de Sacerdotum. 1. Qualitatibus & requiſitis.

* De prioribus his operibus cum orbe Erudito communicandis Vir Cl. ſpem fecit An. 1722. in Bibl. Bremenſi. Claſſ. VI, p. 719. quam vide.

ſitis. 2. Diſtinctione. 3. Functionibus & laboribus. 4. Opibus & reditibus, Commentarius in 4.
7. Gemini ſoles in cœlo Judaico. ſeu, refutatio duplicis Meſſiæ Judaici. 4.
8. Commentarius de Keret, ſive pœna excidii, ex lege Divina, an humana? diſquiſitio. 4.
9. De delectu victimarum ad Sacrificia, tractatus. 4.
10. De Salomonis Polygamia.
11. Oratio ſolennis von der Tapferkeit der alten Schweitzeren. 4.
12. Oratio ſol. von der Aſtrologia Judiciaria.
13. Oratio inauguralis Cathedræ Eloquentiæ & Hiſtoriarum, de ſtudiorum Humaniorum elegantia & utilitate, pronunciata. A. 1709.
14. Oratio inauguralis Cathedræ Theol. in Pſ. 68:22. 4.
15. De Prudentia Eccleſiaſtica in exercitio omnium functionum Miniſterialium. 4.
16. Rhizologia Hebræa Emphatica, altera ſui parte locupletior, omnes nunc voces S. Codicis complectens. 8.
17. Land-Theologie. Zweyter Theil. 8.
18. Contra Lucam Mellierum, vel qui ſub perſonato hoc & Artemonii nomine latet, Samuelem Crellium Neophotinianum, Diſſertationes Theologicæ. 4.
19. De Origeniſmo, Spinoziſmo, præprimis fanatico, Scepticiſmo, Deiſmo, totidem Diatribæ 4.
20. Edvvardi Stillingfleeti *Origines Sacræ*, nova Verſione & notis illuſtratæ. 4.
21 De nimia literalitate Commentatorum Hebræorum, variorum errorum cauſa. 4.
22. De Stilo Orientali diſquiſitio Theol. Philologica.
23. Aurea Theologiæ Reformatæ mediocritas.
Aliaque argumenti Theologici & Philologici plura.

JOHANNES RODOLPHUS SALCHLINUS: Zoffinganus, natus A. 1688. ad Cathedram Græco-Ethicam vocatus A. 1720. & exinde ad Cath. Ling.

Ling. Hebr. & Theol. Catecheticæ. A. 1735. ejus extat

1. *Idolomaneia, ſive Rabdomantia Antichriſtiana,* ſive Diſſert. Hiſtorico-Theol. in Hoſ. IV: 12. Bernæ. 1715. pl. 12.
2. Diſſert. in Hebr. III: 1. *Quo ſenſu Chriſtus dicatur* Αποστολος καὶ Αρχιερευς της ὁμολογιας ἡμων, Bern. 1722. 4. pl. 3. eadem hæc Diſſertatio etiam extat in Theſauro Philolog. à Viris Clariſſ. *Haſæo* & *Ikenio* edito.
3. *Strictura & obſervationes in V. Cl. Chriſt. Matthæi Pfaffii Diſſert. Hiſtorico-Theologicam de Formula Conſenſus.* Bern. 1723. 4. pl. 7.
4. Sollenniter-Reden, darinnen durch die Hiſtorie aller Zeiten gezeiget wird, daß die Warheit niemahls ſo verborgen geweſen, als aber man ſelbiger nicht begehrt. Bern. 1731. plag. 6.
5. Oratio inauguralis *de facillima methodo docendi linguam Sanctam* habita XVII. Kal. Jun. 1735. Bernæ. 6. pl. 4.
6. Prælum exercent Tiguri apud Heidegger. & Soc. *Obſervationes Philologicæ in Varia V. & N. Teſtamenti loca, ex Pindari Olympionicis & Pythionicis.* 8. pl. 30.

Parata ad prælum:

1. Apologia pro ſtricturis contra Dan. Snitlingium.
2. Obſervationes in Crinſotii Jobum, Pſalmos & Apocalypſin.
3. Diatribe contra Cl. Rochii Hiſtoriam Serveti, Bibliothecæ Anglicanæ inſertam.

THEOPHILUS JENNER, J. U. D. & Illuſtriſſ. Reipubl. Ducentumvir. natus anno 1696. ad Gradum Doctoratus promotus Leidæ 1725. ad Cathedram Juridicam vocatus A. 1726. De eo extat Diſſertatio *de Acquiſitione Bellica.* Leidæ: 1725. pl. 10. ſub ejus præſidio habitæ Diſſertationes Juridicæ, *de vi privata licita ac prohibita,* Bernæ 1732. pl. 5. Diſſert. *de Advocatis & procuratoribus,* Bernæ 1733. pl. 4.

Parata

Parata ad prælum habet opuſcula: 1. Diſſertationem de neceſſitate legum criminalium in libera Republica. 2. Orationes duas de cauſis neglectæ Jurisprudentiæ. 3. Orationem de Origine & fundamentis ſummi Imperii. 4. Orationes duas, de Legibus XII. Tabularum, & neceſſitate legum civilium in genere. 5. Orat. de regimine Academico.

JOANNES EGGER, Bernas, natus A. 1695. de eo extat:

1. Theſes Philoſophicæ varii argumenti. Bernæ 1715. pl. 4.
2. Diſſertatio de *mente Humana*, & præcipue ejus extremis, ex mente Judæorum & Muhammedanorum. Baſileæ. 4. pl. 12. anno 1719.
3. Diſſertatio Theologica, *de ſummo ſacerdote Joſua coram Deo juſtificato*, ad loc. Zach. III: 4. 5. Bernæ. 4. anno 1724. pl. 8.
4. *De Viribus mentis humanæ*, diſquiſitio Philoſophica Anti-Huetiana, 8. Bernæ. 1735. pl. 28.

Orationes ad prælum paratas habet:

1. De Libertate Philoſophandi.
2. De Veritate & vanitate Philoſophiæ.
3. Orationes tres ſolennes, de uſu Philoſophiæ in omnibus ſcientiis & vita humana, quæ idiomate Germanico fuere habitæ,

JOANNES GEORGIUS ALTMANNUS, Zoffinganus, natus A. 1697. Patrem habuit Johannem Altmannum, de quo vide Biblioth. Brem. Cl. VI, p. 721. Ad Cathedram Eloq. & Hiſtor. vocatus A. 1734. ad Cathedram Græco-Ethicam. An. 1735. Acad. h. t. Rector.

De eo extant, lingua vernacula:

1. Brief an den Verfaſſer des alten und neuen aus der gelehrten Welt, wider den Jeſuiten Dunod, in welchem bewieſen wird, daß Hr. Schultheiß Wilt wohl behauptet,

tet, daß das heutige Aventicum in der Schweiz, auch das alte Aventicum Helvetioorum ſeye.

2. Unterſuchung von dem Urſprung der Bader-Würfflen, in dem Alten und Neuen aus der gelehrten Welt.

3. Antwort auf die wider ſeine Meynung gemachte Einwürffe. ibid.

4. Leben Hrn. Andreas Morell, Antiquarii Ludovici XIV. ibid.

5. Diſſert. über das St. Verena-Bild in dem Bad zu Baden im Ergäu, in welcher bewieſen wird, daß dieſe heilige Verena die alte Iſis ſeye. ibid.

6. Erläuterung eines Römiſchen Opffer-Ochſen, welcher ohnweit Bern von Metall gefunden, und daſelbſt in der Bibliothec aufbehalten wird. ibid.

7. Erläuterung eines alten Monumenti, vorſtellend einen Satyrum und andere Antiquiteten, ſo auch ohnweit Bern gefunden, und daſelbſt in der Bibliothec behalten wird. ibid.

8. Diſcours über die Nothwendigkeit und Mißbräuch des Studii Antiquitatum. ibid.

9. Nothwendige Prüffung der heut zu Tag häuffig entſtandenen ſogenannten Geiſt-Treiberen und Schwermeren; Vorgeſtellt in einer Predig über 1. Joh. IV: 1. Bern. 8. 1733. pl. 4.

10. Betrachtung des Tods und Gerichts, über die Worte Hebr. IX: 27. vorgetragen in der groſſen Kirch zu Bern, 4. An. 1736. pl. 5.

11. Die nothwendige Unterſuchung der vielfaltigen Ausflüchten, deren ſich der Sünder in dem Auſſchub ſeiner Buß bedienet. Vorgeſtellt in einer Predig, gehalten in der groſſen Kirch zu Bern. 4. An. 1736 pl. 4.

12. Eidem etiam tribuitur: Gottlieb Wahrmunds letſte Red an die unglückſelige R. G. Bern 1731.

13. Der ſichere Weg die Trübſalen dieſes Lebens zu beſiegen. Vorgeſtellt über 2. Cor. IV: 17. und vorgetragen in der groſſen Kirch zu Bern den 19. Augſtm. 1736. 4. Bern, pl. 4.

14. Ab ipſo etiam compoſitæ *Reflexions Hiſtoriques & Critiques ſur l'Etat de la Suiſſe de Mr. Stanian*, quas animadverſiones inſertas videbis novæ editioni Libri, cui Titulus: L'Etat & les delices de la Suiſſe. Amſterdam. 8. IV. Tomi. An. 1731.

Latina prodiere:

15. Exercitatio Philologico-Critica, in quo plurima S. Scripturæ loca ex antiquitate Græca & Romana explicantur, Bernæ 4. An. 1721. pl. 10.
16. Oratio funebris in obitum *V. Cl. Joh. Rodolphi Rodolph, Zoffingani, S. S. Theol. Prof. & Claſſis Bern. Antiſtitis.* 4. Bernæ 1718. pl. 5.
17. Exercitatio Critica, *de Lingua Opica Italorum antiquiſſima, & eorum Origine.* 8. Bernæ 1723. pl. 5.
18. Epiſtolæ duæ, *de controverſa Taciti Lectione & Aſciburgio Ulixis*, ad Cl. Virum, Gaſparum Hagenbuchium. 1723. pl. 3.
19, Oratio, *de recta legum ferendarum ratione*, pro vacua Cathedra Juridica habita. Bernæ 4. An. 1723. pl. 6.
20. Obſervatio Critica, *de Buccinatore Stationario*, ſive Gallicinio Hieroſolymis in ædibus Pontificis audito, in Bibl. Brem. Cl. V. p. 451.
21. Obſervatio Philologica ad Actor. XVI: 14. *de Lydia Thyatirenſi.* Bibl. Brem. Cl. V. p. 670.
22. Exercitatio Philologica in Matth. III: 9. *de Lapidibus Teſtimonium de Chriſto exhibentibus.* Bibl. Brem. Cl. VII. p. 261.
23. Vita *Joh. Henrici Othonis*, Bernatis. in Bibl. Brem. Cl. VI. p. 291.
24. Spicilegium *de ſervo malo & injuſto*, Matth. XXIV: 5. in Muſeo Bremenſi. Tom. I. p. 95.
25. Oratio, *de Humanitatum & Eloquentiæ ſtudio recte inſtituendo*, cum Eloq. & Hiſtor. Profeſſionem auſpicaretur, habita Bernæ 4. An. 1734. pl. 5.
26. Oratio, *pro Comœdia & ludis Theatralibus, ſpeciminis loco pro Cathedra Eloq. habita.* Bernæ 4. An. 1734. pl. 3.

27. Exer-

27. Exercitatio Philologico-Exegetica, *de Sale Terræ.* 4. Bernæ pl. 8. 1734.

28. Exercitatio *de Tharſo, Patria Pauli, & ejusdem Romana Civitate.* 4. Bern. 1735. pl. 4.

29. Exercitatio, *de Actis Pauli apud Lyſtrenſes.* Prior. 4. Bernæ 1735. pl. 4.

30. - - - - Poſterior. 4. Bernæ 1735. pl. 4.

31. Exercitatio Philolog. Critica, *de Actis Pauli apud Athenienſes.* Prior. 4. Bernæ 1735. pl. 8.

32. - - - - Poſterior. 4. Bernæ 1735. pl. 8.

33. Exercitatio Philolog. Critica, *de Actis Pauli apud Corinthios.* 4. Bernæ 1736. pl. 6.

34. In Tempe Helvetica, cujus in ſe ſuſcepit curam & editionem, extat Oratio *de Helvetia Græciſſante.* Tom. I. p. 1.

35. Obſervatio Theol. Philolog. *de Immanuele mel & butyrum comedente*, ad Eſaj. VII: 15. ibid. p. 55.

36. Disquiſitio Hiſtorico-Philologica, *de Ære Corinthiaco & Orichalco*, item de materia Columnarum Templi Hieroſ. & vaſorum ſacrorum. Temp. Helvet. Tom. I. p. 391.

37. In Sectione Tertia Tomi II. Temp. Helvet. comparebit Diſſertatio Philolog. Critica, de Εξουσια της κεφαλης, ad loc. 1. Cor. XI: 12.

38. Prælum jam exercet *Obſervationum Philologicarum in Libros N. T. Tomus I.* ſedecim prima capita Matthæi complexus. 8. Bernæ 1736. pl. 30.
Ad prælum quid paretur, in vitæ humanæ incertitudine & vanitate nihil aſſerit, & promiſſis dives quilibet eſſe poteſt.

JOH. RODOLPHUS BRUNNERUS, Bernas, natus 1698. S. S. Miniſterio adſcriptus 1727. ad Cathedram Eloq. & Hiſt. vocatus An. 1735. ſcripſit

1. Diſſertationem *de inſufficientia Theol. Naturalis, & divinæ revelationis neceſſitate.* 4. Bernæ 1727. pl. 13.

2. Orationem inauguralem *de impedimentis Solidæ Eruditionis.* 4. Bernæ 1735. pl. 5.

SAMUEL KÖNIG, Bernas, Natus 1671. Studiis Theologicis incubuit Bernæ, ubi *Rodolphum*, Tiguri, ubi *Heideggerum*, Baſileæ, ubi *Hoffmannum*, Jac. *Bernoullium*, Franequeræ, ubi *Wayenium*, *Vitringam* & *Rhenferdium*, audivit. Studiorum ſuorum primitias etiam Franequeræ edidit, in Excerptis Gemaricis. In patriam rediens magno cum applauſu Miniſterio Sacro fungi cœpit, ſed nova *de regno millenario ad Cap. 20. Apocalypſeos* ſententia prolata, An. 1699. è patria exul factus, per annos duodecim integros in Germania extra publicum munus exegit; Deinceps vero in terris Iſenburgicis ad publicum Miniſterium ſacrum, primo lingua Germanica, dein etiam lingua Gallica obeundum, à Comitibus Iſenburgicis fuit vocatus, ubi annos 19. integros in hac ſtatione exegit; Tandem vero, Deo providente, poſt exilium 31. annorum in patriam remeavit, ubi ab Illuſtriſſimæ Reipubl. proceribus ipſi Cathedra Ling. Oriental. & Matheſeos extraordinaria fuit concredita & demandata, anno 1731. Scripta abs eo edita ſunt:

1. *Recueil des commandements de J. C. dans les 4. Evangiles.* Opuſculum hoc ab amico in Linguam Germanicam fuit translatum ſub titulo: Heilſame Gebotte Unſers HErrn Jeſu Chriſti. 8. pl. 10.
2. Paßions-Gedancken über das Leyden Chriſti. 12. Franckfurt. pl. 3.
3. Theologiſches Prognoſticon von dem Untergang des Türckiſchen Reichs. Büding. 8. 1717. pl. 8. de hoc libello vide Biblioth. Brem. Tom. I. p. 159.
4. Der in Blut verwandlete Mond, oder Continuation des prognoſtici. ibid. 8. pl. 10.
5. Etymologicon *Helleno-Hebræum*, ſeu primitiva Græ-

ca

ca ex Hebræo fonte viciniſque Orientis Linguis. 8. Francofurti 1722. pl. 32.

6. Diſſertatio *de Hæreſibus in genere, deque Tribæreſi Judæorum in ſpecie*, Budingæ 4. pl. 3.

7. Diſſertatio Philologico-Theologica, *de Ritu & Myſterio circumciſionis*. 4. Bernæ 1731. pl. 4.

8. Drey zu Baſel gehaltene Predigten, 8. Baſel, 1732. pl. 9.

9. Fünff andere zu Baſel gehaltene Predigten, 8. Baſel, 1733. pl. 12.

10. Betrachtung des inwendigen Reichs Chriſti, 8. Baſel, 1734. pl. 7.

11. Oratio inauguralis, *de Myſterio Chriſti & Eccleſiæ omnium linguis concelebrando*. 4. Bernæ pl. 4.

Ad prælum paratum habet *Lexicon Syriacum omnium vocabulorum Syriacorum V. & N. T.* quod tantummodo avidum editorem Typographum exſpectat.

VII.

NOVA LITERARIA HELVETICA.

1. *Joh. Alphonſi TURRETINI*, Diſſertationes Theologicæ, quibus *principia Religionis Naturalis & revelatæ* adſtruuntur & defenduntur, 4. 2. Vol. Genevæ apud Barillot fil. 1736.

2. - - - *ejusdem* Orationes Academicæ. 4. 1. Vol. 1736. apud Barillot fil.

3. *Joh. Rodolphi CRAMERI*, S. Theol. Prof. Demonſtrationis Theol. *de Vera Religionis à Chriſto & Apoſtolis prædicatæ Præſtantia*, Pars *Nona* ſeu *Ultima*. Reſp. J. Henr.

J. Henr. Lochero, V. D. M. Aſſum. Felice Orellio, S. Theol. Stud. 4. Tig. 1736. pl. 5. Conf. ſup. p. 154.

4. *Jo. Conradi WIRZII*, Archidiac. & Canon. Oratio, qua *Somnium de Medicina corruptorum hujus Sæculi Morum* refertur, quam ſup. p. 247-270. exhibuimus, etiam ſeorſim excuſa proſtat; Tig. apud Orell. & Socc. 4. 1736. pl. 3.

5. *Theologia Biblica*, ſive Veritatum Theol. Epitome, ſubjunctis Teſtimoniis S. Scripturæ ex *Medulla Medullæ Theologiæ Chriſt.* Cl. Viri, *Jo. Henrici HEIDEGGERI*, concinnata. Tig. ex Officina Heideggeri & Soc. 1736. 8. pl. 32.

6. Certa & definita *ad Latinitatem Via*, probatiſſimorum *Auctorum* fragmentis munita; quæ ad ipſos dulciſſimos Latii fontes deducit: *Superiorum Auſpiciis* in pubis Scholaſticæ commodum fideliter aperta. Tiguri, ex Officina Heidegg. & Soc. 1736. 8. pl. 21.

7. Chriſtliche Landſchul / das iſt, Unterweiſung in den Grund-Wahrheiten des Chriſtenthums, nach Anleitung des Heidelbergiſchen Catechiſmi von Antoni de Loſea, Diener des Göttlichen Worts zu Niderbipp, Cantons Bern 8. Bogen 30.

8. Der ſichere Weg die Trübſalen dieſes Lebens zu beſiegen. Vorgeſtellt über 2. Cor. IV: 17. und offentlich vorgetragen in der groſſen Kirch zu Bern den 19. Augſtmonat, von Joh. Georg Altmann, 4. Bogen 4. 1736.

9. Barboſæ (*Petri*) Opera Omnia in Sex Tomos diviſa, cum Deciſionibus S. Rotæ Romanæ recentiſſimis, continentia Tractatus ff. ſoluto Matrimonio; de Judiciis; de Præſcriptione; de Legatis: de Subſtitutionibus, & de Probatione per Juramentum, fol. Coloniæ Allobr. 1737.

10. Caponi Diſceptationes Forenſes, Nova Editio, 5. Vol. Coloniæ Allobr. 1737. ſub prælo. fol.

11. Prin-

11. Principia quædam Metaphyſicæ Wolfianæ variis Obſervationibus illuſtrata. *Accedunt*, propter Argumenti ſimilitudinem, *Theſes Metaphyſicæ Leibnitianæ*, in gratiam Sereniſſimi Principis EUGENII, Herois quondam Maximi, conſcriptæ; nec non *Epiſtolæ* duæ, quarum *prima* agit de *Philoſophiæ Wolfianæ* præſtantia; altera de ejusdem *Philoſophiæ* uſu in refutandis erroribus Veritati Religionis Chriſtianæ oppoſitis. Authore *Joh. Jacob. Koethen.* Coloniæ Allobr. 1737.

12. Valaſci (*Dn. Alvari Juriſc. Luſitani*) Opera Omnia Juridica, Civilia, Canonica, & Feudalia, *nempe* Deciſionum, Conſultationum ac rerum judicatarum in Regno Luſitaniæ. Praxis Partitionum & Collationum inter Hæredes. Tractatus de Jure Emphyteutico, fol. 4. Vol. Coloniæ Allobr. 1734.

13. Wolfii (*Chriſt.*) Elementa Matheſeos Univerſæ. *Tomus Primus*, Qui Commentationem de Methodo Mathematica, Arithmeticam, Geometriam, Trigonometriam planam, & Analyſim, tam Finitorum quam Infinitorum complectitur. Tom. II. Qui Mechanicam cum Statica, Hydroſtaticam, Aërometriam atque Hydraulicam complectitur. Tom. III. Qui Opticam, Perſpectivam, Catoptricam, Dioptricam, Sphærica & Trigonometriam Sphæricam atque Aſtronomiam tam Sphæricam, quam Theoricam complectitur. *Editio Nova*, 4. 3. Vol. Genevæ 1732–1736. *cum multis figuris.*

FACIES

FACIES
SECTIONIS SEXTÆ.

I. *Nicolai* BRUNNERI, Cogitationes de Præſtantia & Perfectione Orationis Dominicæ. p. 181.

II. *Jo. Conradi* WIRZII, Somnium de Medicina corruptorum Sæculi Morum. p. 247.

III. *Joh. Caſp.* HULDRICI, Obſervatio Philologica, de Sancto canibus non projiciendo, ad Matth. VII: 6. p. 271.

IV. *Joh. Frider.* STAPFERI, Exercitatio Bibl. de Temporibus Refrigerii, ad locum Actor. III: 19. p. 285.

V. *Simplicii Verini*, Animadverſiones Criticæ in Lud. Cocheti Diſputationem Theol. de Syſtematibus Orthodoxorum, Remonſtrantium ac Socinianorum. p. 311.

VI. Conſpectus Academiæ Bernenſis. p. 330.

VII. Nova Literaria Helvetica. p. 341.

TEMPE HELVETICA,

Diſſertationes atque Obſervationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Secundi

Sectio Tertia.

TIGURI,
EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.
M DCC XXXVII.

Digitized by Google

VIRO

Ampliſſimo, Plurimum Venerando atque Celeberrimo,

JOH. LAURENTIO MOSHEMIO,

In Academia Julia S. S. Theologiæ Doctori & Profeſſori Clariſſimo,

SERENISSIMO DUCI BRUNSUICENSI ET LUNEBURGENSI

In rebus Sanctioribus Conſiliario Digniſſimo,

Cœnobiorum Vallis S. Mariæ & Lapidis S. Michaelis

Abbati Meritisſimo,

Noſtri temporis vero Chryſoſtomo,

VIRO

Cujus famam, ob plurima multivariæ eruditionis & ingenii monumenta, futuro ævo nulla ſubtrahet dies;

SEPTI-

SEPTIMUM HUNC

TEMPE HELVETICÆ

FASCICULUM

Tanquam ſummæ Obſervantiæ Teſſeram

Offert & conſecrat,

Simulque Illum, ut ex divite Scientiarum ſuarum Theſauro *hanc Collectionem* inſtruere & ornare velit,

Rogat

J. GEORGIUS ALTMANNUS.

I.

GUILIELMI POSTELLI,
Barenthonii,

SYRIÆ DESCRIPTIO. *

SYriæ Regio, ut eſt tam profanis quam ſacris Authoribus commendatiſſima, ſuaque fertilitate longe notiſſima, ita & pene ab omnibus eſt aut partim aut in univerſum deſcripta. Itaque videar ope-

Z 3 ram

* Cum collectionis noſtræ ſcopus & finis ſit, non novas tantum, & recenter notas Eruditorum Obſervationes lectori exponere, ſed & rariora doctiſſimorum Virorum Opuſcula ex ſitu & pulvere, in quo paſſim deliteſcunt, in lucem producere, optimo haud dubie jure aliquem in noſtra Tempe locum ſibi poſtulat doctiſſ. & rariſſimus *Poſtelli de Syria* libellus. Nomen equidem *Poſtelli* eruditi norunt omnes, cum ſibi linguarum fere omnium, variaque aliarum rerum cognitione non minus quam ineptiſſimarum opinionum & errorum Syſtemate magnum in orbe nomen acquiſiverit, ut hac de re prolixum teſtimonium exhibent Vitæ Poſtelli deſcriptores, quos inter præcipue recenſendus Nobiliſſ. *de Sallengre*,

ram ſuperfluam in ea deſcribenda collocare, ſi priſcorum tantum imitari velim veſtigia. Verum quod ea regio ſit ab Authoribus diverſarum perſuaſionum pertractata,nullusque ſit, quod licuerit videre, conatus, Ethnicorum & noſtræ perſuaſionis hominum, quæ de illa ſcripſere, in unum reducere, viſum eſt, quum una eademque veritas rerum ab utrisque quæratur, quantum noſtra in literis diligentia poterit præſtare,omnium conciliare placita. Primum itaque antiquiſſimos de ea ſcriptores, ſecundo ut tulerit ætas; ſum imitaturus, ut noſter labor lectores conciliandi levet faſtidio. Quum vero potiſſimum meum ſit inſtitutum, juvare noſtræ Religionis ſtudioſos, tamen univerſæ Syriæ diviſionem ex Authoribus Humanitatis tradere volo. Demum de illa, quæ ad noſtrum præcipuè inſtitutum facit, facilius tractavero.

SYRIA igitur, ut generali vocabulo intelligitur, finitur ab ortu flumine Tigri, & mari Perſico, ab occaſu mari noſtro & Ægyptii parte, à meridie Arabiis, Petræa & Deſerta, ab aquilone Armenia majore & minore, monteve Tauro, quamvis & Adiabene, quæ illius eſt pars, ultra Tigrim fluvium ad Choatram & Niphatem montes ſita eſt, ut & Sophene aut Sophoſene in Armenia majore, quæ revera vocabulum ab Arimis, i. e. Syris habet, illi à multis adſcribantur. Continet in univerſum regiones, ſecundum mare noſtrum incipiendo à meridie, Idumæam, Palæſtinam, quæ

in *Memor. Literariis Tom. I. pag. 1.* &c. ut & *Poppe Blountius* in *Cenſura celebr. Autorum. pag. 667.* Orationem ejusdem *de Ling. Hebr. & Arab. excellentia* iterum publici juris fecit Celeberr. *Haſæus* in *Biblioth. Bremenſi Claſſ. VII. p. 193.* Hanc vero Syriæ deſcriptionem, nullo fere argento parabilem, cum jam diu fruſtra deſideraverint Viri Eruditi, hic recudendam exiſtimavimus; prodiit illa primum anno MDXL. & ex illo tempore ſemel tantum typographum invenit, qui ejusdem orbi literato copiam fecit. J. G. A.

quæ & Judæa, Phœniciam, Damaſcenam, & Seleuciam Pieriam; à ſeptentrione Comagenem & Chalcitim; ab ortu Meſopotamiam, quæ & Aram Neharim, i. e. Syria fluviorum dicitur, quod ſit inter Euphratem & Tigrim media, atque Babyloniam, quæ alias Chaldæa vocatur, & patrio vocabulo Chasdai; à meridie habet Trachonitidem & Arabiæ partem. In media ipſa regione Chalybonitidem, Chalcidicam, Palmyrenam, Laodicenam, & Cœlem.

At quia non de ſingulis illis dicere decrevi, tantum quæ in illis ad argumenti rationem facere videbuntur attingam, in unam Palæſtinæ Judææque deſcriptionem omnes vires collaturus. Babylonia ab ortu habet Tigrim & Euphratem junctos, à meridie, mare perſicum, à cujus regionis termino non longè venere Magi ad colendum Chriſtum; ab occaſu eſt illi Arabia Deſerta, & Meſopotamia, quæ item illam à ſeptentrione cingit; ex ea fuit noſtræ perſuaſionis princeps principumque Abrahamus, qui oraculo divino perſuaſus præſentes reliquit opes, ut promiſſas ſequeretur, & etiam 520. paſſuum millibus diſſitas quæreret. Illic eſt Orchoa, alias Hur Chaldæorum, ubi erat magnum Pyræum falſæ Religionis fanum. Ibi flumine utroque juncto alluebatur Babylon, à Nemroto cœpta, Belo & Semiramide abſoluta, Nebucadnezare inſtaurata, olim 60. m. p. in ambitu habens, nunc deſerta, juxta quam nunc eſt Bagdat, aliquando regio Chalephorum, & Perſarum, nunc Turcæ illam Sophianis eripuere. Pars illius Pharſi i. e. Perſia dicitur, quæ ſcilicet in ortum vergit. Nam Perſiam litteræ p. defectu, dixere Barbari Pharſi & Pharaſi.

Meſopotamia etymo fines aperit, niſi quia ad ſeptentriones habet montem Taurum aut Armeniam majorem. Clara eſt Niſibi vel Ninive urbe, à Nino ædificata, ad quam miſſus eſt Profeta Jonas. Huic à borea imminet Aſſyria, olim pars illius. Nolo hic

Carras Craſſi recitare, ne urbi tam ſacris quam prophanis artibus mundum ſpolianti refricem ſui meriti memoriam. Illam à ſeptentrione ſequitur Comagene, terminata Euphrate, Armenia minore, Amano monte, Seleucia, Samoſata urbe clariſſima; Seleucia, Chalibonitis, Chalcitis, Pieria, Palmyrena, ſuis urbibus nomen provinciæ ſibi peperere. Laodicææ & Apamææ eadem eſt ratio, Damaſcene, Cœle, Tracheja, vel Trachonitis, ſunt in nobis propoſita Syria.

Hæc itaque ab occaſu habet mare noſtrum, a meridie Arabiam Petræam, ab ortu Deſertam, à ſeptentrione Libanum: & quamvis Phœnicia habeat ampliorem apud aliquos Authores deſcriptionem, tamen quia Ptolomeus illam Palæſtinæ adjungit, illum magis decrevi ea in parte ſequi, Univerſa itaque Syria, quam Terræ Sanctæ vocabulo nominamus, ab ortu habet montes Libano continuos, & partem Arabiæ; à borea Libanum, & lineam ductam ab eo ad mare; ab occaſu mare noſtrum; ab auſtro Arabiam Petræam. In eá eſt ab ortu Trachonitis; à ſeptentrione Damaſcene, Phœnice & Cœle; à meridie Idumæa; In litore maris noſtri citra Jordanem, Judæa, quæ Galilæam, Samariam atque Palæſtinam comprehendit. Quarum omnium ut ſit tractatio clarior, ita deſcriptionem tradam, ut tempora tulere. Nil vero antiquius de ea quum habeamus, quam illam in 12. tribus à Jehoſua diſtinctam, ut promiſſa Abrahæ hæreditas in filiis locum poſt 500. annos haberet, primum illarum poſitiones partium ad invicem collocabimus, ita tamen, ut ipſos Ægypto in promiſſam hæreditatem primum per 42. ſtationes, vitæ curſum ſignificantes, traducamus.

Relictis ergo peregrinationibus illis in ſuum locum, quas exſpectantes promiſſionem fecerunt, ſtatim afflictos laboribus filios Jacob in Ægypto in terra Goſſem accipio, deducoque per Stathmos ſuos in terram promiſſam. De pingui ergo ſolo collecti ſunt primo

primo in Rameſſe, i. e. gaudii ſtrepitum, donec in Sucoth, tabernacula videlicet tranſitoria, hinc fortiores perfectioresque venere in Ethan. Inde ad Principum ora, Phehachiroth, è regione turris Magdal ad Bahal Tzephon. Indeque recedente divino præſcripto maris æſtu, per ſiccas arenas pro littore tranſivere Jam Suph, mare rubrum, ſeu Caricoſum, continuoque dierum trium itinere, dum Regem ſubmerſum per deſerta ſicca fugiunt, veniunt in Marah, amarorem, & laboris & aquæ amaræ illic repertæ Inde in Elim, arietum fortiumve: ubi & palmas & aquam habuere, à quo loco juxta ſinum extremum maris rubri, Jam Suph dictum, ſive Caricoſum, in deſertum Sin, inimicitiarum, unde Daphca, pulſatio, eſt ſecuta: à quo loco Alus fermentavit illis Manna & Coturnices in deſertis Sin, inde Rephidim videre, manus remittendo.

Duodecima vero ſtatio fuit illis in Sinai tertio menſe, à quo jam diſceſſerant ab Ægypto, aut ut præciſius obſervemus 50. die; illic legem à Deo Moſeh recepit, venerunt vero à Sinai ad ſepulchra concupiſcentiæ, Ciberoth Haravah, unde in Chazeroth, atria ſcilicet, ut Retimah in deſerto Pharan, irent Rhimmon Pharez, ſecando mala punica, unde in Lebna, lateres, atque Reſſa & Cahalta, Eccleſiam, 20. in Sepher, pulchram, poſt in Harada, miraculum ſcil. unde Macchaloth, Thabath, Tharah, Mathca, Hasmonah, Maſſeroth, Bene Jahakan, Gadgad, Jethbatha, Ebrona, 32. in Aſion Gheber, portum maris rubri ad Hailan, unde ad Zin, Hor, Zelmona, Phunon, Oboth, Hie Haebarim, ad Dibbongad, inde Almon Deblatajema, Habarim, in tranſitu torrentis Arnon, in monte vero Abarim ſublatus Moſes, deſideratus eſt rapiente ipſum nube. Moab, Abel Sittim, ubi Balaam volens maledicere præſagivit de Chriſto. Totis itaque 40. annis ille populus à Deo ſervatus in ſolitudine, ſua meruit ingratitudine, ut tantum Joſue

Hebræus, & Chaleb ingrederentur Terram Sanctam, ad quam explorandam miſſus fuerat Chaleb. Cognita ergo regione inter Bethabara & Ægla tranſivere ſicco pede fluenta Jordanis, non longè a mari mortuo aut ſalſo, ſeu Aſphaltite lacu, & Jericuntem ampliſſimam civitatem everterunt. Devicta demum majori illius regionis parte, Joſue ſingulis tribubus præter Leviticam (cui ſuæ oblationes & domus ſatis amplum pro ſacris præmium putavit, Moſis ſecutus mentem,) ſuas terræ ſanctæ portiones adjudicavit, quæ undecim fuere. Nam duodecimam partem Enachim dedit Chalebo. Quam diviſionem ut melius poſſim explicare, ſuiſque terminare finibus, viſum eſt paucis celebriores partes Palæſtinæ prius deſcribere. Littoris ſecundum mare noſtrum extenſio eſt ab Aquilone in Lybonotum. Extenditur vero per 160. millia paſſuum, ut inquit Hieronymus, illius admodum diligens explorator. Ea vero longitudo recta linea à fontibus Jordanis, ſeu à Dan in Berſabee aut Berſammam, eadem menſura obſervatur, niſi quia navigantibus littorum anfractus reddit aliquanto longiores vias. Latitudo vero ipſa eſt à Syrbonitide palude, quæ ipſa parum in Auſtrum à Rinocorura abeſt, per deſerta ad montem Sehir & mare mortuum 103. fere millium paſſuum Italicorum; à Zidone ad Damaſcum per Libanum montem usque in Hermon (quem Alſadanum & Hippon videtur appellare Ptolomeus) ſeptentrionalis latitudo pene par priori eſt, niſi quod aliquanto auguſtior. Secundum vero Hippon montem orientis parte limes eſt, ille ad Petram Arabiæ. Ille quidem mons à noſtris ſacris dictus Galhad, Abarim ad Moabitarum montes dicitur, montibus itaque fere tota regio clauditur; à Meridie habet Melones montes, quos nos Sinai & Horeb vocamus, celebres legis inſtitutione: præterea Moabitarum ad meridiem maris mortui, ab ortu & ſeptentrione quos diximus. Mons vero, qui in Hieruſalem eſt, conjunctus eſt, teſte

teſte Paulo, per ramenta ipſis montibus Sinai. In media vero nil montis eſt celebrius Thaboreo, Carmelo: Cujus Tabor aut Itabyrius videtur Ptolomeo eſſe pars atque Ephraimio. Primus habens adnexam Nazareth, non longius à mari diſtat 45. millibus paſſuum, à Solymis duplo. Alter mare attingit; protenditur tertius, veluti ſecundi ramentum inter Samariam & Jordanem. Sunt & alii quidem fama quam reipſa majores. Verum, poſt fines atque montes deſcriptos, quibus aquis alluatur, præcipuè eſt tradendum.

Nullas habet nobiliores ipſo Jordano flumine, qui illam pene mediam ſecat, ortus duplici ſcaturigine, Jor & Dan, unde nomen, aut, ut alii volunt, Phiala fonte, non longe hinc diſtante, à quo per cæcum alveum in alterum fontem procedit curſus. A fontibus vero diſtans fere 40. millia paſſuum devenit in lacum Authoribus Humanitatis Schmechonitida dictum, noſtris vero vocatum Meron palus: à quo loco, ubi ſingulis æſtatibus aquæ extra alveum ſiccari ſolent, venit in alterum magnum quidem illum, ita ut maris nomen ipſis obtinuerit. Ptimi vocabant lacum Geneſar, poſteriores Tyberiadis, alii Galilææ, in quo partem torrentis Ciſon ab occaſu recipit; Alluit lacus ille urbes plures & vicos, ſed celebriores ob occaſu Capernaum & Tyberiada, ab ortu Genezar, unde primum nomen ſtagno. Inde item per alia 60000. paſſuum devenit in lacum Aſphaltitem, aut mare mortuum, adhuc ultionem divinam redolentem, in eo enim erant quinque Civitates, quæ ſuo ſcelere ſunt ſubmerſæ. Lacus eſt verſus meridiem extenſus ad 90. millia paſſuum, duplo ſeſqualtero ambitu, nunquam latus ultra 30. millia paſſ. In eo perdit aquas ſaluberrimas fluvius, odioque bituminoſi lacus cæco alveo perire mavult, quam aquas miraculoſas miſcere pertinentibus.

De ſuis ergo poſſeſſionibus deturbatis nationibus Chananæorum (præter Ghebaonitas) occiſisque Chananæis, ſcil. Jebuteis, Pherezeis, Æmorreis, aliisque illis

illis adnexis aut faventibus nationibus, diviſa eſt terra ipſis, quibus erat promiſſa.

Antequam tranſirent Jordanem, Moſes conſtituerat Joſue, & cæteris Ducibus, ut pars illa quæ eſt ultra Jordanem, ad Hippon montem, cederet tribui Reubenitarum, Gadæorum, & dimidiæ Menaſſæorum, quia illi erant induſtrii homines, paſcendiſque animalibus, quibus illa regio plurimum pabuli adfert, aptiſſimi. Novem vero tribubus & dimidiæ Menaſſæorum, quæ ſunt citra flumen. In Trachonitide ergo, quæ & Iturea eſt, fuere paſcua Menaſſeh, juxta illos Gaditæ, inde ad Bethabaram & Aroer, quæ in montibus eſt, ad Arnon torrentem, & reliqua, quæ Arabiam attingunt Deſertam, habitarunt Reubenitarum familiæ. His qui habitarunt citra fluvium hoc fuit omnibus commune, quod mari noſtro alluuntur, ab occaſu hoc ordine; à meridie ad ſeptentriones, aut ut dixi ab Africo in aquilonem, præter Benjaminitas, qui a Jerichunte Jeroſolymam usque tantum ſunt progreſſi, Simeonitæ, Jehuditæ, Danitæ, Ephraimæi, Menaſſæi, Aſſeritæ, Zabulonitæ, Naphtalitæ, quibus ſi addes Benjaminitas, Gadæos & Reubenitas, tribus undecim compleveris, illis accedens duodecima Levitarum, quibus ſuæ urbes ſunt aſſignatæ, imponit colophonem. Verum quia non ſatis videor aſſignaſſe rem ipſam, niſi & limites omnium præfinivero, tradendi imprimis illi mihi videntur. Simeonitæ igitur habent à meridie deſertum Sin, quod Arabiæ arenas hodie dicunt, & torrentem Ægypti, i. e. Syrbonitidem paludem; ab ortu lineam à Berſamna aut Berſabee ad Bethlehem, & inde ad Gazam novam. Quam vero numeroſas urbes populoſasque temporibus Joſuæ habuerunt, ut non poteſt videri, niſi nomine, ita parum refert. Conſtitutis enim tribubus illis aſſignabimus, non quas urbes illi tum habuere, ſed quas tempore Chriſti Jeſu, Joſephi, Hieronymi, & noſtra, habere regiones cognitæ ſunt. Libido enim prædonum,

num orbi imperitantium, aut funditus quotidie urbes delet, aut ſemidirutis nomina nova confingit de ſui ſceleris memoria. Judæ tribus fuit ſecundo loco, ab auſtro finita ſuperiori ac reliqua deſerti parte, ab ortu mari ſalſo aut bituminoſo & Jordane, ſeptentrionem claudit Benjamin & Dan; in tam parvo terræ angulo fuiſſe ſine vicis & villis 104. urbes, mihi cum miraculo relinquit argumentum & populoſæ diligentiæ & nunc effœtæ aut neglectæ in eo ſolo naturæ. In hac eſt celeberrima Bethlehem, Chriſti natalibus clara. Benjaminitarum pars, quæ Solymam habuit à meridie proximam, à ſeptentrione Ephraimeam, occaſu Danicam, ortu Jordanem, pars, ut inquit Joſephus, mole minima, ſed opibus excellens. Illi Dan ad occaſum eſt, inter Ephraim & Judam, ſequens ab ortu Jordane, aquilone Menaſſæorum ſorte dimidia clauditur. Manaſſe inter hanc & Carmelum montem eſt ad Scytopolim usque, quæ illi ab aurora eſt, cui continui Aſeritæ, Zebulonitas partim à ſeptentrione habentes, hi ab ortu Nephtalæos, illi ad Menaſſæos & Ituræos, hi montes ſolem orientem tegunt. Secundum Gaditas & Reubenitas, qui ad Aſphaltitem lacum ſunt. Hæc de finibus.

Nunc de urbibus & rebus cæteris celebrioribus in tota Syria eſt dicendum; ubi non obſervabimus, quæ in tribu ſingula ſint, quaque occaſione celebrata, (eſſet enim infiniti inſtituti iſta perſequi.) verum nobiliora nulla prætermittentur. Sed antequam ad particularia nomina urbium venio, conandum eſt, ut provincias, in quarum nomine nobis & Authoribus Humanitatis convenit, noſtris aptemus tribubus. In Idumæa ergo eſt pars tribus Simeon, & pars Judæ, quæ ſcilicet ad montes vergit. Judaitæ & Benjaminitæ cum Dan & Ephraim occupant Palæſtinam, quæ proprie Judæa eſt. Samariæ Ephraim adſcribebatur & Manaſſeh. Galilæa vicina eſt duobus lacubus, Phœnicia mari proxima ad radices Libani montis, qua

pro-

procurrit in ortum inter Libanum & Antilibanum, eſt Cœleſyria, Trachonitidi, quæ Hutz ſancta voce dicitur, prima eſt. Noſtris vero, præter dictos, ſunt in ortu Moabitæ & Ammonitæ, ad orientalem plagam maris ſalſi. Plinio vero erant Eſſeni, continentia inſignes, ad occiduam illius partem, non longe ab Engheddi. Decapolitanam etiam à decem urbibus vocavit partem illam, quæ Damaſco proxima eſt. A noſtri littoris finibus, veluti à notiori & celebriori utrisque authoribus plaga, incipiam deſcribere, à parte Ægypti vicina exordium ducens. Quia limes eſt notior à torrente Ægypti, ſeu à Syrbonitide palude, inde in Rhinocoruram, quæ in littore è regione Berſcba eſt, tendo. Ea vero dicta eſt à naribus mutilatis, qua pœna proſcriptos Ægypto Æthiopes victores in illam mittebant. Illam ſequitur Anthedon Gazæ celeberrimæ urbi vicina, quæ in nomine Gazara priſci ſervat reliquias. Clara eſt Samſonis facinoribus, portu Majoma vicinis Eremis Hilarione ad ſex millia paſſuum inde cultis. Thabatha vicus quinque millia paſſ diſtans, ortu illius nobilis. Inde ad duodecim mille paſſ. eſt Berſeba, aut Berſamme dicta Ptolomæo; Limes illius terræ ad Auſtrum: In qua collocanda & Jacobus Zieglerus, vir Mathematicorum eloquentiſſimus, mihi in ſua Palæſtina erraſſe videtur. Locat enim poſt Gazam verſus Urſas, quum revera verſus meridiem tendat. Quam in partem etſi collocavit Wolphgangus Wiſſemburgus, in ſua diſtantia admodum aberravit, facit enim ut plus quam 50. mill. paſſuum diſtet: eam nunc Giblin vocari contendunt. Inde ad 6. m. paſſ. eſt Aſchelon, quæ & nunc nomen ſervat, fortiſſima civitas, forma ſemicirculi portum ambiens. A quo loco ſecundum littus 12. m. paſſ abeſt Asdod, Azotus dicta, olim urbs, nunc vicus ruinis magnitudinem teſtans. Accaron ſita in promontorio Jannetorum Ptolomæo, olim vocabulo urbem, nunc villam repræſentat. Quam ſtatim ſequitur poſt 15. paſſuum millia Geth,

Geth, quondam etiam urbs, nunc vicus Ibelim, diſtans in eandem plagam 12. mill. paſſ. à Joppe antiquiſſima, quæ nunc Jaffa eſt, multis clara nominibus, ſed nullo nobiliore, quam appulſu peregrinorum occidentalium Hieroſolymam contendentium. Inde enim vix per 60. mill. paſſ. diſtant Solymi. A Geth in Euronotum eſt Bethſemes i. e. domus ſolis, urbs in Bibliis clara, non longe à Jamniis 6. aut 8. mill. paſſ. diſtans, à quo loco in ortum mons viſitur clarus ortu & ſepulchro Macchabæorum, Modin vocatus. Sequens ab Japha ſinus excipit Cæſaream Palæſtinæ, dictam Stratonis & Philippi, quæ olim erat Palæſtinæ univerſæ Metropolis, ſeu Archiepiſcope. Non longe ab illa erat olim Dor, Dora Ptolomeo, inquit Hieronymus, ſuo ſeculo diruta. Credidit Accaron antea dictam, quam turrim Stratonis, à quo & Cæſarea in honorem Cæſaris, prius Appollonia Plinio, poſtremo Flavia Colonia à Veſpaſiano. Nobiliſſima eſt domibus & fide Philippi & Centurionis, qui accerſivit Petrum à Joppe. Ptolomeus tamen inter turrim Stratonis & Joppem in medio ſinu locat Apolloniam veluti diverſam. Juxta verſus Jamneos, qui 40. hominum millia in bellum educere poterant, ponit Strabo Gadaram, quam non eſt dubiam vocari in ſacris Gezarah, quum Gazarah & Gaza maxime diſtent, & litera Z. facile in D. migret. Antipatris ab Herode nomine patris dicta, quæ nunc Arſur verſus auſtrum paullo ad 12. mill. paſſ. eſt. Juxta quam ad ortum eadem fere ſpatio eſt Manathat, alias Cathoc ad montem Saron, vel Sarona, vel Ephraim fortiſſimum Arabum Caſtrum. A Jaffa in ortum ad 6. mill. paſſ. eſt Dioſpolis, olim Lydda, Dorcadis ſuſcitatione celebris. inde verſus ortum ad duas horas itineris erit Lobna, paulo verſus Auſtrum erat Lachis, duæ Beth Horonim, Hajalon, & Gabaon, Acheda & Maceda, olim urbes nunc nomina. A quo loco ſecus Helene monumentum aditur caput Palæſtinæ, Hieruſalem. Sed redeo ad littus: è regione fori Cæ-

ſareæ

ſareæ eſt Inſula quædam, in qua hodie caſtrum quoddam eſt ædificatum, Mahummeticis hominibus habitatum, olim peregrinorum dictum.

Dor vel Doran olim alluebat fluvius Chorſeus, alias Torrens Ciſon vocatus, Ciſon oritur ex montibus Ephraim & campis Galilæenſibus, & partim in lacum Tiberiadis, partim in mare noſtrum fluit. Ad illius ripas juxta montem Carmelum, qui nunc Carmene eſt, locus eſt celebris, in quo falſos profetas divina ultione occidit Elias, qui ſui monumenta etiamnum in fine occiduo ipſius montis ſervat Carmelitarum; unde in totum orbem ordo ſerpſit, urbes eremis præferens.

Vulgares peregrini non longe ab eo urbem quandam Caipha nomine adſcribunt, aut novam nomine, aut primis ignotam, niſi quæ olim Aca, poſtea Ptolomais, cum priſco nomine Acon, & Aca mutaverit nomen in Caipha. Ita enim nautæ certiſſimi Authores tradunt. Acca ipſa, utut vocetur, erat munitiſſima, 12. millibus diſtans à Carmelo verſus Boream, quo ab eo ſpatio aberat Ecdippa, in eo loco, ubi nunc eſt Caſtrum Labarti, pari demum in eandem partem ſpatio eſt Iſthmus Tyriorum, in loco quem Sandalium vocant, ubi arx eſt munitiſſima, urbs cœlo ſoloque feliciſſima: vitibus, fructibus omnis generis, frumentoque abundans, ex qua coloniæ in totam Aphricam translatæ; ſacræ literæ Zor nominant, Tzade vero Hebr. ſolet frequenter in T. tranſire. Hodie vulgari vocabulo Suri vocant, non ita longe ab Acri promontorio habet juxta ſe ad occidentem arcem munitiſſimam totius Syriæ, quam tamen Muhammedici devicere. Ante 30. proxime actos annos erat Archiepiſcope ſub ſe habens Berytenſem, Aconenſem, Sidonienſem, Paneenſemque Eccleſias, nunc nomina illa & ambiuntur & redimuntur ab Epiſcopis cupidis. Non longe eo diſtat puteus ille viventium aquarum, de quo ob pulchritudinem fit mentio in ſcriptu-

ſcripturis. Zidon olim erat ſequenti ordine, nunc vicus ruinis & nomine inſignis. Illi à tergo imminet mons Antilibanus dictus, vulgo Abelinas, Cœleſyriæ terminus. Illinc verſus mediterranea eſt Sacchari ſeu mellis cannæ copia, vici nobiles, caſtra munita, erat & Sarephta Sidoniorum, nunc maceries inter illas duas, inter quas Leon fluvius excurrit. Ultra ipſas ad 9. horas itineris eſt Berythus ſervans hodie Baruthi nomen, Biblos Gibleth dicta eſt, ſequenti in littore diſtans ſex horis à ſuperiori, quam ad æquale ferè ſpatium ſequitur Botrys, nunc & diruta a Chriſtianis, & Botrum vocata, inde à 9. mill. paſſ. eſt Inſula Roncino dicta, ubi Nephros urbs & Caſtrum fortiſſimum, inde ad leucas 3. erat Tripolis illa celeberrima, ampliſſimaque, nec minus opulenta, quæ ea ſemper eſt uſa felicitate, antequam proximis bellis ruinam pateretur. Habebat hominum omnia genera, opumque, ſed præcipue ſerico abundabat. Illam ultro citroque ambit Adonis fluvius, pro magnitudine amœniſſimus, qui Libano monte profluens, fons hortorum fluens de Libano ob irrigandi delicias dici creditur. Uno hoſtio ponit aquas ultra Berythum 6 mille paſſuum, creditur pars ſeptentrionalis eſſe Eleutherus fluvius, uterque enim Libano oritur. Sed poſterior Arquæ vocabulum habet, Arados & Antarados, celebres, Orthorſiaque & Balane, quam Belenas hodie dicunt, faciunt finem ab aquilonibus littori Phœnicum: Servant aliæ nomen. Celebris eſt Arados inſignibus pyramidibus. Verum Inſula Arados à Tortoſa i. e. Ortoſia nomen ſervat. Sed nunc mihi Libanus petendus eſt verſus luciferum, ſi tamen prius de flumine Eleuthero in Cœleſyria orto, addidero eſſe apud Strabonem finem Phœniciæ, unde quum Velanam, vel Velenam urbem alluat, dicaturque eo nomine, adducor magis ut credam ita nomen mutatum, ut Chryſorrhoas, ſit fluvius Arquæ, nam oritur ex Damaſcena regione. Ego interim nolo

omittere vitrearias arenas (quamvis præter Sacrarum Litterarum argumentum ſunt) quæ in littore Syriæ inter Acam & Tyrum reperiuntur, ex caſu, demum Sidoni fuſionem recipiunt. Plinius ait, ad radices montis Carmeli ex palude Candebææ naſci flumen Belum 5. paſſuum mill. amaro potu inſalubrem, limoſum, vadoſum, profundum, cæremoniis Sacrum, quod non niſi refuſo mari arenas fluctibus purgatas fateatur vitreas. Littus in quo ſunt, 5. mill. paſſ. tantum eſt.

Nolo his immorari in caſu ſuppoſiti à nautis nitri, igne tum cum arenis liquefacti, unde rei vulgatiſſimæ, quum noſtris aut lapilli, aut arenæ, aut petræ ſalſæ ſint in melioris vitri uſu. Verum cum hodie nulla inſalubris aqua illic reperiatur, niſi timerem mea conjectura offendere quoſdam, crederem ſane lubens illas aquas mitigatas, ab eo, qui Hiericuntis fontem ſale & precibus ex amaro dulcem reddidit, & iſtas, ut ſequacibus utiles eſſent, etiam mitigatas inque uſum converſas humanum: eo argumento, quod fontes illi, qui ſunt ad puteum aquarum viventium videantur non longe à Candebæa illa palude abeſſe, & prætereà nulla in parte Syriæ quam illic ſalubriores ſint.

Libanus ergo & Hebraice & Græcè à thure dictus, non longius 12. paſſ. mill. à mari incipiens abit in ortum 1500. paſſ. ſtadia. 1. mill. paſſ. 187. ad Palmyrenam usque regionem, cui interjacente Cœleſyria obtenditur Antilibanus, olim muro junctus. Ex ipſo oritur Antilibano, non Libano, ut plerique putant, temereque aſſerunt, Jordanis fluvius, qui inde in lacus ambiens Merom, Tyberiadis, Aſphaltitidis finem, ut dixi, facit. Humilis Syria nihil habet Damaſco nobilius, tam loci amœnitate, cœlique ſolique fœlicitate celebris, quam imitatione Pauli noſtræ perſuaſionis principis. Regio illa montibus intercœpta Straboni lata 200. ſtadia; longa, à mari ad Trachonitidem, duplo: irrigatur flumine Chryſorrhoa, qui in

irri-

irrigationes conſumitur. Lyco flumine ab occaſu, & Jordane,unde apud ipſum eſſet in Cœle aut totus Jordanis, aut illius pars. Pingunt enim non pauci amplum rivum in illum à Damaſcena regione deſcendentem,ut & ab occaſu paullo ultra montem Antilibanum parvum Jordanem.Ibi eſt Heliopolis, Cæſarea, Abyla, Hierapolis, Chalcis. Cæſareæ plura nomina differentia fuere, Lachis aut Lais, Laiſedan, Dan, Cæſarea Philippi, Tetrarchæ illius regionis, Paneas Neronia, quod nomen à Nerone obtinuit. Ajunt hodie Bellenam dici, & ab Evangeliſtis Maggedan & Dalmanutha. Ante illam concurrunt fontes duo, Jordanis & aquæ, quæ ab Syris Arabice Medam, i. e. Aquæ Dan dicuntur; inde dimidio itinere verſus Ptolemaida ſunt ruinæ Antiopæ urbis quæ dicebatur Haſſor, quum a Joſue eſt everſa. Non paulo longius in Lybanum eſt arx Thuron munitiſſima. Verum antequam paulo longius diſcedo à Libano monte, nolo obmittere urbem à tergo illius ſitam, ad ſeptentriones, Paradyſus nomine, quæ ob amœnitatem hortorum, qui Hebr. Pardeſim, græcè παράδεισοι dicuntur, nomen habet, à qua ferè ad 6. mill. paſſ. in eandem plagam eſt Antiochia vicina Chalcidi, clariſſima Epiſcope Petri, & Egnatii; quam ab ortu Chalibo, nunc Halap reſpicit, itinere diurno diſtans. Sed redeo ad Jordanis fluenta; quum in ortu illius celebrius Tracheis montibus, Galhad, Tſehir, Hermon, Hebarim, Moab, quo ſunt ordine dictum, nil ſit. Ab occidua parte aquarum Meron non longè ab Aſſor urbe locus eſt facinore Jahelis in Siſaram clarus; inde ad 6. paſſ. mill. eſt Zebul caſtrum à Zabulonitarum tribu, quæ illic finem habebat dominii, dictum, etiamnum forte & munitum, à quo ſi in Notum tendas, occurret intra tres horas Sephet; locus pulcherrimus arce munitiſſima, poſtea deflectendo verſus Boream, ad 12. millia paſſuum, ſe Cades Nephtalim offeret, olim populoſa, nunc præter arces ſuis ruinis clara. Quæ fuerit olim Sephet,

non poſſum divinare. Jam ſum proximus locis à Chriſto frequentiſſime frequentatis, inde enim, à Sephet ſcil. in loco declivi ortum verſus eſt mons in maris lacusve Tyberiadis littore occiduo nobilis. In eo enim, cum in regione, in qua natus ſit, docuit diſcipulos mundum contemnere, orare, prædicavit, quinque millia hominum pavit paucis panibus & piſcibus. Ibi ſpecimina divinitatis celeberrima edidit. Diſtat tantum ſtadio à lacu, quumque ſit parvus, mirum tamen, quod proſpiciat & totum lacum, & regionem Trachonitidem. Illinc non longè aberat Capharnaum fons, urbs, regioque Litteris Sacris cognita, nunc nomen & vicus. Nollem hic obmittere, quod fontem Capernaum credidere multi eſſe Nili ſcaturiginem, eo quod fons ille ſolus piſces Coracino ſimiles poſt Nilum cognoſcitur producere. Verum lacus Tyberiadis amplitudo eſt proſequenda. Genezar lacus, quem mare Cinereth Biblia dicunt, 40. ſtadia latitudine patens, 100. longitudine, præter lacuum morem claris aquis, frigidis, numquam ab æſtu maceratis eſt, ob idque ſalubribus & potabilibus. Alluebat olim præclaras urbes multas, nunc fere tantum nomina, arcibus & vicis paucis aſſignata. Habebat olim in ipſo ingreſſu fluminis Guliada urbem, quam quidem volunt eſſe Bethſar, unde conſtat duas eſſe, ſi hic una ſit. Regio tota, ut vult Joſephus, dicebatur Genezara ea de re mirabilis, quod, cum omni genere fructuum abundet, nullique cedat regioni fertilitate, uvam tantum & ficum totis decem menſibus ipſa ferat, quum alioqui eſſe biferas & triferas arbores, præcipue ficum & Muzam, in ipſa Syria ſit vulgare.

Ipſi Capharnaum aut Capernaum erat proxima Bethſajedah, ex qua Petrus & Andreas orti, quæ utraque hodie etymi rationem ſervat piſcationis, aut venationis officinam. Nam ſunt ædiculæ piſcatorum. E regione erat Chorazin, cui maledicebat Chriſtus.

Erant

Erant & Tarichea ſuo excidio claræ. Ultra amnem regio Huſſitæa eſt in Trachonitide, in qua Tzueta, quam Pyramis Jobi honeſtat, Theman, Gaulon, Seleucia, eæque paulo verſus aquilonem. In noſtro littore eſt Magdalum vicinum 6. mill. paſſ. à Bethania, nobile ſua Magdalena & affinibus. Tribus paſſ. mill. verſus occaſum erat Nephtalim civitas, nunc Siziz Arabes vocant, non longius tribus horis pediti diſtans à Bethuliæ monte; ubi etiam hodie Dutni, vel Dotani caſtrum errore Joſephi priſci clarum viſitur. Nunc, quum ſit proxima noſtra deſcriptio Nazareth, antequam de Salvatoris incunabulis dico, percurro orientalem plagam fluminis ſcil. Moabitarum, aut duas tribus. Quedar, Gedarah, Ghemala, Aſtharoth, Rhamah Ghilead, ſunt è regione ſtagni ad ortum, Pella præterea & Amathus, atque ab illa Aquilonia. Geras Ephron Machanaim verſus torrentem Jaboc, Debirque & Kiriath Sepher, i. e. Academia, vocata eſt, Chesbon, Aroer in homonymo torrente. Lybias, Macherus, Callirrhoe ſerim, Norim petra deſerti, Jasmoth Boſor, veniunt in fines Aſphaltitis lacus. Nunc paſſim cætera mediterranea. Nil Galilæa habet magis celebre loco conceptionis Salvatoris noſtri J. C. vico Nazareth ſcil. in qua nata eſt & deſponſata Sancta Maria, inſtauratæ naturæ principium; Vicus eſt humilis, in quo mundi author arbiterque voluit ſuæ temporaneæ originis ducere incunabula. In Galilæa gentium ad viam maris eſt ſita, ut prædixerat Vates, populis, qui in tenebris ambulabant, Galilæis ſcil. & Samaritanis, qui jam à lege Dei deſciverant, temporibus Rhehabani, quique in monte Garizim religionis placita ſervabant. Vicus ille ad radices montis Thabor 6. mill. paſſ. minus ſitus eſt, qui mons clariſſimo eſſe poteſt Divinitatis argumento, quod in ſe Chriſtus oſtendit. Inde ad Sephoram urbem ſunt tres leucæ, ex ea putatur ortus Joſephus, politicus pater Chriſti, montes Hermonii. Endor, planities Galilææ

vel Esdraelon, torrens Ciſon ad pedes Itabori profluens, ambiunt prædictum vicum; Civitas Najm eſt in ramento Hermonii majoris ad occaſum ſita, reſpiciens Nazareth ab auſtro. Si inde verſus Euronotum eas, erit Campus Sabæus, vel planities Samaritana obvia, in cujus parte Septentrionali eſt Suna, vel Tzion, occidua autem Aphecenſes ruinæ viſuntur, in ortu verſus mare Bethſan juxta montes Ghelboë, qui contigui ſunt Samaritanis, differunt quidem montes Ghelboë & Hermon ſecundum latitudinem tantum, ſed prior auſtralis eſt; juxta Bethſan ad occidentem, vicus eſt Zerecin, qui creditur olim fuiſſe Jeſraël in monte Ghelboë. Non hinc longè diſtat Salim, ubi Johannes Baptiſta fungebatur officio intinctionis & adhortationis ad pœnitentiam. Ennon illi eſt vicina borealis. Quamvis ruinæ Sebaſtopoleos, quæ olim erat Samaria, veluti ſecunda Hieruſalem, tantum relinquant priſcæ nobilitatis argumentum, tamen ideo mihi referendæ videntur, quod rerum humanarum conditionem maximè repræſentent, ut quæ maxima ſunt, nusquam ſint. Ex reliquiis illius loci vix ſuperſunt aliquot ædiculæ loci amœniſſimi, & ex arce clariorem Phœnicis partem præſpectantis cultrices. Inde ad 6. mill. paſſ. verſus ortum erat Thirſah prima Samariæ regia ante Somron Samariamve, Sichemii & Bethelii intra 8. mill. paſſ. ſunt loca vicina montibus, ubi primum falſæ religionis primitias publicè locandas curavit Jerobam. Sichem vero Neapolis aut Napoletza dicitur. Intra jactum arcus erant Thebæ Syriæ, in quibus ne caſa quidem manſit. Mons Gebal & Garizim clari Sacris Samaritanis, præterea duo fontes, unus ex quo torrens Cherith, juxta quod non longe corvi paverunt Heliam.

Inde brevi ortum verſus itinere, eſt Jerichus, palmetis, aquisque medicatis, ac ſuis clara ruinis, habens è regione Galgala, ubi fuit prima recutitorum caſtrametatio. Inde Eſſenorum gens commendatæ caſti-

tatis

tatis erat in occidua Aſphaltitis parte, infra quos erat Engheddi, & Maceda caſtrum. Redeunti inde ad ſiniſtram relinquitur Herodium, quæ olim Thacuah erat, veniendoque in Hai, reperitur mons ille, in quo Chriſtus inſultus Satanæ verbo jejunioque fregit, perque Bethaniam Ælia Capitolina ſeu Hieroſolyma aditur; hæc vero nulla non parte ſui celeberrima à meridie habet, poſt Bosrah, Bethlehem terram Judah, non minimam partem inter principes ejus, ex qua exiit Dux, qui ſuum hodie Iſrael in æternum recturus regit, Jeſus Chriſtus. De utraque puto melius ſilere, quam pauca ſcribere, quum ipſe Plinius, nulli addictus perſuaſioni, illam clariſſimam urbium Orientis dixerit, iſtam longe ante Vates Sacri celebraverint.

Ultra magis ad auſtrum erat vallis Mamre, Chebron, Ramah meridiana, mons Chernel interior, Cades Barne finis Terræ Sanctæ ſecundum montes Arabum vel Ædumæorum, in quibus eſt Tzeghir. Partem Libonoti atque occiduam Chus obtegunt, proximè quidem Cariathjeharim, ſaltuum civitas, verſus Eglon, Betſur, Gerare, Siceleg et Berſammam, Lacis eſt verſus Geth, paulo verſus ſolem deciduum, & Sabbathi itinere Emaus, nunc Nicopol, quæ verſus auſtrum habet torrentem Sorred baptiſmo Eunuchi clarum, hinc venis per Bethſemes ad Accaronitas & Jabneos, quos Ethnico vocabulo Janneos & Jannetas dici indicavimus.

Rhama ſeu Rhamata medio eſt itinere inter Joppenſes & Solymos. Rhama tertia eſt Bethelis vicina, ſic vero dictæ ſunt Syriacè, quod ſint in editis locis ſitæ. Bethel vero ipſa reſpicit ab Ælia ſeptentrionem. Demum per Gabaah Ghebaon & Hajalon adit urbem. Prolixior eſſem in transſcribendis à Sacra Scriptura nominibus urbium, ſi aliud quam nomina eſſent; verum quum earum bona pars à recutitis primo, ſecundo à Medis, Perſis, Aſſyriis, Ægyptiis, Macedonibus, Romanis, Tartaris, Turcis, Chriſtianis, & in ſumma ab

 omni

omni fere orbe ſit everſa, locaque nuda reliquerit, videbor feciſſe ſatis, ſi hoc enchiridio antiquorum noſtræ perſuaſionis auctorum peregrinationes elucidavero. Primum itaque Chriſti Authoris, ſecundo Pauli & Petri, amplificatorum maximorum noſtræ Religionis, adſcribam, ut clare liqueat, quantum pro fragilitate noſtra ærumnarum ſuſtinuerint, ita tamen, ut ſi quaſi re præcedenti fui paulo brevior, ſuo loco ſingula aperiam.

Peregrinatio Chriſti ſecundum Matthæum.

Natus eſt Jeſus in Bethlehem, unde timore Herodis Tyranni ſeceſſit in partes Ægypti mater ſuaſu Angeli, inque eum locum ivit, ut credunt, ubi eſt hortus Balſamo nobilis, donec Herodes à Magis illuſus occideret bimos in Bethlehem ſ. Rhama meridiana, à qua pridem audiverat ululatum vates divinus, inde poſt furorem rediit in Nazareth vicum Matris in Galilæa, à qua seceſſit verſus Jordanem Baptiſmi cauſa, unde fuit in Salim ad Joannem, ut vero eſt ſimile. Spiritus demum illum in deſertum, templi pinnaculum, montemque, quem Carentane dicunt, duxit: unde rediens, iterum Nazareth illam (quum nemo ſit Propheta in patria) reliquit, ut ſecederet in Galilæam ad Capharnaum, ambularetque juxta mare, Tyberiadi ſcil. unde pererrata tota Galilæa, conſcendit montem illum, de quo dixi juxta lacum Genezare, à quo ſecundo, dum lepra infectum curaſſet, eſt vocatus in Caphernaum à Centurione, qui fide operam Chriſti præveniens, Paralyticum filium ſanatum vidit, inde adiens Petri domum Bethſaidam, ſocrum illius febri liberavit.

Voluit vero & ultra lacum transfretare, ut ventis contrariis & mari æſtuoſo imperans, ſuæ divinitatis argumentum ederet, trajecto itaque lacu venit in Genetzar, quam alii Geraſen vocant, ubi immundos Spiritus humanis corporibus ejecit. Trajectione inde re-

repetita redit domum, ſed interim principis filiam ſuſcitando, cæcos duos lumine donando, & in ipſis ædibus paralytico demiſſo curato opera naturæ inſtaurabat. Templum inde proximum Sabbatho adiens Capharnaum, ut Joh. 6. aridam hominis manum inſtaurat; unde ſecedens, ob Phariſæos infenſos, mutum, cæcum dæmonioque correptum ſanum facit, repetitaque item domo, pergit ad lacum, ubi vim obſcure ſcriptorum diſcipulis apperit, inque deſertum vadens paſcit amplè turbam 5000. hominum duobus piſcibus & panibus 5. quibus peractis turbæ jam importunæ fugitantior petit Genetzar, ultra lacum, à quo loco per mediam Galilæam petit Tyron & Sydona maritimas urbes, ut illis eſſet melius, quam Chorazin & Betzaidæ; ibique curavit filiam Chananeæ, quæ à dæmone agebatur. Inde vero item repedando repetit ſtagnum & montem ſolitum, Marc enim Galileæ cum lacu Genetzar idem eſt, ibique item extemplo ſanatis omnibus, & aucta, quam quotidie nobis multiplicat, natura, pavit ſeptem panibus, & paucis piſcibus 4000. hominum, indeque ſolvens venit Maggeddam verſus Jericunta, ubi petivere Phariſæi ſignum, unde illorum invidia recedens trajecto lacu venit Cæſaream, à qua montem Thabor adiens, divinitatis exemplum tribus ex ſuis monſtravit. Agens vero aliquot dies in Galilæa, ſuperato Iordane venit è regione Judaicæ tribus, unde petit Æliam, à qua (non acceptus ſacrificulis) petit partes Jericuntæi buſti, ubi cæcos duos luce donat. Rediens inde in Salem tranſit per vicum Bethphage & hortum olivarum, quæ loca ſita ſunt ad ortum Solymæ, intrans demum Hieroſolymam, vir abjectus & fimbriatis exoſus, audet (ut ſub quo, quum libet, tremunt univerſa) purgare patris templum negotiatoribus. Fecit item Bethaniam iter, à qua rurſus Hieruſalem & Templum, unde tertio Bethaniam redit, inque olivarum montem & villam Gethſeman, inde per torrentem Cidron urbis

colluviem, quæ ortu Jordanem petit, trahitur in jus in urbem, ad quam ſervandam venerat, ſupplicio demum afficitur in monte Calvariæ, olim extra urbem verſus Euronothum. In inſtaurata vero urbe fuit mons ille cinctus muris, ibique nunc eſt Templum Sepulchri & Crucis. Poſt reſurrectionem vero viſit ſuos in Galilæa, ut prædixerat. Hactenus Matthæus, verum quia Johannes proſequitur multis, quæ alii omiſere, ante peregrinationem ſecundum Lucam non tradam quæ addidit.

Ut Lucas ſcripſit, Chriſti Peregrinatio.

Nata Maria & deſponſata in Nazareth, viſitavit cognatam Helizabeth in terra Juda (quæ videtur eſſe Bethlehem) ſexto à conceptione menſe, repetita inde domo, profeſſuri nomina ſub Cyrino adierunt Bethlehem; ubi ſuæ familiæ Davidicæ ſubſcriberentur Joſeph & Maria, illisque concurrente magna admodum turba, Maria paupercula diverſorio occupato coacta eſt in publico ſtabulo partum mundi arbitrum edere, quo in loco commorata, ad tempus purgationis curavit deferri in templum, ut ſub lege à lege ſoluturus per circumciſionem eſſet 8. die; 40. demum ipſa Hieroſolymam abiit, purgationis gratia, Symeonisque ſacerdotis & vatis in ulnas expoſuit primogenituræ jus ſolvens domino. Unde Nazareth ſuam patriam petiverunt, quotannis tamen templum majus ſemel voti gratia viſendo, donec anno duodecimo inſciis parentibus, incepit juvenis Jeſus ſui ſpecimen inter legis arbitros edere, ubi tamdiu manſit, ut parentes domo exire, ad ſe quærendum, coëgerit. Inde rediens cum matre in Galilæam, diutius in illis locis converſatus baptiſatur à Johanne, juxta Salim in Enon ad fluenta Jordanis; unde actus à Spiritu in montem deſertum, templi pinnaculum transfertur, jejunatque in monte 40. dies, more Moſis & Eliæ. Indeque per Hieruſalem tranſiens, rediit Nazareth, à

qua

ia pro beneficiis nebulones ſacrilegæ eum ejece-
int, in montem trahendo, ut præcipitarent Pro-
ıetam non in patria probatum; unde effugiens Ca-
ıernaum petiit, ubi in Templo docens fuit, ante-
ıam Simonis in Bethſaida domum abiret, in qua ſo-
um à febri vindicaret, unde conſcenſo navigio pe-
t Genezar, indeque in deſertum paralyticum curatu-
s ſe contulit, à quo diſcedens loco, per ſata tranſiens
nit in ſolitum montem oraturus, quod ubi pergit, diſ-
ɔulosque inſtruxit, repetit Capernaum curaturus Cen-
rionis filium, indeque in Civitatem Nain, ubi viduæ
ius eſt vitæ reſtitutus, abacturusque dæmonium ab
ɔmine Genezar repetit, & intrat in domum Jairi prin-
ɔis Synagogæ filiam curaturus. Inde vero diſceſſit
deſertum Bethſaidæ ad borealem partem ſtagni, petit
ıabor montem divinæ naturæ ſigna præcipuis diſci-
lis oſtenſurus, unde digrediens, languoresque cu-
ıs innumeros, petit Hieroſolymam, indeque adit
oddam caſtrum, (quod Bethaniæ aut Magdali ob
ıicitiam ſuſpicor) tranſit hinc per varia loca veniens
Salem, ibique in domo principis Phariſæorum Sab-
tho curans hydropicum, beneficio iram ingrato-
ıı Phariſæorum ſuſcitavit. Inde ergo digreſſus ve-
ın Samariam, ingreſſusque caſtellum decem lepra
ectos purgavit, hinc repetit Hieruſalem, & usque
ericuntis buſta ivit, unde Hieroſolymam repetens
ɔlebe & pueris honores divinos habuit, abiensque
e poſt longam exhortationem in templo, & cœ-
n cum diſcipulis ſumtam, hortum à ſe frequentari
itum, proditore Juda domeſtico rapitur & affligitur,
ue poſt reſurrectionem adparet diſcipulis euntibus
Emmaus, indeque, bis videtur à toto cœtu diſci-
orum, editque, ne ſpectrum crederent; confirma-
ue illis, & promiſſo Palacleto, in Bethanian con-
ens præſente cœtu credentium Cœlum petivit.

Joannes addit, viſum fuiſſe ſecundo i. e. poſt
roſolymitanam adparitionem ad mare Galilæum
Tyberiadis, ipſique Petro priſtino vitæ inſtituto

intento conſilium melioris piſcationis dediſſe, ubi item comedit cum diſcipulis. Diverſi vero nil habet Joannes, niſi quod loco illo, in quo dicunt verſatum fuiſſe Jeſum in Galilæa, in Cana Galileæ, qui locus non longe à Nazaret verſus ſeptentrionem ſui ſervat veſtigia, fuiſſe bis exponit, & ubi ajunt cæteri Samariam inviſiſſe, dicit fuiſſe in urbem Sichar, ubi petivit mulierem aquam, aquæ vitæ largitor, qua miſeram noſtram ſitim ſedare ſua miſericordia dignetur. Nunc Apoſtoli quomodo provinciam executi ſint, duoque præcipuè colophones Petrus & Paulus, videndum.

Peregrinatio Petri.

Pauca admodum de Petro Sacra Scriptura tradit, unde ab Actibus & Epiſtolis Paulinis, atque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ contextu mihi ſcribenda peregrinatio ejus videtur. Natus eſt Bethſaidæ vico ſito ad littus maris Galilæi, exercuitque cum fratre Andrea piſcationem, donec à Chriſto in piſcationem hominum mundi illecebris immerſorum deligerentur. Cæterum fuit ſemper aſſiduus Chriſto comes quoad vixit. Poſt mortem ergo Jeſu ſubſedit parum Hieroſolymis, ut ſepulchrum inviſeret, clauſuſque cum cæteris confirmaretur à Chriſto ſuſcitato, unde natale repetens ſolum cum fratre habuit iterum obvium Dominum, antequam ex monte in Cœlum tenderet. Neglecta ergo arte paterna, totus abſente Domini perſona, in opus fertur, Hieroſolymiſque inculcat verbum, poſt demiſſum à Patre Paracletum, inſiſtitque donec afflictus ſit Stephanus, indeque catenas effugiens petit Samariam, provinciæque Samaritanæ bonam partem docendo pererrat. Inde item in Paleſtinæas urbes ſeminans petit Lyddam & Joppen, quibus in locis ſuſcitata Dorcade & epularum diſcrimine ſublato à Centurione vocatur in Cæſaream, unde ipſis intinctis repetit Hieruſalem, ubi à Herode conjectus in carcerem liberatuſque ab Angelo venit in domum

Be-

ethaniæ, ut veriſimile eſt, viſere Mariam matrem oannis. Illic enim priſca erat Eccleſia à Chriſto inſtituta, inde vero peragrata item Samaria repetivit Ierosolymam, quum de conſilio circumciſionis ageretur, quo in conventu, ubi illum præfuiſſe Lucas eſtatur, nil amplius addit cæteris. Ex ratione vero nentionis, quam in ſua Canonica, i. e. de Pontiis, Bithynis, Galatis, Cappadocibus, Aſiaticisque acit, Euſebius, Hieronymus & plerique alii conjectantur, illos vidiſſe, ad quos ſcribat, quod revera conjectari eſt. Fuiſſe vero Antiochiæ, præter conſenum Eccleſiæ, & Paulus ad Galatas ſcribens teſtatur; quo vero tempore aut Antiochiam aut Romam adierit, non ita conſtat. Si quis ſcire deſideret, legat Rhoffenſem in refutationibus Veleni, qui Petrum non fuiſſe Romæ ſuadere conatus eſt. Dionyſius Areopagites dicit, eadem die à Nerone Petrum & Paulum martyrii palma donatos. Tantum de Petro.

Pauli peregrinatio.

Paulus natus oppido Giſchalis, quod in Judæa eſſe Hieronymus dicit, in Galilæa vero oſtendit propè Tyberiada & Sephorim Joſephus, ſubacto à Romanis oppido ipſe cum parentibus deductus Tharſum Civitatis Romæ jure eſt donatus, unde Hieroſolymam ſtudii gratia remiſſus, profecit vehementer ſub præceptore Gamaliele, ut tenuiori adhuc ætate illi daretur provincia de legis arbitrio perquirendi, quod opus ut in Chriſtianos exercere incipit, Damaſcum adiens ex Saulo Paulus fit, baptiſatus ab Anania, ut ipſe de ſe ſcribit in Epiſtola ad Galatas, abiit in Arabiam, deinde reviſit Damaſcum, triennioque exacto viſit Petrum Hieroſolymis, à quo in partes iens Ciliciæ & Pamphiliæ poſt annos 14. viſit item Hieroſolymos, ubi redarguit Judaizantes; ac ſtatim Antiochiæ ipſi Petro, quia reprehenſibilis erat, in faciem reſtitit. Sed paucis de ſe iſta tradidit, quæ Lucas pere-

peregrinationis ejus comes ita tradit. Profectum à Damaſco Hieroſolymam, ſi ſtatim, an tardius, non liquet. Inde Cæſaream Philippi contendens Tarſum petivit, indeque comite Barnaba repetit Antiochiam Syriæ, ubi donatus Apoſtoli nomine Seleuciam eodem comite adit, unde in Cyprum brevi tractu ivit, Salaminemque urbem in Inſulæ ortu ſitam primo, ſecundo Paphum, quæ in occiduo latere jacet, à qua ſolvens petit Pergam Pamphiliæ, Antiochiam Piſidiæ, Iconium, Lyſtram, Derben, quæ Lycaoniæ adſcribuntur; verum quum in Lyſtra lapidibus recutiti impetiviſſent, viſa Derba rediit eadem via, qua iverat, ad Pergam usque, à qua ſecundum littus Attaliam, quæ nunc eſt Sattalia, petivit; tandem Antiochiam & Syriam reviſurus totamque Phœniciam & Palæſtinam, ut fratribus ſuam probaret diligentiam; repetit ergo Solymos tertio propter concilium de circumciſione, quo pacto Antiochiam, perque Syriam Ciliciamque, (ſine navigio, ut credibile eſt, tranſiens, Derben reviſit, Lyſtramque, ubi ob multitudinem recutitorum coactus fuit circumcidere Barnabam, provinciasque Aſiæ minoris Galatum, Myſiam, Phrygiam, Aſiam minorem, in qua vetuit Spiritus prædicari, atque Troadem inſtitutis formans divinis, trajecto mari Ægeo venit in Inſulam Samothracem, Lemno & Imbro vicinam, unde Neapolim, Philippos, Amphipolin, Apolloniam, Theſſalonicam, Berrhoam, Athenas, Corinthum per Cenchreas in Iſthmo ſitas adiit, quibus in locis poſtquam Chriſtum plantaſſet, tranſmiſſo mari Ægeo, iterum repetit Aſiam minorem Epheſo adpellens, votique gratia attonſus, relictis Priſcilla & Aquila Epheſi, navigio contendit Cæſaream, ex qua votum ſoluturus Solymæum templum viſitat. Voto peracto Antiochia Piſidiæ viſitur, unde Epheſum regreſſus ſolvit in Macedoniam, in qua Philippopolim ſecundo ſalutans, ſuperato Helleſponto Troadem repetit, ubi Eutychum reſtituit ad vitam, circumiens-

umienſque regionem, Aſſum Troadis urbem viden-
o tranſit in Mitylene Inſulam, à qua navigio borea
ecundo Chion, Samum, inſulas Ægei maris præci-
uas, Miletum urbem in continenti ſitam attingens,
oum venit Inſulam, Hippocrate alumno claram, in-
e Rhodum inſulam, Pataram urbem ſecundo Ze-
hyro adpellunt, à qua per cetera littora & urbes
yrus aditur, deinde Acca, quæ & Ptolemais, poſtea
æſarea Stratonis, ac poſtremo Hieruſalem 4to pe-
itur; ubi vinctus ob ſeditionem à recutitis devotis
excitatam mittitur Cæſaream, in qua ut calumnias
uæ gentis effugeret, Cæſarem appellavit, ad quem
Præſidis Felicis juſſu cum delecta hominum manu hoc
modo ductus eſt. A Cæſarea Sidonem venit, hinc
Myram Lyciæ, deinde ſecundum Rhodum ad Cni-
dum promontorium, unde legendo auſtralia littora
Cretæ immanitate adverſi venti à Cauris ſunt pene fa-
me enecati, donec fracta rate omnes in Melitam na-
tatu evaſerint incolumes. Illic abacta à corpore vi-
pera eſt à Paulo. Inde Syracuſas Rhegiumque per
Scyllam & Charybdim prætergreſſi Neapolim Pu-
teolosque venit Romam, ubi verbum Dei ſumma
cum conſtantia aſſeruit, donec illum Nero de medio
cum Petro tolleret. Scripſerat jam pridem ipſis Ro-
manis è Corintho per Phœben miniſtram Eccleſiæ
Cenchreenſis. Ipſis vero Corinthiis primam ſcripſit
Philippopoli per Stephanum, Fortunatum, & Achai-
cum & Timotheum; ſecundam autem eodem loco
ſcripſerat per Lucam & Titum. Quum verò jam eſ-
ſet Romæ, Galatis ſequentibusque ex ordine ſcripſit:
Utraque vero Theſſalonicenſium ab Attica profecta
eſt, Timotheo ex Laodicæa Phrygiæ prima, ſecunda
Roma, cum ſecundo illi eſſet apud Neronem agen-
dum de capite, Philemoni item Roma per Oneſi-
mum, & Nicopoli Macedoniæ ad Titum, Hebræis
item ex Italia; quæ omnia notata volui, ut hominis
in re Chriſti promovenda diligentia videretur. Si
quis

quis videre cupit cæterorum Apoſtolorum peregrinationes, is poterit apud Philalethem, virum bene doctum, & quod nomen fert, videre. Hactenus.

De Dimenſionis ratione.

Nolui aut in principio quicquam de ratione dimenſionis ex cœleſtium rerum habitudine, aut in medio ipſo opere, pertractare, ne ex difficultate abſterrerem, quos allectos volo, ſacræ ſcil. paginæ ſtudioſos, qui non ſolent eſſe, ut plurimum, in rebus Mathematicis exercitati. Verum ut ſatisfaciam (non omnibus, quod eſt ſupra vires humanas) ſed quamplurimis, volui in fine quaſi colophonem imponere, in quo exerceantur etiam Mathematum ſtudioſi, terreſtre ſpatium proportioni cœleſti referendo.

Tabula ergo univerſæ Syriæ, ut latiſſimè patet, extenditur ab occaſu in ortum, i. e. ſecundum longitudinem à gradu 63. & ſemiſſe, ad 80. partes & ſemiſſem, unde longitudo eſt partium 17. Latitudo vero a 28. gradu & ſemiſſe ad 38. cum ſemiſſe, unde conſtat latam eſſe 16. gradus, quorum cuilibet reſpondent 60. mill. paſſ. illis vero qui ſunt in longitudine non eſt eadem menſura, quia, quo magis ad polum accedimus, eo ſunt minores dimenſiones; quo magis ad æquatorem, eo ſunt 60. mill. paſſ. in ſingulos gradus propiores: unde Coſmographorum princeps Ptolomæus in medio cujuslibet tabulæ, ut ſit inter duo extrema excedentia, ponit parallelum conſtantem quidem ipſum partibus 360, ut quilibet circulus in Sphæra major, ſed minoribus, quam in magno circulo; qua proportione recedit ab æquatore, obſervataque proportione cum majori innoteſcit quantitas. Parallelus itaque per mediam tabulam Syriæ, rationem habet ad meridianum ſeu alium quemvis circulum magnum, quam quinque ad ſex, i. e. Si in uno gradu majoris ſunt 60. mill. paſſ. Si itaque volumus extenſionem Tabulæ ab ortu in occa-

ſum

um ſcire, multiplicabimus 17. per 50, prodibunt 850. millia paſſuum longitudinis; ſi item ducamus 10. in o. venient ſexcenta mill. paſſ. pro latitudine. Diam itaque à Syrbonitide palude ad Armeniam marem eſſe 600. mill. paſſuum, pari ratione in ſpatio minori, atque in omnibus Tabulis eſt agendum. Veti ſi ipſam Chorographiam, de qua nunc agimus, elis ad cœleſtium rerum examinationem conferre, ices habere paulo ſupra duos gradus longitudinis, tenditur enim a 64. gradu ad 66. & trientem, latiidinem vero eſſe a 31. ad 34. i. e. trium fere graum. Verum quia illius extenſio non eſt ſecundum ngitudinem & latitudinem præciſè, alio nunc opus t ingenio, numeris videlicet aut circino. Circino uidem tantum opus eſt comprehendere ſpatium otatum, & conſtante inſtrumento referre in lieam meridianam poſito pede ſuper gradus cujuss principium, & reſpicere quot gradus graduumie partes capiat alter pes, numerareque per mulplicationem more ſolito, aut ſi in alia ſis charta, luti nautica, itidem in menſuram in illa obſertam referre, illam ſcalam vulgus nauticam vocat. umeris vero res ita abſolvitur. Ducitur quilibet imerus graduum in ſe, & congregantur una proicta, proinde radix quadrata totius oſtendit propoum. Fingamus eſſe (numerorum integrorum cau) latitudinem Syriæ 3. graduum, longitudinem tolem, ducta in ſe & juncta ſunt 18. quorum rac quadrata proxima eſt 4. quater enim 4. ſunt 16. que dicam Palæſtinam proxime habere 4. gradus, angulo Rhinocoruræ. Hi vero gradus, quia oblii ſunt, non habent ſuam magnitudinem 60. mill. ſſ. quia non ſunt ſecundum meridianum. In ſimius vero exemplis, quum ſint magnæ admodum ferentiæ, tunc eſt utendum converſione graduum; æ res quia eſt durior, & præterea tractata a Stœphlero,

lero, ne illius difficultate terreantur tyrunculi, in aliud opus & occaſionem differendam cenſui; præſertim quum præciſe in tabulas ſine magna moleſtia numerorum poſſint circino dimetiri. Quantitas diei in Syria eſt 14. horarum plus minus, eſt enim fere tota in tertio climate, parallelo 8, unde regionis ubertas, ſolique ac cœli felicitas in ea eſſe cognoſcitur. Præter id enim, quod in multis bifera eſt, nullum refugit fructuum genus, quin benigniſſimè alat & procreet, ubi ferre poteſt. Nam bona in parte ſterilis eſt, nec etiam fuit univerſa unquam poſſeſſa ab his quibus promiſſa fuerat, ut crederent, non illic ſe viſuros bona Domini, ſed in terra viventium, ad quam nos conducat Chriſtus.

II.

J. HENRICI RINGIERI,

S. S. Theol. Profeſſoris,

DISSERTATIO THEOLOGICA,

De

CONSENSU PROTESTANTIUM IN DOCTRINA

DE

PRÆDESTINATIONE.

Summaria.

§. I. Eccleſiæ Dei diſſenſio inter mala graviſſima cenſenda. II. Unde ad Unionem Eccleſiæ Pro-

Proteſtantis etiam Author oleam præferre ſatagit. III. Et cum *Author Alloquii Irenici ad Proteſtantes* confitetur, illos in omnibus reliquis articulis fundamentalibus, excepto illo *de Prædeſtinatione*, conſentire, nihil reſtat, quam ut eorum etiam in hoc articulo conſenſus oſtendatur. IV. In octodecim articulis circa hanc materiam inter ipſos convenit. V. Et omnis diſſenſus non in re, ſed in ſolis verbis conſiſtit. VI. Quod Fratribus Aug. Confeſſ. oſtendendum. VII. VIII. & quidem α ratione ſignificationis vocabuli PRÆDESTINATIONIS. IX. X. β ratione OBJECTI Prædeſtinationis. XI. XII. γ ratione ABSOLUTI Decreti. XIII.-XXI. Mens Theologorum Reformatorum de *abſoluto* Dei decreto, ratione Electionis & Reprobationis, exponitur; Lutheranos idem cum ipſis ſentire, etſi verbis diſſentiant, oſtenditur, & difficultates tolluntur. XXII. Reliqua circa hanc doctrinam controverſia magni momenti non eſt. XXIII. Quæ de gratiæ, redemtionis, meriti Chriſti atque vocationis, *Univerſalitate* & *Particularitate*, moventur Quæſtiones, in meras abeunt λογομαχίας. XXIV. Hortatione Irenica Diſſertationi finis imponitur.

§. I.

Quod olim Conſtantinus M. Imp. in gravi ſua ad Concilium Nicææ coactum Oratione, *Eccleſiæ Dei diſſenſionem quovis malo graviorem, & multo plus moleſtiarum ac acerbitatis, quam quodvis bellum.*

bellum pugnavë, in ſe complecti, cenſuit; eoque ipſo in optatis ſibi eſſe, teſtatus eſt, Epiſcopos omnes eadem ſentientes eandemque amplexantes ſententiam videre, eo quod iſtæ res ad animum ſpectantes longe plus, quam quæ ad corpus pertinent, doloris afferre videntur. Teſte Euſeb. de Vita Conſt. Lib. III. Cap. XII. Sozomen. Hiſt, Eccl. Lib. I. Cap. XVIII. Idem Viros Principes, cum Eccleſiæ Dei tum rei Proteſtantium publicæ ſtudium navantes, ſenſiſſe & etiamnum ſentire, *Teſtes* ſunt, quotquot *pro moderato & pacifico de rebus Theologicis Judicio & inſtituenda inter Proteſtantes Concordia* pia ſua conſilia atque monita ſuppeditarunt, quorum ingentem *Nubem* magno & labore & judicio nupere * collegit Cel. Genevenſium Theologus *Joh. Alphonſus* TURRETINUS inter εἰρηνοποιοῖς, quos beatos prædicat Servator, in primis ponendus. * A. 1719.

§. II.

Et cum hodie etiam non minori zelo ac ſpiritu concordiæ acti Celſiſſ. Evangel. Ordinum Principes ſtatusque Imperii *iſtud* cum M. Imp. *maxime omnium ſibi propoſitum putent, ut in ſanctiſſima Catholicæ Eccleſiæ multitudine una fides, ſincera charitas & conſentiens erga Deum cultus ſervetur:* uti ſcribit in Epiſt. ad Eccleſias de actis Synodi Nicænæ; Ipſorum quinetiam Eccleſiaſticorum utriusque partis æſtum ἀνθολκῆς, miſſo, quo hactenus in maximum Eccleſiæ damnum detenti fuere, partium ſtudio ſenſim miteſcere, eosque ultro citroque fraternitatis manus ſibi porrigere, advertamus, jure meritoque ſecum reputantes: *concordem animorum conſenſum imprimis colendum, ne ipſi inter ſe concertantes, illis, qui ad obtrectandum verbo parati ſunt, anſam eidem illudendi præbeant:* ut Epiſcopos à Concilio abitum parantes Imperator monet: Euſeb. de Vita Conſt. Lib. III. Cap. XX. Haud extra ſtationis noſtræ oleas Nos vagaturos credimus, ſi & nos oleæ ramum præferre & hiſce Theſibus conſenſum inter Proteſtantes in fun-

fundamentalibus fidei articulis demonſtrare ſatagemus, noſque jungemus *ſepientibus rupturam*, de quibus Eſaj. 58 : 12.

§. III.

Quia vero *Henotica*, quæ pronuper ab Auguſtanæ Confeſſ. Sectatoribus publicæ luci data ſunt, omnia, quæ nobis legere contigit, ultro concedunt, Eccleſias Proteſt. in Articulo de Euchariſtia, (qui unus reliquarum Controverſiarum nefaſtus progenitor extitit) æque ac in illo de Perſona Chriſti Θεανθρώπου, quoad ſubſtantiam conſentire, unum autem Articulum de *Prædeſtinatione* obſtare putat Autor *Alloquii Irenici ad Proteſtantes*, quo minus in mutuam pacem coëant & unionem ſaltem Eccleſiaſticam colant, adeoque a veritatis & pacis cultoribus poſtulat, *ut nodus prædeſtinationis abſolutæ, quæ magno ſcandalo ſit Auguſtanæ Confeſſ. Theologis, per gratiam* Univerſalem *ſincere ſumtam* ſolvatur: Nos, quantum quidem Exercitii hujus Diſputatorii ratio permittet, oſtendere conabimur, Proteſtantes Auguſt. Confeſſioni addictos idem in hac quoque re cum Reformatis quoad fundamentum ſentire, etſi verbis & loquendi modis maxime diſſentire videantur; adeoque omnibus rite perpenſis appariturum, meram hic, ut in aliis ſæpe, eſſe λογομαχίαν, quam animus a præjudicio authoritatis & ſtudio partium liberatus cognoſcet & prætermittet.

§. IV.

Et utrinque in ſequentibus convenitur: 1. Nihil fieri in tempore, quod non decretum ſit ab æterno. 2. Dari Electionem & Reprobationem quorundam, eamque æternam. 3. Neminem ſervari niſi credentem, & quidem propter Chriſtum. 4. Nullum damnari niſi propter peccata. 5. Deum nullo modo peccatorum eſſe cauſam. 6. Deum hominis facultatem conſervare *qua* peccat, ſed non, *quatenus* peccat. 7. Fi-

dem adeoque & quicquid boni habet homo, a ſola Dei gratia & Spiritus Sancti operatione eſſe; malum vero omne & perditionem ex nobis ſolis. 8 Nullum adeoque pereuntium excuſabilem eſſe, juxta illud Auguſtini: *quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum, quod multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum.* 9. Deum unico & ſimpliciſſimo voluntatis actu omnia decreviſſe, & finem & media ad finem ducentia, nec in ipſo eſſe prius & poſterius, ſed tantum in rebus. 10. Adeoque de ordine decretorum Dei contendere ſupervacaneum eſſe, cum conſenſus ſit, unicum eſſe Dei decretum. 11. Decreta Divina eorumque certitudinem non tollere contingentiam rerum vel libertatem hominis, qua voluntas, utut dependenter operans, ſit & maneat principium actionis ſuæ proximum, ita ut præmio & pœnæ locus eſſe poſſit. 12. Creaturam rationalem non operari independenter a cauſa prima, ac proinde etiam in peccando a Deo dependere, quæ tamen dependentia nec ſanctitati Dei, nec libertati creaturæ contraria ſit. 13. Deum eſſe Sanctum, peccati oſorem, purum, lucem ſine tenebris, Pſal. 5. Hab. 1. 1. Joh. 1. qui ut ipſe peccare nequit, ſic nec peccati author vel cauſa dicendus. 14. Ipſam cujusque conſcientiam teſtimonium perhibere, ſe liberè & ſponte peccare, nec ſe poſſe Deum accuſare ut peccati authorem, Rom. 3: 4. 15. Electionem merè gratuitam eſſe, & Reprobationem non in abſoluto aliquo decreto, absque omni peccati reſpectu, ſed in juſtiſſimo Dei Judicio fundari. 16. Ante mortem neminem pro reprobo declarandum, reprobationis enim homine vivente non dari certitudinem, quod ſufficit ad hominem carnalem ἀναπολόγητον reddendum. 17. Nullum damnari quia reprobatus eſt, ſed quia ſponte peccavit & gratiam Dei quærere neglexit. 18. Neminem eſſe, dummodo fide non fucata Chriſtum amplectatur & ſerio reſipiſcat, qui Electionis ac ſalutis ſuæ certus eſſe non poſſit. &c. Quæ quidem

dem ad unitatem fidei circa hanc materiam ſufficere poterant, niſi diſſentiendi & litigandi pruritus ad inanes loquendi modos & παραδιατριβὰς homines abduxiſſet.

§. V.

Diſſenſum omnem, ſi quis ſit, in verbis potius & locutionum formulis, quibus Gens Academica λεξιθήρας conceptus ſuos alligare ſemel quaſi legem ſibi fixit, non vero in re ipſa deprehenſurum, confido, quisquis ſepoſitis ὑπονοίαις πονηραῖς καὶ προκρίσεσι rem uti decet penſitaverit. Et hic mirari ſubit B. Lutheri diſcipulos, certè qui acerbiores in Reformatos eſſe ſolent, obliti *cujus ſpiritus filii ſint*, Luc. 9: 55. judicare, iſtud ſententiarum circa doctrinam de Prædeſtinatione divortium juſtam eſſe cauſam, ob quam ſolam pace coaleſcere & communionem Eccleſiaſticam colere utriusque partis Eccleſiæ nequeant, cum ipſe Magiſter eorum hac in parte nobiſcum ſenſiſſe concedatur, & hinc *Auguſtinianæ diſciplinæ Alumnus* audiat Cl. Puffendorffio. Fatentur tamen hodierni Confeſſionis Auguſt. Fratres, *Reformatos, uti olim Auguſtinum, cum primum hæc Controverſia è Diſputationibus contra Pelagianos orta eſſet, non malo animo, ut credere humanum eſt, ſed ut circa ſalutis negotium omnem vim humanis viribus ac meritis detraherent, eamque unice divinæ gratiæ vindicarent, abſolutum hoc decretum fovere & omnia ad abſolutum Dei beneplacitum referre:* Verba ſunt Viri modo laudati in ſuo *Jure Feciali divino.*

§. VI.

Etſi autem hodie, per gratiam Dei, Fratres Auguſt. Confeſſionis, non obſtante Dogmate hoc, dextræ fraternitatis, fruſtra diu a Reformatis porrectæ, ſuam jungere non detrectent; ſi diſceſſeris a rigidis illis, qui Canticum Agni & unionem noſtram Eccleſiaſt. magis horrent, quam Tyri illius Myſticæ, unde una nobiſcum

biſcum ante duo ſecula egreſſi ſunt, carmen Meretricium, Ranarum coaxationem facilius ferunt, quam phraſes quasdam S. Scripturæ duriores viſas & crudius à Ref. expoſitas; ſunt tamen, in quibus ſe à nobis diſſentire putant, & quæ, ſi non directo, certe indirecte fidei fundamentum impetant; in quibus ipſis nos amicam quoad ſenſum conſpirationem detecturos, non omnino deſperamus.

§. VII.

Et primo quidem ipſum *Prædeſtinationis* vocabulum uſurpare metuunt de illo voluntatis divinæ actu, qui *Reprobatio* dicitur; nec ſe habere Prædeſtinationem inſtar generis ad Electionem & Reprobationem, ſed ſolam eo vocabulo deſignari Electionem, contendentes. Eſtne vero tanti, ut de vocibus litigemus, ubi rem ipſam tenemus? Mitius hic ſenſit Drepanius Florus, Diaconus Lugdunenſis, dicens: *Non eſſe de vocabulo Prædeſtinationis contentioſe & ſupervacue diſceptandum vel rixandum, ſed pia concordia rem ipſam tenendam.* Quis non videt, litem hanc circa Prædeſtinationis vocem conſiſtere totam in ſigno rationis Metaphyſico? prout vel *latius* vel *ſtrictius* ſumitur. Scil. Theologi Lutherani vocem hanc *ſtrictiore* ſenſu & uſu ſumunt, ceu nomen electionis ſynonymum, verenturque dicere: Reprobos non tantum ad damnationem, verum etiam ad cauſas damnationis, nempe peccata, prædeſtinari: Cum quibus ex Ref. Theologis non pauci faciunt, ut Pet. Martyr, Pareus in Comment. ad Rom. Aretius. Alii Reformati vero Prædeſtinationis vocem *latiore* ſignificatu ſumunt pro Decreto divino circa Creaturas rationales, cum χέσει ad illum ſtatum, quem ſubituræ ſunt poſt hanc vitam & conſummationem ſeculorum: Et *prædeſtinare* ipſis idem eſt ac *firmum facere ſtatutum ante rei eventum*, cum *deſtinare* idem dicat quod *decernere, apud ſe ſtatuere*: quia præterea clare percipiunt, extra voluntatem Dei in rebus

ebus ipſis nullam veritatem, (nihil reale,) nexum
ullum neque ordinem eſſe, quod & Lutheri diſcipuli
on inficias ibunt,putant,ſe impune hanc vocem etiam
e Reprobatione adhibere, cum innuere volunt, repro-
os horumque actiones & actionum finem æterno Dei
ecreto circumſcripte deſignata eſſe.

§. VIII.

Concedunt etiam Theologi Ref. *Prædeſtinationis*
ocabulum in S. Scriptura nunquam ſtricte pro deſti-
itione ſtatus æterni reproborum ſive de æterna
imnatione ſumi; cum tamen iſtam uſurpatam legunt
: eorum actionibus, quæ cum fine certum nexum
ibent, h. e. de illis actionibus, in quibus interve-
runt hominum peccata, ut Act. 2: 23. & 4: 28.
ic. 22: 22. quæque cum damnatione connectuntur,
eo ſibi poteſtatem ſumunt, vocem hanc generali
oc ſignificatu ſumendi, perinde atque Lutheranis
eniſſimam concedunt libertatem ſtandi pro ſtrictio-
ejus ſignificatu; idque tanto magis, quod ex ipſa Ele-
one ſeu Prædeſtinatione ad ſalutem neceſſario ſequi
tant, reliquos reprobatos, h. e. non ad ſalutem ſed
exitium prædeſtinatos eſſe, nixi præcipue dictis S.
ripturæ: Prov. 16: 4. 1. Pet. 2: 8. Jud. verſ. 4.
Theſſ. 5: 9. quem locum, præter Joh. Frid. Kö-
;. multi Theologi Luth. de Reprobatione intelli-
nt, notante Cl. Holzfuſ. in Tract. Theol. de Præ-
t. Latiore hoc ſenſu jam olim Auguſtinus, eumque
utus Fulgentius Lib. ad Monimum de duplici præ-
tinatione, una bonorum ad gloriam, altera ma-
um ad pœnam, ſumſere. Quin ipſos Remon-
ntes latiorem hujus vocis uſum non improbare,
et ex iis, quæ eorum Prof. Curcellæus Inſtitut.
ig. Chriſt. Lib. VI. Cap. I. §. 2. ſcribit, quibus or-
doxus quisque facile calculum addet. Ita ille: *Ex*
ſcripturæ vox Prædeſtinationis reſtringi ſolet ad æternum
inum ſtatum ſ. felicem ſ. infelicem. Quamvis enim προορίζω

 ple-

plerumque applicatum inveniatur ſaluti, Rom. 8: 29. 30. Eph. 1: 5. 11. nihilominus cum dicatur etiam de iis, in quibus intervenerunt hominum peccata, ut Act. 2: 23. 4: 28. de traditione Chriſti in mortem, & ſimilibus actionibus, quid prohibet, quin pari jure de damnatione uſurpetur? quod etiam ex natura oppoſitorum ſequitur, cum ex prædeſtinatione fidelium ad ſalutem, colligatur neceſſario, infideles ab ea excluſum iri. *Unde mihi videntur nimium ſcrupuloſi, qui voces* prædeſtinationis & prædeſtinandi *non putant uſurpari debere niſi de ſalute æterna, præſertim cum non negent, Decretum Dei circa æternam damnationem quoque verſari.* Hæc ille. Ubi itaque in re convenitur, & de nominis alicujus uſu ſtrictiore vel latiore tantum agitur, num eapropter bellum grammaticum invicem indicere, nullos in Eccleſia triumphos habiturum, convenit Chriſtianis, principem pacis Magiſtrum ſuum profitentibus? concedunt & Luth. & Reform. Deum non tantum piis ex gratuita ſua miſericordia præmium, ſed & impiis finaliter impœnitentibus pœnam ab æterno deſtinaſſe; quæ pœnæ deſtinatio appellatur Reprobatio, in ſacris προγεγραφὴ εἰς τὸ κρίμα Jud. 4. θέσις εἰς ὀργὴν 1. Theſſ. 5: 9. Qua in re ergo diſſentiamus circa hanc vocem, non patet, præcipue ſi cum Theologis Leidenſibus moneamus, *non tanquam genus per omnia ſynonymum, ſed Analogum tantum habendum eſſe, quia licet ipſe reprobationis actus ſit à Deo tanquam juſto judice, tamen omnia, circa quæ reprobatio verſatur, ex ea non eſſe: Abſit enim omni modo ut ſtatuamus, Deum reprobos non modo ad pœnam, ſed & ad culpam ſeu peccata prædeſtinare. E contrario nos ſincere credimus, Deum neminem niſi propter peccata ad mortem deſtinare.* Tantum circa Vocabulum.

§. IX.

Circa *Objectum* Prædeſtinationis non major eſt diſſenſus. Utrinque concedimus: Deum uno & ſimpliciſſimo actu omnia decreviſſe; nos vero decretum illud divinum propter intellectus noſtri imbecillitatem & an-

& anguſtiam comprehendere non poſſe; proindeque pro noſtro tantum concipiendi modo ordinem aliquem decretorum formandum eſſe; Illum autem omnium optimum eſſe, qui cum executione eorum quam exactiſſime conſentiat. His utrinque admiſſis, quid opus eſt anxie diſquirere: An Prædeſtinationis objectum ſit homo creabilis & labilis? num vero creatus jam & lapſus; isque vel crediturus & in fide ad finem perſeveraturus, vel gratiam oblatam rejecturus & in impœnitentia finali moriturus? An Deus primò decreverit, Miſericordiam & Juſtitiam ſuam patefacere, demum vero cogitaverit de hominibus creandis & lapſui permittendis, ut occaſio eſſet has virtutes declarandi; tandem de his ex lapſu per & propter Chriſtum eripiendis, illis vero in eo relinquendis? quæ ſupralapſariorum eſt ſententia. Num vero potius primo decreverit, Mundum & in eo hominem creare mutabilem; creatum lapſui permittere; lapſorum quorundam miſereri; reliquos in eadem corruptionis maſſa hærentes pro libertate & beneplacito ſuo præterire & propter peccata atque impœnitentiam finalem damnare; liberandis vero Redemtorem deſtinare Chriſtum, quo ſalva juſtitia & ſanctitate Dei glorificari poſſent; & hos & illos ſibi invicem immixtos promiſcue vocare externo Evangelii præconio; ſolos tamen Electos interne & efficaciter vocare ad fidem & ſalutem, eosque juſtificare, ſanctificare & glorificare; Reprobos vero, quorum non minus eſt officium, credere omni Dei verbo, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους Rom. 1: 20. propter gratiam *ſponte* neglectam aliaque peccata damnare: quæ Sublapſariorum & majoris Eccleſiæ Ref. partis in ordinandis decretis divinis ſententia eſt. An cum aliis dicemus: Deum primo mundum & in eo hominem juſtitia origin. & dotibus ad perſeverandum neceſſariis inſtructum creare; dein lapſum permittere; poſtmodum ex ſumma philanthropia & miſericordia erga genus humanum omni-

omnibus & ſingulis deſtinaſſe Mediatorem; omnes ad Mediatorem hunc amplectendum ſerio & ſufficienter vocare; porro vocatorum aliquos per & propter Chriſtum eligere, fide ſalvifica donare, juſtificare, glorificare. Quod ſyſtema adoptant Fratres Gratiam Univerſalem urgentes. An denique cum Theologis Luth. primo loco ponendum ſit decretum de creandis ad vitam æternam hominibus ſanctis. 2. Præſcientia lapſus. 3. Decretum redemtionis, omnibus hominibus vitam reparantis. 4. Decretum de mediis. 5. Prævifio eorum, qui iis efficacia Spiritus S. bene uſuri, h. e. perſeveranter credituri, vel ſecus verbum & oblata bona malitioſe repudiaturi ſint. 6. Illorum tandem Electio; Horum reprobatio? Quid, inquam, opus eſt de ordine decretorum diſceptare, ubi uno ore utrinque fatemur, nullum horum prius, nullum poſterius, ſed omnia ſimul & æque ab æterno fuiſſe decreta; & ſi quis ordo ſit, illum quærendum in rebus decretis, non vero in voluntate decernente? Præcipuè *cum ſufficere nobis debeat*, ſunt verba Cl. Pufendorfii l. c. p. m. 231. *id amplecti, quod Deus in tempore offert, quem bona fide nobiſcum agere nec ſimulatione uti, credere par eſt; ita ut non ſoliciti eſſe debeamus, quid decretorum in arcano Dei conſilio præceſſerit; - - - ac revera hominem in fœdere ac gratia Dei eſſe & ſalvari poſſe, etiamſi nunquam cogitarit, quod Deus circa ſalvationem hominis in anteceſſum decreti quid condiderit.*

§. X.

Ut autem amplius pateat, plures, cum idem ſentiunt, at verbis ſæpe non tam ſenſu quam ſono diverſis ſententiam ſuam ſibi mutuo ſignificant, diverſiſſima ſentire & ſibi & aliis videri, id ſolummodo hic obſervaſſe ſufficiet: *Priores* illos, quos ſupra lapſum aſcendere vidimus, Prædeſtinationis vocabulum *late* ſumere, pro *Deſtinatione finis & omnium mediorum ad finem ultimum ducentium*, qui *reſpectu Dei* eſt *Manifeſtatio gloriæ*

gloriæ Dei, & quidem *omniſufficientiæ* in his, *juſtitiæ* vero in aliis, in quo ductum ſe Apoſtoli ſequi putant, Rom. 9: 22, 23. *Reſpectu creaturarum* vita æterna & exitium æternum, Matth. 7: 13. 14. 25: ult. quorum nomina in Libro Vitæ vel ſcripta vel non ſcripta dicuntur. *Poſteriores*, quos infra lapſum deſcendere diximus, Prædeſtinationis decretum *reſtricte* accipiunt, pro *deſtinatione hominis jam creati & lapſi ad finem* ſive ultimum ſive ultimo ſubordinatum; qua in re ſcripturam ſibi præire putant, cum miſericordiæ & iræ declaratio ſupponat homines miſeros & damnationi obnoxios. *Fratres* tandem *Auguſtanæ Confeſſ. addictos* longius infra lapſum deſcendentes & Prædeſtinationis vocabulum de ſolis, ut diximus, Electis uſurpandum contendentes, illud *ſtrictiſſime* accipere, & ita acceptæ objectum facere hominem *præſcitum*, h. e. quem Deus prævidit, Chriſtum & gratiam in ipſo oblatam fide, efficacia Spiritus S. in corde hominis accenſa, amplexurum eſſe. Quo, juxta propria ſua principia, aliud nec volunt nec velle poſſunt, quam Deum alios ad vitam æternam non elegiſſe, niſi quos æterna ſua προγνώσει præſcivit fide à ſe donandos; cum enim *fides* ſit *donum Dei*, Epheſ. 2: 8. Deus autem, *cui nota ſunt ab æterno omnia opera ſua*, Act. 15: 18. præſciat ab æterno, quibus hoc donum in tempore gratia Spiritus S. efficiendum deſtinarit, quæ à Lutheranis non minus atque a Reformatis admittuntur pari orthodoxia; ſequitur Lutheranos, idem nobiſcum hac in parte docere, ſcil. Neminem electum eſſe ad vitam æternam, niſi cui Deus ex benevolo miſericordiæ affectu fidem ſe daturum præſcivit, cui & nos lubentes ſubſcribimus. Qui dicit, hominem prædeſtinatum eſſe *præſcitum*, h. e. fide donandum, ille non negat, ſed ponit, talem Deo obverſatum eſſe ut jam creatum & lapſum, cum non entis nullæ ſint affectiones; qui vero ponit hominem creatum & lapſum, ille non negat talem Deo etiam obverſatum fuiſſe ut creabilem

lem & labilem in æterno Prædeſtinationis decreto, utraque ergo pars idem ſentit. *Reformati*, quibus ſequi placet *ordinem Intentionis*, incipiunt a fine ſummo, quem Deus ſibi in omnibus ſuis operibus proponit, nempe gloria Dei, Rom. 11: 36. Prov. 16: 4. Dein progrediuntur ad media & viam eo ducentia, & vel a primo ſcalæ decretiteræ, ſit venia verbo, gradu, homine creando, lapſui permittendo, vel etiam à 2. 3. vel etiam inferiori gradu, per quos ſapientiæ divinæ ad gloriæ ſuæ metam graſſari viſum eſt, initium faciunt. *Lutheranis* placet *ordo Executionis*, qui incipit à mediis & progreditur ad finem, recte ſtatuentes, Deum, *qui omnia pulchre facit tempore ſuo*, Eccl. 3: 11. hoc ordine executioni danda omnia, in æterno ſuo conſilio decreviſſe, *omnia quippe operatur juxta Conſilium voluntatis ſuæ*, Eph. 1: 11. incipiunt autem à proximo à fine medio ſ. infimo quaſi ſcalæ gradu, fide nempe ad finem usque perſeveratura, & ſubſiſtunt in eo fine, qui ultimus eſt reſpectu hominum, nempe vita & damnatione æterna, eo quod electio & reprobatio proprie homines reſpicit. Reformati addunt, imo præſtruunt, finem ultimum reſpectu Dei, declarationem gloriæ tum miſericordiæ tum juſtitiæ. *Reformati* reſpiciunt *finem actus Prædeſtinationis*; gloriam Dei; *Lutherani* vero *finem hominis prædeſtinati* & *directionis mediorum*, anxii, ne quem vitæ hæredem ſcriptum doceant niſi perſeveranter crediturum, vel exitio deſtinatum niſi impœnitentem, neve quid deſignare videantur, quod *vel* deſperandi occaſionem *vel* injuſtitiæ arguendi Deum, hominibus anſam præbeat. An jam diſſentire dicendi ſunt, qui quoad rem conveniunt, & tantum diſcrepant in ejusdem vocabuli vel *latiore* vel *ſtrictiore* acceptione, quæ cuique libera facienda eſt, ſi fundamentum immotum retinetur.

§. XI.

Sed eſt & alius hic lapis offenſionis, qui Proteſtantes

tantes tanto à ſeſe intervallo diſterminare creditur, ıt in hoc dogmate conſenſum fruſtra quis quærat vel ɔeret: ſcil. quod Reformati ſtatuunt, Deum *abſoluto* *ecreto* & mero beneplacito, hos ad vitam elegiſſe, il- ɔs vero reprobaſſe & ad exitium deſtinaſſe. Hujus *ecreti abſoluti* vel ſolum nomen Lutheranis horridum ɔ usque eſt, ut in Theologia nequaquam illud fe- ːndum uno ore clament; Quapropter haud immeri-) Cl. WERENFELS. in elegantiſſima ſua *de Logo- achiis Eruditorum Diſſert.* inter loquendi modos & vo- ıbula odioſa hoc de *abſoluto decreto* primo ponit lo- ɔ; & cum vel ex male intellectis verbis vel ſenſu ɜrborum perverſe ſemel capto ſuſpiciones oborian- ,r, quæ diſceptationum reciprocationibus immenſum ıgeſcunt, fruſtra hæreſium etiam atrociſſimarum ſpicionem à ſe declinandi laborem ſuſcipies: *Monſtra,* ı Vir laudatus l. c. pergit, *Te alienum eſſe à Poëta- m fato, - - - Dic, te horrere ſententiam eorum, qui Deum rpitudinis Authorem faciunt. Clama, & tibi abſolutum il- l decretum, quo Deus nullo ad peccatum habito reſpectu ho- 'nes innocentes, pro ſola poteſtate ſua abſoluta, ad æternum itium deſtinaſſe dicatur, monſtrum horrendum, informe, in- ıs videri. Dic, te concluſiones omnes abſurdas, impias, æ ex ſententia tua deducentur, deteſtari, - - - nihil ages; gebunt hæc, non adiment ſuſpicionem.*

§. XII.

Aſt vero aut nihil video, aut inanis eſt de ſono & ıſu verborum pugna, quam vel ſola terminorum ammaticorum explicatio ſi non prorſus ſedare, cer- ardorem ejus minuere potis eſt. Quod ut cuivis uo rerum æſtimatori pateſcat, attendi velim, quo ıſu Reformati illud *abſoluti* vocabulum ſumant, quo ːo Lutherani; quo oſtenſo patebit, & Lutheranos Reformatos idem velle, quando hi *abſolutum De- tum* Deo tribuunt, illi vero ex *fide & impœnitentia viſa* electionem ac reprobationem deducunt. In

ante-

anteceſſum vero monemus, *communem conſenſum Theologorum Reform. non eo usque honoraſſe hoc abſoluti decreti vocabulum, ut publicis Eccleſiarum Confeſſionibus illud infererent; nulla enim extat Confeſſio, nec nova nec vetus, quæ abſoluti decreti mentione ad explicationem conſiliorum Dei, quæ electionis ac reprobationis vocibus notantur, uſa ſit:* Verba ſunt Greg. Franci, Theol. Francofortani, citata Doct. Holtzfus. in *de Prædeſt. Tract.* p. 143. Et ſunt alii non pauci magni nominis Theologi Ref. *quibus viſum, abſtinendum eſſe in hoc myſterio à vocibus in ſcriptura non expreſſis, & quia abſoluti alicujus decreti nulla uſpiam expreſſa mentio ſit, Apoſtolicis utendum eſſe, non novis phraſibus;* quæ Viri pacifici, ob moderatum in rebus Theolog. judicium ſui temporis *Irenæus* dicti, Chriſtoph. Storch, ſeu Pelargi. Quod ſi uti in aliis ita & in hoc dogmate tradendo factitatum fuiſſet, tantæ inter fratres, cætera in fundamento conſpirantes, lites non gliſcerent.

XIII.

Hoc præmonito videamus, quo ſignificatu vocem *abſoluti* hic intellectam velint Reformati, quo vero non; quo facto confido fore, ut Auctor Alloquii Irenici, hoc ipſo * anno Ratisbonæ editi, de Eccleſiis Proteſt. optime meritus, & ſolidiſſime quoad reliqua capita controverſa ediſſerens, vel lubens in poſterum fateatur, quod ſibi *negandi* rationem eſſe ſuſpicatur, *& heic logomachiam ſaltem quandam rebus ſubeſſe* : vid. pag. 9. Vox *abſoluti*, ut ut varias admittat ſignificationes, eo tamen omnes in hoc negotio veniunt, ut *abſolutum* quid dicatur, vel à *priori*, quod ita liberum eſt, ut extra beneplacitum Dei nullam habeat cauſam moventem, meritoriam vel conditionem præcedaneam, à qua pendeat, quo ſenſu decretum Dei *abſolutum* dici poſſe nec ipſi Theologi Lutherani, niſi ad caſtra Pelagianorum ſecedere velint, invito B. Magiſtro, invitis confeſſionibus publicis, negaverint. Vel *abſolutum à poſteriori*, oppoſitum τῷ *reſpectivo* & *ordinato*, quod nulla

* A. 1720.

habet media ſibi ſubordinata, per quæ ſanctè & ſapienter ad executionem deducatur; ut ſenſus ſit, Deum pro abſoluta ſua poteſtate & arbitrio ita quosdam elegiſſe ad ſalutem, alios verò reprobaſſe & ad exitium deſtinaſſe, ut neque in illis eligendis ad Chriſtum ejusque ſatisfactionem juſtitiæ Dei præſtandam, ac media ſalutis ſapienter ordinata fidem nempe & reſipiſcentiam, reſpexerit; neque in his reprobandis ullum reſpectum habuerit ad peccatum, ſed pro ſola poteſtate ſua abſoluta homines innocentes, eorumque partem longe maximam, ad æternos cruciatus deſtinaverit, ac *velut ultro effecerit, ut mali fierent, quo ipſe in eos juſtitiam ſuam expromere poſſet:* Verba ſunt Cl. Puſendorf. l. c. p. m. 233. Hoc ſenſu abſolutum Prædeſtinationis decretum toto pectore tanquam monſtrum horrendum, deſperationis, ſecuritatis atque impietatis barathrum, Reformati juxta cum Lutheranis deteſtantur. Fidem dicto faciant Theologi Ref. Brandeburgici, Poloni & Lithuani, in Declaratione Thorunienſi, cap. 4. de Gratia, citata Cl. Holtzfuſ. p. m. 43. qui *alienam à mente ipſorum ſententiam* dicunt, *qua ſi accuſantur, quaſi æternam electionem abſolute, ſine ullo fidei aut bonorum operum reſpectu, factam eſſe ſtatuant, cum contra potius in electione fidem & obedientiam, non quidem causſam aut rationem ipſius electionis, in eligendis eſſe præviſam, ſed tamen ut medium ad ſalutem ipſis a Deo præordinatum eſſe, ſtatuant.* Conſimilia habent Theologi Leidenſes in Synopſ. Pur. Theol. Diſp. 24. *Deus nunquam unquam*, inquiunt, *abſolute ad ſalutem eligit, ſi τὸ* abſolute *excludat media, quæ Deus ad ſalutis conſecutionem ordinavit.* Iidem Cenſur. Confeſſ. Remonſt. cap. 8. *Electionem & reprobationem quorundam abſolutam à Calvino, aut à Synodo Dordracena eſſe aſſertam, eo ſenſu, quo hic vocem uſurpant Remonſtrantes, abſolutum eſt mendacium.* His addere lubet & illa Crocii in Comment. Eph. I. p. 254. *ſunt qui dicant, electionem eſſe abſolutam, reclamant alii; ſi ad rem dijudicandam afferatur æqui-*

 tas,

tas, facile componitur lis ex Apoſtolo. Abſoluta eſt ab omni cauſa movente & conditione præcedanea, quæ ſit in nobis & à nobis; Non enim elegit nos Deus, quia eramus ſancti & fideles futuri, aut ſi futuri, ſed ut eſſemus. Non eſt abſolutum, reſpectu Chriſti, tum ordinis & mediorum ſalutis. Non reſpectu Chriſti, fundatur enim in ſatisfactione Chriſti; Elegit nos in Chriſto. *Non reſpectu ordinis & mediorum ſalutis; Non enim elegit nos ad vitam, ut conſequamur eam absque fide & ſanctitate, ſed ut crederemus - - & eſſemus ſancti.*

§. XIV.

Quando itaque Reformati huic prædeſtinationis actui ceu fundamentum ſubſternunt *Jus Dei* in omnia *independens*, τὸ δυνατὸν τȣ Θεȣ vocat Apoſtolus Rom. 9: 22. juxta quod de ſuo facere ſibi quod lubet licet Matth. 20: 15. aliud docere non volunt, quàm Prædeſtinationis ad alterutrum ſtatum *nullam* dari poſſe *cauſam impulſivam*, propter quam Deus hujus potiùs miſereri quam illius, huic fidem dare, non illi, hunc, non illum, per media ſalutis adducere ad vitam decreverit. In quo à nobis non diſſentiunt Lutherani Theologi, etiam rigidiſſimi. D. Dannhavver dicit: *Voluntatem Patris cæleſtis ex conſpectu miſeriæ humanæ placabilem*, h. e. ut in ὑπομνήμασι exegeſeos loco additur: *Hæc*, miſeria humana, *impulſiva fuit, & aliud in homine nihil fuit, quod moveret ad commiſerationem*: Hodoſoph. Phænom. VII. ſub lit. B. quid hoc aliud eſt, quàm *Deum pro abſoluta ſua poteſtate reſpexiſſe miſericordiæ* ἐλεήμονι ὀφθαλμῷ *genus noſtrum, cum juris fuiſſet juſti, ſi omnes homines æque ac lapſos Angelos damnaſſet*: ut idem ibid. ſub lit. D. loquitur. Unde, ais, ergò tantus animorum & verborum diſſenſus? dicam; In Decreto Electionis pro captus noſtri modulo duplex mentis divinæ actus concipitur, quorum *alter* eſt *de Fine*, *alter* de *Mediis* ad finem ſapienter diſpoſitis; Ille ut *Decretum*; hic verò ut Decreti *Executio* conſiderari ſolet.

Priore

Priore homines ad gratiam præordinantur; *Poſteriore* ſubordinantur media, quibus gratia θεοπρεπῶς conferatur & manifeſtetur. Clariùs: *Priore* Voluntatis actu Deus vult aliquorum ex maſſa perdita miſereri, quæ voluntas cauſam προηγουμένην extrà Dei beneplacitum nullam habet. *Poſteriore* vult eosdem per certa media dirigere ad vitam æternam, ut ſunt Mediatoris deſtinatio, ejusque per fidem applicatio &c. Idem vult laudatus Author, quando l. c. *Prædeſtinationem duo involvere* aſſerit: 1. *Præviſionem*. 2. *Ordinationem per certa media ad certum finem h. e. beatitudinem æternam, juxta πρόθεσιν h. e. decretum divinum. Lutherani* de Electione *ex fide præviſa* loquentes actum poſteriorem reſpiciunt, ne videantur ſtatuere, ad vitam quem præordinatum eſſe, qui non ſit crediturus & ſanctus futurus, non negantes interim actum priorem. *Reformati* Decretum *abſolutum* memorantes reſpiciunt actum priorem, non negantes poſteriorem, ſed jugiter ingeminantes, *media non eſſe ſeparanda à fine: Prædeſtinatum ad finem, etiam prædeſtinatum eſſe ad media*, &c.

§. XV.

Jam ſupra monuimus, Prædeſtinationis objectum, prout vel latius vel ſtrictius illa conſideratur, variè ſtatui poſſe, ſine hæreſeos non tantùm ſed & diſſenſionis, quoad ſubſtantialia, periculo. Scil. beneficia gratiæ omnia tam arctum inter ſe nexum habent, ut à ſe niſi ordine divelli nequeant, uti patet ex catena illa ſalutis aurea ab Apoſtolo tradita Rom. 8: 29. 30. Jam cum immediatus nexus ſit inter ſanctificationem & glorificationem, ita ut Deus ne quidem ab æterno alium voluerit *glorificatum*, quàm eum quem ab æterno voluit *ſanctificatum*, ſive cujus cor fide per gratiam ſuam purgandum prævidit Act. 15: 9. 18. Hinc *Lutherani voluntatem glorificandi* attendentes recte docent; Deum deſtinaſſe ad gloriam, quos lumine ſuo omniſcio præviderit credituros ac gratiam oblatam acce-

pturos; h.e. ſi ex propriis ſuis principiis loqui velint, quos præſciverit tam efficaci Spiritûs S. gratiâ ad fidem in Chriſtum adducendos, ut amplius reluctari nolint; Adeoque *Qualitatem* reſpiciunt hæredum vitæ, & quo ordine, quâ via vita illa obtineatur; non vero *cauſam, propter quam* datur. Quod idem eſt ac ſi dicant: Deum deſtinaſſe ad gloriam eos, quibus fidem dare decrevit, & quia decrevit, etiam prævidit, efficaciâ Spiritus S. in ipſis producendam; Sive omnibus illis gloriam deſtinaſſe, quibus & fidem dare decrevit, ita ut nemo niſi credens ad ſalutem & gloriam perducatur; non *propter* fidem, nunquam *cauſam proprie dictam*, ſed *per* fidem, tanquam *viam & medium ad finem* ſive gloriam, quo ſenſu B. Auguſtinus Lib. de Præd. dicit: *non quia credimus, ſed ut credamus, elegit nos, ne priores eum eligere dicamur. Reformati* non minus recte loquuntur, quando Electionis latius ſumtæ objectum attendentes dicunt: Deum elegiſſe hominem miſerum, peccatorem, damnatione dignum, nulla adeo qualitate, qua ad ipſum præ aliis eligendum moveretur, præditum: Ipſum benevolo miſericordiæ oculo reſpexiſſe Petrum, ut eum hæredem conſtituerit vitæ æternæ; Judam autem præteriiſſe, etſi in Petro antecedenter ad gratiam, quam ipſi conferre ſtatuit, nihil reperiverit, quod eum præ Juda commendaret, cum uterque in eodem corruptionis luto hærerent, quando de iis vel gratificandis vel glorificandis in æterno ſuo Conſilio ſtatuit. Reformati ergo *voluntatem gratiam* fidei & ſanctificationis *conferendi* attendunt, quam fides præcedere nequit. Utraque pars fidem habent pro effecto gratiæ, benevolentiam Dei conſequente, neutra vero pro opere liberi arbitrii voluntatem gratificandi antecedente; Utrinque omnia ſalutis dona in ſolidum gratiæ divinæ tribuuntur; Quod quidam gratiam oblatam amplectuntur, id eſſe non à viribus liberi arbitrii naturalibus generali quadam ac indifferente gratia adjuti, ſed à ſpeciali gratia

ia & efficacia Spiritûs S. fidem in cordibus noſtris ıccendentis; utrobique ergo Orthodoxi ſunt.

§. XVI.

Præterea & hoc obſervandum, *Lutheranos* actum 'rædeſtinationis referre ad *Intellectum*, eo quod *πρό-'νωσις*, *Præſcientia* dicatur Rom. 8: 29. & tamen conedunt verba notitiæ ex idiotiſmo Hebræorum etiam ffectum connotare, adeoque eſſe cognitionem *dilecti-'am*: vid. Dannhavver l. c. ſub lit. K. *Reformati* verò ctum illum ad *Voluntatem* divinam referunt, qui tanen actum intellectûs includat, quo cognoſcit objectum, de quo diſpoſiturus eſt. Utraque interim pars gnoſcit, voluntatem divinam ab intellectu nonniſi igno rationis diſtingui, adeoque proprie neutram faultatem alteram vel præcedere vel ſequi, ſed Deum ıfinito modo intelligendo velle quæ intelligit, & innito modo volendo intelligere quæ vult; Voluntate)ei nil prius eſſe; extra eam in rebus ipſis nullam veitatem, nullum nexum, ordinem nullum eſſe: juxta ıuguſtini dictum, de Geneſ. contra Manich. lib. l. c. 2. :ribentis: *Cauſas voluntatis Dei ſcire quærunt, quum vointas Dei omnium quæ ſunt ipſa ſit cauſa; ſi enim habet cauım voluntas Dei, eſt aliquid quod antecedat voluntatem Dei, ıod nefas eſt credere.*

§. XVII.

Unde etiam liquet, quomodo nonniſi loquendi ıodo diſtent Lutherani à Reformatis, quando illi diunt: Deum *Voluntate antecedente* omnibus deſtinaſſe æreditatem vitæ æternæ, affectu in omnes ex æquo berali; *at Voluntate conſequente* propter contumaciam xhæredaſſe reprobos, & patrimonium inter ſuos diidiſſe: Dannh. l. c. ſub lit. V. Cum enim fatentur, à 'ei libera ac liberali gratia id eſſe, quod hi bonum leatum ſibi in Evangelio oblatum non negligunt, in mul fatentur, à Dei *εὐδοκίᾳ* eſſe, quod iſtis in ſpecie

& individuo illam gratiam, quam nulli debet, non impertit, & ab æterno præſcire ſe illam eis non daturum, quia ab æterno non dare decrevit; noſſe quin etiam, quinam hæredes ſcripti ſint, quinam non ſint. *Reformati* quoque fatentur, Deum omnibus ſine diſcrimine hominibus vitam æternam daturum fore, ſi Deus in omnibus fidem efficacia Spiritus S. operari decreviſſet; quod itaque non omnes credant, inde eſſe, quod Deus non omnibus fidem largitur, quam dare non tenetur; adeoque quod Judæ vitam non dare decrevit, inde eſſe quia Judas non erat crediturus, quòd vero non ſit crediturus, Deum certo præſciviſſe, eo quod ipſi fidem dare non decrevit. Si λόγυς ἀνθρωπίνης σοφίας amaremus, facile eſſet his diſtinctionem voluntatis *antecedentis* & *conſequentis*, *ſigni* item & *beneplaciti*, applicare; Voluntas quippe *antecedens* Lutheranis dicta, vel *ſigni* Reformatis vocata, reſpicit *debitum* hominum omnium & univerſorum, *nexum* item inter officium & præmium, vel neglectum officii & pœnam, quatenus nempe Deus jure ſuo ab omnibus & univerſis requiſitam Evangelii conditionem credendi, quam ipſe tamen in ullo operari nullatenus tenetur, exigit, & omnibus quibuscunque credituris ſalutem pollicetur. Voluntate hac vult omnes ſalvos, ſive quod idem eſt, vult omnium hoc officium eſſe, ut ſalutem in Chriſto propoſitam vera fide amplectantur; quis vero de hoc dubitet? Voluntas vero *conſequens* & *beneplaciti* reſpicit conditionem requiſitam, quatenus eam Deus in electis ſuis, e. g. Petro, Johanne, gratis efficere, in reprobis vero gratia non efficere decrevit; id quod Thomas ſic expreſſit: *Deus vult aliquid antecedenter ex parte volentis & facientis; vult aliquid conſequenter ex parte facti & conditione rei factæ. Deus dicitur velle antecedenter & conſequenter, non propter actum voluntatis ſuæ, ſed propter ordinem volitorum; interim voluntas Dei eſt una, cum ipſa ſit Dei Eſſentia.* l. 1. Sent. Diſt. 45. 46.

XVIII.

§. XVIII.

At dicis :quomodo *abſolutum decretum* Reprobationi applicando, & Dei vias juſtificabis cumque abſolves à crimine προσωποληψίας, ἀδικίας καὶ ὑποκρίσεως, acceptionis perſonarum, injuſtitiæ & ſimulationis? ſimul verò demonſtrabis, Fratres Confeſſ. Auguſtanæ ὁμοψήφους atque conſentientes? clamant enim Lutherani, Reformatos Deum facere Authorem peccati, Tyrannum, injuſtum, hypocritam, προσωπολήπτην. Reformati è contra Lutheranis objiciunt, eos facere Deum dependentem à creatura, impotentem, eos derogare gloriæ & gratiæ Dei, in dubium eos vocare liberam Dei poteſtatem & jus, & ſi quæ alia his pejora. At litibus hiſce & jurgiorum reciprocationibus componendis, conſenſuique utriusque partis demonſtrando ſufficiet notaſſe, quid utrinque doceatur, & quo ſenſu hæc illave pars ſuos de Reprobatione loquendi modos capiat. Et Reformati quidem uno ore pronuntiant, Deum neminem damnare injuſte, neminem ad æternum exitium deſtinare, niſi qui ipſi propter peccatum damnatione dignus obverſatur; docent præterea, Media, (quæ *à parte Dei* ſunt, peccatoris *ſponte* in miſeriam prolapſi & longanimitate diu abuſi juſta *derelictio* & gratiæ efficaciter regenerantis *non datio; à parte* vero *hominis* voluntaria *impœnitentia, contumacia* adverſus legem, vel naturæ tantum, vel etiam Evangelii, *perſeverans*:) cum fine, qui eſt exitium æternum, ita cohærere, ut hic ſine illis non debeat conſiderari; & conſentiunt *Eccleſiæ Lugdunenſi de tribus Epiſtolis*, citante Cl. Holtzfuſ. p. m. 159. 160. *Nec Dei prædeſtinatione coguntur impii non poſſe evadere, ſed ſua perſeverantiſſima iniquitate, quam relinquere noluerunt, merito coguntur perire.* Item *Prædeſtinatio Dei neque violenta eſt, quia nullum compellit, ut malus ſit & aliud eſſe non poſſit: neque injuſta, quæ illos tantummodo, qui ſuo vitio in malis perſeveraverint, punit; neque præjudiciaria, quæ non præjudicat aliquem, ut quaſi*

 ejus

ejus ſententia & non ſuo merito pereat. Et ſubſcribunt etiam Helvetiis, quos An. 1588. cauſas Reprobationis ita propoſuiſſe refert Cl. Hottinger. Hiſt. Eccl. Sec. XVI. Parte IV. Cap. 6. Daß die nächſte und eigene Urſach und Schuld, daß gottloſe Leuthe verdammt werden, in ihnen ſelber erfunden werde, nemlich die anerbohrne Erb-Sünde, . . . in Heyden auch die Widerſpenſtigkeit wider das Geſätz der Natur, in falſch-genannten Iſraeliten die Ungehorſame wider das Geſätz und Evangelium. . . . Soll aber, wann man von den Urſachen, derentwegen die Ungläubigen und Gottloſen verworffen und verdammt werden, redet, nicht nur die oberſte Urſach, nemlich der hohe und gerechte Wille GOttes, ſondern auch des Gottloſen, der da verdammet wird, Sünd und Schuld, die in ihm iſt, angezogen werden, auf daß man ſehe, daß ihme keines weges unrecht geſchehe, ſondern ſein verdienter Lohn werde. Darum auch der dritte Klag-Articel gar unfreundlich und ohne Grund geſtellet: Als wann man gelehret, GOtt ſehe nur darauf, daß er in Verwerffung und Verdammnuß der Gottloſen allein auf ſeiner Macht und Herrlichkeit groſſe Ehr ſehe, und gar nicht bedächte des Menſchen Unglauben und gottloſes Leben; welches H. Beza und H. Muſculus nie gelehret, nie geſchrieben oder unterſchrieben haben.

§. XIX.

Ex quibus pateſcit, decretum Reprobationis à Reformatis *abſolutum* dici, non eo ſenſu, ac ſi Deus, *cujus omnes viæ rectæ ſunt & opus perfectum,* Deut. 32:4. quenquam ad exitium deſtinarit ſine omni reſpectu ad culpam; abſit ut doceant, *Judicem totius terræ* non juſte punire! ſed id volunt: Deum pro abſoluta ſua poteſtate & beneplacito Eſavum e. g. Judam, alios, in decreto electionis præteriiſſe, vel non elegiſſe, ſed in miſeria ſua reliquiſſe, quos ſi voluiſſet æque inde eripere potuiſſet atque alios, quos elegit, neque peccata vel contumaciam perſeverantem hujus *præteritionis* ſeu *non electionis* cauſam impulſivam proprie dicendam eſſe, quia

& re-

& reliqui omnes, quos ex miſeria extraxit, in pari perditionis luto hærebant & peccatores erant, adeoque non minus reprobabiles, niſi Deus oculo miſericordiæ eos adſpexiſſet pro mero ſuo beneplacito, quo alios in miſeria relinquere voluit; *damnationis* tamen cauſam unicam & meritoriam eſſe peccata & impœnitentiam finalem. Deum velle peccata in reprobis non impedire, quæ ſi vellet impedire poſſet, eos non convertere, cor lapideum non auferre & in carneum mutare, Ezech. 36. quæ tamen omnipotenti gratiæ efficacia efficere poſſet, ſi vellet ea uti. &c. Annon paria docent Fratres Lutherani? D. Dannhavverus Hodoſ. Phænom. VII. p. m. 356. dicit: *non evenit ſemper, quod Deus vult,* voluntate nempe adprobante, *ſed ſi Deus omnipotentia ſua uti vellet, non poſſet non evenire.* Sic dicere poſſumus: multa eveniunt, quæ Deus non vult, ſed ſi omnipotentia ſua uti vellet in iis, e. g. peccatis, impediendis, non evenirent, quo ſenſu Auguſt. Enchir. ad Laur. cap. 96. *Non dubitandum eſt, Deum facere bene etiam ſinendo fieri, quæcunque fiunt, male, nam niſi hoc eſſet bonum, ut eſſent & mala, nullo modo eſſe ſinerentur, ab omnipotente Bono.* Sic modo citatus Dannhavverus l. c. ſub lit. H. dicit: *Tam enim Deus miſericordiarum non invenit diſcrimen in hominibus, quoad hæreditatem conferendam, aut mortem uni præ altero inferendam, quam non invenit Pater ille in laniena Theſſalonicenſi?* de quo Sozom. lib. VII. c. 24. & paulò inferius in notis ad lit. P. ſuæ partis Theologum Doctiſſ. Balth. Menzerum ſibi ὁμόφωνον citat, qui ita mentem Auguſtanæ Confeſſ. in Anti-Crocio tradit: *unde conſequitur: Deum in prædeſtinato nil magis inveniſſe, quam ob rem eum ad vitam eligeret, quam in reprobo, niſi quod ipſe gratia ſua introducturus erat in prædeſtinandum, adeoque prædeſtinatum non diſcreviſſe ſeipſum à turba reproborum, 1. Cor. 4: 7. neque à parte hominis ullam eſſe cauſam faciendi decretum prædeſtinationis.* Et paulo poſt: *Paſſiva enim capacitas ſubjecti non eſt cauſa meritoria aut ullo modo efficiens acquirendæ ſeu introducendæ formæ accidentalis,*

qualis eſt: prædeſtinatum eſſe. His conſona habere monet D. Hulſemannum in Breviario Theol. quorum hic *Manuale* ſcripſit *Confeſſ. Aug. Calviniſmum irreconciliabilem.* Interfuit Conventui Lipſienſi, & in Colloquio Thorunienſi Director fuit. Ille vero *Exegeſin Auguſt. Confeſſ.* edidit. Et Cl. Dorſcheus in ſua *ad Meditationes Triglandii Interpellatione*, Sect. I. c. 3. §. 13. hæc habet: *hoc eſt de infinita perfectione ſummi Entis, non ſolum noſſe perfecta, ſed & imperfectorum nullam habere ignorantiam. Nihilominus actus liberi mali ſ. imperfecti aliquem involvunt reſpectum ad decretum divinum, veruntamen illum non cauſalem & originalem, ſeu abſolutæ præordinationis, præmotionis & prædeterminationis, ſed permiſſionis;* Deus ergo voluntate *permittente* peccata fieri voluit ſ. decrevit, decreto non *effectivo* ſed *permiſſivo.* Quis ex allegatis non videt, Lutheranos idem non tantum ſentire, ſed ferè & dicere cum Reformatis?

§. XX.

Ut autem melius perſpiciamus conſenſum utriusque partis, & cauſam diverſorum loquendi modorum, unde tot ſuſpiciones malæ ortum habent, detegamus, attendendum eſt; *Lutheranos* actum Reprobationis iterum *ſtricte* ſumere pro *Actu Judicii* ſeu damnatione, quo ſenſu ſumto vocabulo plane conſentiunt Reformati, docent enim & ipſi, neminem damnari quia reprobatus eſt, ſed quia *ſponte* peccavit & gratiam Dei quærere vel in Evangelio ſibi oblatam amplecti neglexit: Epheſ. 5: 6. Joh. 3: 36. *Reformati* reprobationem conſiderant ut *actum Poteſtatis*: quatenus concipitur Deus abſoluta ſua poteſtate & jure potuiſſe & voluiſſe hunc, illum e. g. Eſavum, Judam, in electionis decreto præterire, in corruptione relinquere, ipſorum conſcientiam ad clariſſimam ſcripturæ & rationis lucem non excitare, quod cum Scriptura *excæcare* vocant, & voluntatem eorum ad hortationes, promiſſa, comminationes &c. non flectere, id quod *indurare* vocant:

cant: *quid nunc dicemus? num injuſtitia eſt apud Deum? abſit!* - - - Rom. 9: 14. 15. 18. *aut quis prior ei dedit, ut retribuatur ipſi?* Rom. 11: 35. Deinde & hoc obſervandum eſt, duplicem nos actum concipere in decreto Reprobationis; alter *abſolutus* ſeu *negativus* eſt, alter *reſpectivus* ſ. *poſitivus*. *Prior* eſt propoſitum non miſerendi vel non eligendi quosdam, ſed eos prætereundi, qui actus non eſt cauſa damnationis neque peccati, jam enim ut peccatores Deo obverſantur, quando eos præterit; ut recte Auguſtinus dicat: *Prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nemini cauſa labendi. Poſterior* eſt propoſitum damnandi & ordinatio ad juſtum exitium; hic actus reſpicit peccata, ut enim actu damnantur homines ob peccatum, ita decrevit Deus eosdem damnare ob idem peccatum. *Lutherani* in decreto Reprobationis reſpiciunt actum hunc *poſitivum* & *reſpectivum*, qui eſt *actus Judicii*; quærenti enim, cur Deus eos, quorum miſereri noluit, ad interitum deſtinarit & pœnam? reſpondendum eſt: propter peccatum & impœnitentiam finalem. *Reformati* verò reſpiciunt actum *negativum* ſeu *abſolutum*, qui eſt *poteſtatis* & *juris divini*; quoad hunc cauſa ex parte hominum nulla fuit, alias omnes ex æquo reprobandi fuiſſent, quia Deus in omnibus peccatum & ſine gratia ſpeciali impœnitentiam prævidit. Quærenti itaque, quare Deus hunc potius præteriverit quam illum? reſpondebunt & Lutherani & Reformati, quia ita liberrima ſua voluntate placuit Deo, Matth. 11: 26. *Etiam Pater, hæc ſapientibus abſcondiſti, quia ita fuit beneplacitum coram te*, vid. & Matth. 20: 15.

XXI.

Actum hunc reprobationis *negativum* D. Dannhavverus verbis Cl. Menzeri ita exprimit l. c. ſub lit. S. *Juſtus Deus exhæredes eſſe juſſit ac reprobavit h. e. non elegit, non ſcripſit in libro Vitæ, ſed in miſeria, in quam propria culpa ſeu peccato ſeſe præcipitarunt, relinquit.* Id quod ſub lit.

lit. K. vocat *ſcientiam viſionis, qua Deus ab omni æternitate vidit, qui è maſſa corrupta ſui futuri erant, qui Diaboli; eamque æternam, ſingulariſſimam, notitiam κατ' ὄνομα.* Quod tantumdem eſt ac ſi cum Reformatis diceret: Deum ab æterno pro abſoluta ſua poteſtate quosdam rejeciſſe, h. e. non reſpexiſſe oculo miſericordiæ, ſed in miſeria pro libero ſuo beneplacito reliquiſſe, in libro vitæ æterno non ſcripſiſſe hæredes, *Decreto æque certo, æterno ac immutabili, ſicut electio*, ut idem ait ſub lit. V. & poſt quædam alia dicit: *Teſtator ac Elector Dominus eſt; in Teſtatore tria ſpectantur: ἐξουσία ſive poteſtas, ſcientia, voluntas. Totidem in noſtro hoc teſtatore apparent. Poteſtas, ipſa voce Domini ſignificata. - - - - Hæredes non ſunt omnes ſed ſui.* Quando ergo Lutherani dicunt, electionem voluntate conſequente reſtrictam eſſe ex crediturorum prævisione, ſeu Deum hos κατ' ὄνομα, elegiſſe propter fidem prævisam, reprobos autem rejeciſſe, propter prævisam gratiæ oblatæ rejectionem, non ita intelligi volunt, quaſi cum Armin. fidem haberent pro opere gratiam antecedente, viribus arbitrii naturalibus præſtando; Minimè, ſed ſancte credunt, fidem eſſe Dei donum, Eph. 2: 8. omne bonum ſpirituale gratiæ & efficaciæ Spiritus S. in ſolidum tribuendum, arbitrium peccatoris quoad ſpiritualia eſſe *ſervum arbitrium*, quia ſervituti peccati, à quo victus eſt, *ſponte* & ſimul juſta Dei ſententia, ita mancipatus eſt, ut nil niſi peccare & poſſit & velit, Rom. 6: 16. 17. 19. Joh. 8: 34. 36. 2. Petr. 2: 19. neque fidem, ut *cauſam electionis proprie dictam, nedum meritoriam, ſed ut partem ordinis prædeſtinatorii conſiderari,* volunt. Dannhavver l. c. ſub lit. P. ſic peccatum ut cauſam quidem meritoriam damnationis ſeu *actus reprobationis poſitivi* merito conſiderant, at actus ejusdem *negativi* cauſam proprie dictam, vix intendunt dicere aliam præter Dei beneplacitum eſſe; ſi enim dicerent, Deum ab æterno decreviſſe hujus e. g. Judæ non miſereri, quòd ipſum prævidit peccatorem contumacem, impœnitentem, jam nec Petri nec ullius

miſereri

miſereri debuiſſet, quos omnes pariter prævidit peccatores, in eadem corruptionis maſſa hærentes; ſi dicant: at Petrum prævidit crediturum & viva fide gratiam oblatam amplexurum; Recte, prævidit id in decreto ſuo de dando ſpiritu fidei, qui omnipotente gratiæ efficacia fidem in Petro operaturus eſſet; Judam vero prævidit, non crediturum ſed in impœnitentia perſeveraturum, quia novit ſe Judæ gratiam illam, quæ efficacia ſua omnipotente omnia obſtacula & renitentiam removere valida eſſet, non deſtinaſſe, quam dare nemini obſtrictus eſt. Utrinque juxta propria principia jam admiſſa dicemus, Electos, Petrum, credere, quia Deus ipſis dedit fidei donum, Phil. 1: 29. Et cum in tempore fidem dat, eam dare, quia ab æterno ita decrevit, nihil enim in tempore accidit, quod in æternis Dei conſiliis definitum non fuerit. Judam, reprobos, è contra non credere, ſed ſponte in contumacia ſua perſeverare, quia Deus eis gratiam converſionis non æque largitur atque illis, ſe vero illam largiturum non eſſe ab æterno decrevit. Id quod tanto majorem gratiæ indebitæ æſtimationem, intenſius ejusdem celebrandæ ſtudium, ardentioremque Deum redamandi zelum in Petro accendere merito poteſt, conſiderante, non ſe, ſed gratiam Dei liberam, ipſum à perituris diſcriminaſſe, ſeque quæ habet bona, gratis accepiſſe, 1. Cor. 4: 7. Annon hoc utrinque & dicimus & ſentimus? ſibi interim & juſto Dei judicio relinquentes reprobos, qui propria culpa pereunt; Nec deſperationis inde metus eſt, cum reprobationis dum vivit nemo certus ſit, & omni ac ſoli credenti vita ſerio promittatur.

§. XXII.

Quæ reliqua circa hanc de Prædeſtinatione doctrinam controverſa & diſſona ab alterutra Proteſtantium parte habentur, tanti non ſunt, ut prolixiorem diſcuſſionem ac conciliationem requirant. Utraque pars con-

convenit, Chriſtum Mediatorem decretum electionis ingredi, h. e. Deum neminem ad vitam & gloriam introducere decreviſſe, niſi in Chriſto & propter Chriſtum, Principem ſalutis per paſſiones conſummatum Hebr. 2: 10. Fatemur utrinque, J. C. eſſe fundamentum electionis, quatenus ſalvis decentiis ſuis neminem ex peccatoribus ὑποδίκοις ad vitam eligere potuiſſet, niſi cum juſtitiæ ſuæ & ſanctitatis demonſtratione in morte ſponſoris Rom. 3: 25. neminem ſalvare, niſi cui Chriſtum Salvatorem deſtinaret Eſa. 45: 24. 25. Act. 4: 12. nec nos in æterna ſua προγνώσει benevolis intueri oculis, quin ſimul reſpiceret Chriſtum, in quo ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς Eph. 1: 6 Iterum quærere, quo ordine Deus decreverit, in electionis decreto dare Mediatorem? an primo decreverit dare lapſis Mediatorem, deinde demum elegerit, quos credituros prævidit? An vero primo ſtatuerit, quorundam ex lapſis miſereri, quibus dein filium dare Mediatorem decreverit, quo miſericordiam ſuam ſalva juſtitia ſua erga electos exercere poſſet? id ſuperfluum eſt quærere, poſtquam utrinque conceſſum eſt, in Deo non eſſe prius vel poſterius, omnem ordinem eſſe in rebus volitis, non in ipſa voluntate ſimpliciſſima. Sufficit hic cum Eccleſiis Helvet. Confeſſ. cap. X. dicere: *Ergo non ſine medio, licet non propter ullum meritum noſtrum, ſed in & propter Chriſtum nos elegit Deus, ut qui jam* (hoc tempore vitæ ſuæ) *ſunt in Chriſto inſiti per fidem, illi ipſi etiam ſint electi. &c.* Et omnino accedimus Lud. Crocio Aſſert. Aug. Confeſſ. Diſp. II. §. 68. ſcribenti: *Faceſſant iſtæ καινοφωνίαι & ex his natæ λογομαχίαι, cum utrinque certum ſit, neminem electum eſſe extra Chriſtum, ſed nos electos eſſe in Chriſto, qui electionis eſt fundamentum omniumque cœleſtium benedictionum fons, unde in nos illæ derivantur.* Quod vero diverſum hic & dicere & ſentire videntur Proteſtantes, inde eſſe putamus, quod Reformati magis attendunt ad illum voluntaris eligentis actum, quo decrevit quorundam ex maſſa perdita miſereri, demum vero de medio, quo id

ſine

ſine perfectionum ſuarum abnegatione fieri poſſet, ſtatuit. Lutherani potius ad alterum electionis actum, quo Deus in æterno conſilio illis ipſis, quibus Chriſtum Mediatorem deſtinavit, fide ſalvifica donatis vitam dare decrevit; deſtinationi autem vitæ recte præcedere dicitur cauſa vitæ efficiens meritoria: interim nec niſi in Chriſto eorum miſereri, nec niſi propter Chriſtum eis vitam decernere & dare potuit, certe voluit. Ut itaque in ſolo conceptu noſtro & conſiderandi modo, non in re ipſa, omnis diſſenſus deprehendatur.

§. XXIII.

Quæ porro de *Gratiæ*, *Redemtionis* & *Meriti Chriſti atque Vocationis Univerſalitate ac Particularitate* moventur quæſtiones, quas adhuc reſtare dicit Author Alloquii Irenici p. 9. & illæ propius diſcuſſæ fere in λογομαχίας abeunt. Scil. *Lutherani* genus humanum, ut unam aliquam maſſam eamque, ante actualem in tempore Electionem, ceu indiviſam ſpectare videntur, quæ & credituros & non credituros ex æquo contineat, quibus omnibus redimendis ſufficeret infiniti pretii lytrum in ſe ſpectatum, ita ut, ſi omnes crederent, omnes certo ſalvarentur, quod Reform. non negant. *Reformati* illam maſſam, ut voluntate Dei æterna & libera diviſam in *Vaſa Miſericordiæ & Iræ*, ad *honorem* & *dedecus* præparata, Rom. 9: 22. 23. & 2. Tim. 2: 20. In *hæredes* ſive cohæredes Chriſti, quibus ante jacta mundi fundamenta paratum eſt regnum, Matth. 25: 34. Luc. 12: 32. & 22: 29. & quos *exhæredes* eſſe juſſit divina εὐδοκία; in *Chriſto datos* redimendos & *non datos* Joh. 17: 9. 19. *in ſuos* & *non ſuos*, 2. Tim. 2: 19. Nec Lutherani genuini Magiſtri ſui Diſcipuli aſſerent, Chriſtum æque mortuum eſſe pro Juda atque pro Petro, æqualem utrique gratiam dari victricem, &c. Joh. 10: 15. Deut. 29: 4. Utrinque conceditur, Reprobos, Electis quippe immixtos, participes fieri vocatio-

nis

nis externæ, ſerio & jure ab ipſis officium credendi non minus atque legem ſervandi exigi, ſerio Deum ipſis vitam polliceri, ſi credituri ſint, eorum vero vitio fieri & ἀδυναμίᾳ propria culpa contracta, quod credere nec velint nec poſſint, quo ipſo *gratia* fiat *particularis* Electorum. Utraque pars ſubſcribet Remigii Epiſc. Lugdun. verbis cit. Uſſer. in hiſtoria Godeſch. *Illud in hac quæſtione manifeſtum eſt, quod etiamſi generaliter & indifferenter & omnes homines Deus vult ſalvos fieri, in aliorum tamen cordibus benignitate miſericordiæ ſuæ ipſe operatur eandem voluntatem ſuam, ut & ipſi ſalvari velint utque ſalventur: In aliorum autem cordibus ſeveritate juſti & occulti judicii ſui non operatur hanc ſalutarem voluntatem, ſed dimittit eos ſuo arbitrio, ut quia noluerunt credere, juſta ultione damnentur.* Utrinque fatemur, neminem ad ſalutem perventurum fuiſſe, niſi Deus amore ſingulari permotus nonnullis fidem dare decreviſſet, adeo ut non ſolum eos voluerit ſervare, modo credant, ſed ſtatuerit eos ad fidem adducere, ut ſervarentur. Sic Cl. Amyrald. *Gratiam Univerſalem* defendens ſcribit. Sed hæc pro inſtituti ratione ſufficere poterunt ad id, ut æquo rerum æſtimatori & omnibus pacem Zijonis amantibus pateſcat, ſi non nullum, certe non tantum, eſſe diſſenſum inter Proteſtantes in Art. de Prædeſtinatione, quantus eſſe utrobique creditur.

§. XXIV.

Supereſt ut, quotquot Pacem Hieroſolymæ ſincerè cupiunt, oremus, moneamus, obſecremus & obteſtemur, ne ubi convenimus in ſubſtantia & fundamento, ſtudia in contraria ſcindi nos patiamur, magno cum Eccleſiæ & communis cauſæ damno; idque propter quasdam humani inventi locutiones & diſtinctiunculas, nonniſi in conceptu noſtro finito locum habentes; vel propter diverſum tantum res conſiderandi ordinem, vel eas diſponendi Methodum, quam arbitrariam eſſe oportet, quousque gloriæ Dei nil derogatur:

Ne

Ne inter nos rixando & invicem mordendo anſam nos conſumendi nobiſque coronam eripiendi præbeamus communibus cauſæ Proteſtantium hoſtibus, hocce præprimis tempore, quo ſerpens ille antiquus magna ira exæſtuans & vim & aſtum omnem ad evertendum, tanquam totidem cuniculis, Eccleſiam Dei admovet, *quia novit tempus parvum ſe habere* Apoc. 12: 12. Monitum non contemnendum eſt illud CALVINI in Epiſt. ad *Bullingerum*, in qua Theologos Tigur. monet, LUTHERUM ceu inſignem Chriſti ſervum in ſua intemperie ferendum. *Hoc primum*, ita ad finem Epiſt. ſcribit, *reputes obſecro, cum tuis Collegis, cum primario Chriſti ſervo, cui multum debemus omnes, vobis eſſe negotium. Deinde nihil vos confligendo profecturos, quam ut luſum impiis præbeatis, ut non tam de nobis quam de Evangelio triumphent. Si mutuo nos proſcindimus, plus ſatis nobis habent fidei. - - - Ne ergo nobis eveniat, quod denuntiat Paulus, ut invicem mordendo nos & lacerando conſumamur, - - - abſtinendum potius à certamine, quam ut communi Eccleſiæ jactura vulnus augeamus.*

Faxit Deus Pacis, ut ſepoſitis odiis, affectibus pravis, puncto honoris, ſtudio ſectæ, atque præjudiciis omnibus faceſſere juſſis, tandem infelix illud ſchiſma inter Proteſtantes, eidem fundamento inhærentes & ἰσότιμον πίστιν λαχόντες, tollatur, paxque coaleſcat inter Ephraimum & Manaſſen, neuter erga alterum invidia afficiatur, neuter alterum amplius oppugnet, ſed junctis animis & manibus involent in humeros hoſtium, Eſaj. 11: 13. 14. Utinam *Jehova Rex ſit ſuper totam terram, & Jehova unus ſit & Nomen ipſius unum!* Zach. 14: 9. Da quæſumus Domine ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ! Fac pacem videamus in diebus noſtris ſuper nos & ſuper Iſraëlem Dei!

III.

EPISTOLA,

in qua CRITICORUM nonnullorum *de Senſu Orationis Dominicæ PROPHETICO* Judicium eluditur.

VIRO

Plurimum Reverendo, Doctisſimo atque Clariſſimo, Domino

NICOLAO BRUNNER,

V. D. M.

Eccleſiæ Bernenſis Diacono fidelisſimo,

S. P. D.

JOH. FRIDERICUS STAPFER.

QUamprimum rumor pervenit ad aures meas, Diſſertationem Theologicam *de perfectione Orationis Dominicæ atque ejus præſtantia*, TE Authore, in Tempe Helv. prodituram, ſummo ſtatim eam perluſtrandi flagravi deſiderio; propter nimirum inſignem Eruditionem TUAM aliquid exſpectabam, quod hactenus à Theologis in explicatione Orationis hujus vel omiſſum vel nondum clarè explicatum fuerit; nec ſpes hac in re me fefellit; ſectionem enim VI. Tempe Helv. accipiens hanc TUAM, Vir

Vir Clar. Diſſertationem avidiſſimè perlegi, inque ea ingentem eruditionis Theologicæ Theſaurum, rerumque divinarum haud vulgarem deprehendi notitiam. Sed perveniens ad paragraphum XXXI. rubore quodam fui ſuffuſus, videns, quod divinam hancce Orationem variis etiam Eccleſiæ N. T. fatis applices, hancque tuam ſententiam variis atque validis adſtruas argumentis; Maluiſſem, ſi fieri potuiſſet, Diſſertationem meam Epiſtolicam ſectioni III. inſertam, rudique calamo exaratam, nunquam in lucem fuiſſe productam, eamque niſi jam communis juris facta eſſet lubens abjicerem; ſi enim nervum atque ſoliditatem dictorum tuorum ponderoſaque Argumenta, quibus explicationem tuam fulciviſti, conſidero, lubens confiteor, umbram meam veniente corpore nullum amplius obtinere locum.

Sed acceſſit inſuper metus, antequam omnia perluſtraveram, ne eandem rem tractantes, & forſan aliquo modo ab invicem in applicatione Petitionum ad varia Eccleſiæ fata diſſentientes, iis qui hæc ſtudiorum genera ludunt cavillandi anſam præbeamus, quod indicium malæ cauſæ vel inde pateſiat, quod duo de eadem re ſcribentes, novam & à vulgo Theologorum nondum approbatam ſententiam ſtabilientes, jamjam in varias abeant partes.

Quamvis, ſi juſta rationis lance rem perpendere velim, nec hoc quidem, etſi accidiſſet, explicationi noſtræ propheticæ ullum attuliſſet præjudicium: Quis enim eſt qui ignoret, quantopere Verbi divini Interpretes, ratione implementi eorum dictorum, de quibus nemo unquam dubitavit, iis ſenſum ſubeſſe propheticum, à ſe invicem diſſentiant? Quis propterea unquam negavit, ea in Eccleſia vel jamjam eſſe impleta vel adhuc eſſe implenda? Clariſſima extant vaticinia apud Eſajam reliquosque Prophetas, ut & in

 divina

divina Johannis Patefactione, de quorum impletione toto cœlo differunt ſummi Theologi: An ideo quisquam negavit, iis non ſtatum aliquem vel mutationem Eccleſiæ in his terris eſſe delineatam? Varia hujus rei adducere poſſem exempla, niſi ea jam abundè tibi conſtare, mihi notum eſſet.

Ut id nunc ad rem præſentem applicem, Judicem **TE** poſco, Vir Clar. ut & omnes veritatis æſtimatores: An ideo negandum, Orationi Dominicæ univerſi Regni Chriſti per totum N. T. curriculum ſubeſſe veſtigia, ſi ad id probandum cæterum ſatis valida adſint argumenta, quia de applicatione ſingularum Petitionum ad diverſum Eccleſiæ ſtatum inter omnes non præcisè convenit? Perpauca certè hoc modo haberemus Vaticinia. Unde propriis TUIS verbis concludo, veſtigia Regiminis Chriſti Orationi huic ineſſe reſpectu totius Eccleſiæ, ideo negari non poſſe jure, quod hominis vel incuria, vel oſcitantia, vel ignorantia error aliquis commiſſus ſit, neque propterea, quod ex rei natura congruum, juſtum & neceſſarium eſt, tollendum eſſe atque mutandum.

Cum ſingulari autem animi delectatione vidi, quod diſcrepantia inter nos tanta non ſit, ut juſtæ cavillationi locus eſſet; niſi in eo maxime differamus, quod TU ſententiam hanc prolixius & cum majore eruditionis Theologicæ apparatu propoſueris, pluribusque eam adſtruxeris argumentis. Ipſam enim Petitionum ad varias Eccleſiæ neceſſitates, fata & calamitates, applicationem quod attinet, ita convenimus, ut nullus fere inter nos ſit diſſenſus: *Petitionem* nimirum *primam*, *ſecundam*, *quintam*, *ſextam* & *Doxologiam* quod ſpectat, ita conſpiramus, ut videatur, vel TE mea prolixius explicuiſſe, vel me TUA brevius contraxiſſe, quamvis neuter alterius de hac re cogitationes antea ſciverit.

Quoad *quartam Petitionem*: apparens ibi potius, quam

quam vero realis, inter explicationem noſtram eſſe mihi videtur diſſenſus. TU enim, Vir Clar. putas, Chriſtum Eccleſiam ſuam ſub Anti-Chriſto variis afflictam calamitatibus, fame, ſiti, perſecutionibus preſſam, orare docuiſſe pro omnibus hujus vitæ neceſſariis, ſine quibus in hac terra vivi non poteſt. Ego vero Chriſtum potius ad penuriam panis ſpiritualis, cujus eodem tempore magna exorta eſt inopia, uti patet ex Apoc. VI. 5-8. reſpexiſſe putavi. Sed quicquid ſit, hæc ſe invicem non impugnare mihi videntur; lubens enim concedo, (quoniam hæc tanquam ſubordinata cum ſe invicem ſubſiſtere poſſunt) Chriſtum Regni ſui ſubditos æque pro bonis temporalibus, quæ ſub panis nomine in Sacra Scriptura veniunt, ac vero pro pane myſtico orare juſſiſſe, cum Eccleſia eodem illo tempore, quo preſſa fuit calamitatibus externis atque rerum ad hanc vitam ſpectantium penuria, etiam diram panis ſpiritualis famem perpeſſa eſt. Acuto autem ingenio TUO dijudicandum relinquo, annon æque panis temporalis ac panis myſticus, cujus unus alterius Emblema eſt, intelligi poſſit? Quod etiam ad perfectionem Petitionis hujus pertinere mihi videtur, ſi in ea pro ſpiritualibus æque ac temporalibus oretur.

Nulla alia ergo reſtat difficultas, quam in *Petitione tertia*, quam diverſis temporum atque Regiminis Eccleſiæ articulis applicavimus. TU nimirum, Rev. Vir, implementum ejus quæris ſub Antichriſto, quando Voluntas & præcepta humana Voluntati divinæ paulatim præferri cœpta ſunt, ubi Eccleſia opus habuerit orare, ut Voluntas Dei magis quam hominum à veris Regni Chriſti ſubditis præſtetur, quod maxime ad Regni Chriſti amplificationem pertinet. Ego autem in ea reſpici exiſtimabam ad perſecutiones, quas Eccleſia ſub Gentilibus æque ac Arianis Imperatoribus exantlavit, quæ maxime ad perniciem & totalem

talem Regni illius everſionem, pro cujus adventu in Petitione ſecunda oratum eſt, tendebant, quo tempore Regnum Chriſti nullum aliud, niſi Voluntatem Domini, habuit refugium. Differentia tamen hæc nonniſi in diverſis temporis ſibi immediate ſuccedentis articulis conſiſtit, adeoque una ſententia alteram proprie non excludit.

Ratio autem, cur hanc Petitionem huic temporis articulo atque Eccleſiæ ſtatui potius quam vero alii applicaverim, potiſſimum hæc eſt; Quia Eccleſia tunc maximis calamitatibus æque externis ac internis premebatur. Ab una enim parte jurati Regni Chriſti hoſtes Eccleſiam nuper plantatam funditus tollere quærebant, ſiſtentibus ſe regibus terræ contra Deum & conſultantibus magnatibus contra Chriſtum Regem ſuper montem Zionis; ab altera vero parte miſere Regnum Chriſti vaſtabatur malo interno, multifariis nempe illis hæreſibus, quas malus ille hoſtis, ad totalem Regno Chriſti ruinam afferendam, præcipue ſecundo & tertio Seculo excitabat, ut adeo tunc triſtiſſimus Eccleſiæ & Regni Chriſti nuper erecti fuerit ſtatus. Hinc autem factum eſt, ut in eam inductus fuerim cogitationem, cum Chriſtus in præcedente Petitione ſubditos ſuos orare juſſerit pro adventu atque amplificatione Regni ipſius, nunc vero omnia ad ejus deſtructionem & vaſtationem tendant, & nulla amplius ſalutis, conſervationis & adventus ejus ſpes eſſe videatur, niſi in omnipotente Dei Voluntate, tum oculis hominum abſcondita, tum in prophetiis revelata; hinc mihi nullum fuit dubium, quin Chriſtus Rex ſubditos ſuos in triſtiſſimo hoc rerum ſtatu pro Regni ſui per potentiſſimam Dei Voluntatem conſervatione orare juſſerit. Nullam enim ſatis gravem vidi rationem, cur Dominus, qui Petitiones has miſerrimis Regni ſui fatis plerumque accommodavit, ſummam hanc Eccleſiæ fluctuantis miſeriam intactam

tactam reliquiſſet, præcipue cum in diva Johannis Patefactione calamitoſa hæc Regni Dei fata, inde ab initio perſecutionum usque ad placidum Conſtantini regnum, ut maxime notatu digna conſiderentur. Sed lubens confiteor, Ven. Vir, meam in Theologia Prophetica notitiam tantam non eſſe, ut omni niſu hanc meam ſententiam tueri velim; neque etiam mentem præjudiciorum ſaburra ita oneratam habeo, ut gravioribus rationibus atque argumentis non cedam. Facile etiam concedo, graviſſimas tibi fuiſſe rationes, cur hanc Petitionem etiam valde afflicto Eccleſiæ ſtatui ſub Antichriſto applicaveris. Stet, ſi TEcum Veritas juſſerit, hæc mea ſententia, cadat, ſi ſecus præcipias.

Hanc vero inter nos diſcrepantiam tantam non eſſe arbitror, ut nos propterea prophanorum CRITICORUM riſui expoſuerimus, niſi tales eſſent, quibus, exteriorem ſolum verborum ſpectantibus imaginem, ejusmodi explicationes myſticæ futiles & levis pretii habentur; celare enim tibi non poſſum, Rev. Vir,

- - aliquos tetricæ mentis naſique ſeveri,
Qui ſolos ſe ſcire putant & noſcere verum,
Atque ſibi ſolis Divum bonitate tributum,
Omnia judicio perplexa expendere recto,

eſſe qui talem *Orationis Dominicæ PROPHETICAM* ſive *myſticam explicationem* ſalſe rident. Mos nimirum ſeculi eſt, ut aliorum opera ſemper critico rodantur dente, ab iis præcipuè, qui cæteroquin Romano & Græco ſermone diſerti, talibus ſtudiis operam dant,

Quæ nil ad vitam faciunt, nil utile ponunt,
Quæ ſcire & neſcire pari diſcrimine refert.

naturæ nimirum conſentaneum eſt, quod illi, qui ſolam litteram, & quæ eo pertinent, Criticam & Philologiam,

lologiam, tantummodo depereunt, ſenſum myſticum, ipſis incognitum, ſuo non dignentur aſpectu, nedum amicitia, nullasque in verbis quærant medullas, & cum multa ſciant, ſapiunt tamen modice aut nihil.

Ponderoſiſſima tamen eorum *Argumenta* contra *Orationis Dominicæ nexum propheticum*, brevibus examinabo, niſi forſan TIBI, Rev. Vir, nauſeam facio. Ea quantum audivi ſunt ſequentia:

I. Dicunt, *Coccejanos ſeptem Periodos ubique videre.* Tanto hodie quidam Eruditorum ſcientiæ faſtu & typho inflati ſunt, ut non tantum eos, qui *COCCEJI diſcipulos* (& quidem cum delectu:) in Theologicis ſe eſſe profitentur, alto ſpernant ſupercilio; ſed & *COCCEJUM* ipſum, ut Nani Gigantem, contumelioſis verbis inſultare non erubeſcant, perhibentes, brevi fore, ut ejus Opera in foris ſcrutariis apud Mangones venalia proſtantia viſuri ſimus, iisque ingenium ficulneum eſſe arbitrantur, qui in multis Cocceji explicationes ſequuntur; etſi forſan ii ipſi, Coccejo non prælucente, vix difficilius aliquod dictum ſcripturæ enucleare poſſent, ut ſubinde neſcientes & inviti in Cocceji partes rapiantur, & *Coccejani* (qui titulus ipſis tam inviſus eſt) eſſe cogantur. Unum tantum Scioſos ejusmodi rogatos vellem, ne ſtatim *Coccejaniſmo* id tribuant, ſi ſubinde tales ſint, qui per promiſcuam accommodationem quidlibet quolibet trahunt; horum ego inſtitutum etiam probare nequeo, illudque falſum & damnabile duco: nihilque mihi melius eſſe videtur, quam verum amplecti, ſive *Coccejus*, ſive *Voëtius*, ſive *Witſius*, aut alius quisquam id dicat. Quiscunque Author alicujus rei ſit, nullum mihi de veritate ſententiæ alicujus movet præjudicium, ſi ſatis validis nitatur argumentis.

Ut id nunc ad inſtitutum meum applicem; ſi ſententia de nexu & ſenſu Orationis Dominicæ prophetico ſatis validis ſtabilita eſt argumentis, ſi cum veritate

ritate rei, cum Regulis Hermeneuticis ab omnibus receptis, cum Fidei Analogia, cum reliquis Scripturæ phraſibus, cum Magnificentia & Sapientia Dei conveniat, ut tu, Vir Clar. oſtendiſti, eam non temere ideo rejiciendam eſſe arbitror, quia merus ſit *Coccejaniſmus*, antequam contrarium probatum eſt, quod forſan iis ipſis, qui ut αὐτος ἔφα de rebus decidunt, difficillimum foret.

Quod autem dicunt, Coccejanos *ſeptem periodos ubique videre*, oppido falſum eſſe arbitror; ſiquidem ii ipſi, qui ſeptem periodos ubique vident, eo ipſo *ſe Coccejanos non eſſe* oſtendunt. Si vero poſt Coccejum tales extiterint Theologi, qui ut Nani in Gigantis humeris conſtituti, vel ut aviculæ alis aquilæ hujus inſidentes, longius paulo ac ipſe Coccejus proſpexerunt, opera eorum non ſtatim contemnenda eſſe puto; & ſi nulla myſticarum expoſitionum habenda eſſet ratio, tales Viri, cum ipſo Coccejo, commiſeratione eſſent digni, quod omnis eorum improbus labor caderet & irritus eſſet, quod tamen non ſperem.

Explicationem vero divinæ Orationis propheticam quod attinet, ea non hoc nititur fundamento, quod *ſeptem* in ea ſint Petitiones, ut nonnulli exiſtimant; ſi non alia eſſent argumenta, qualia à TE, Rev. Vir, abunde fuere allata, tunc confiteor, res ne probabilis quidem eſſet. Numerum autem ſeptenarium cauſam non eſſe, cur veſtigia Regiminis Chriſti & fata Eccleſiæ N. T. in ea quæſiverimus, quivis, qui TUAS & meas de hac re cogitationes legerit, facile videbit. Et inter alia multa manifeſtum hujus rei indicium eſt, quod neuter Noſtrum præciſe *ſeptem periodorum* (uti à Coccejo totum N. T. tempus dividitur) habuerit rationem, ſed potius reſpeximus ad potiſſimas calamitates & neceſſitates Eccleſiæ, in quibus auxilium Domini implorare opus habuit.

Unde ex. gr. eſt, quod multi Viri, non tantum

Dd 5 acris

acris judicii ſed & inſignis Eruditionis & Pietatis, veſtigia Regni Chriſti & Eccleſiæ Novi Teſtamenti quærant & inveniant in Pſalmo CXIX.? An etiam inde eſt, quod numerum ſeptenarium in numero XXII. partium vel litterarum, in quas diviſus eſt, inveniant? Suntne propterea ex iis, qui ſeptem Periodos ubique vident?

II. Secundum argumentum, quod contra nos affertur, eſt: *hoc modo Decalogum, novem Beatitudines Matth. V. Orationem Chriſti ſacerdotalem Joh. XVII. & alia multa de Fatis Eccleſiæ N. T. explicari poſſe, & id haud dubie ideo nondum factum fuiſſe, quia X. præcepta, IX. Beatitudines ſint & non VII.* Hoc recitaſſe certe eſt illud refutaſſe. Longe enim alia ratio eſt Orationis Dominicæ, quam exemplorum allatorum; quod quivis, qui Diſſertationem tuam legerit, facile deprehendet: & jamjam monui, cur Dominica Oratio ad fata Eccleſiæ N. T. applicetur, cauſam non eſſe numerum ſeptenarium. Nam ſi nullæ prophetiæ de N. T. agerent, niſi illæ, in quibus præciſe eſt numerus ſeptenarius, omnes Commentarii in Prophetas Majores, Minores, Pſalmos, &c. eſſent irriti & in omnibus falſi. Numerus ergo Præceptorum decem & novem Beatitudinum nihil impediret, quo minus de fatis Eccleſiæ N. T. in ſerie explicari poſſent, ſi convenientia id poſtularet & alia argumenta ſatis evidentia afferri poſſent, ea ita debere explicari. Et nemo negaverit, novem Beatitudines omnibus & ſingulis Eccleſiæ membris convenire non poſſe; oportet ergo, conveniant ſubditis Regni Chriſti in variis ſtatibus conſtitutis. Inde eſt quod ſummi Theologi dudum ex: gr. Primam harum Beatitudinum in ſpecie (licet in genere omnibus fidelibus conveniat) de iis ex Judæis intellexerunt, qui non propriam quæſiverunt juſtitiam, ſed ut pauperes, indigentia ſua & impotentia in rebus ſpiritualibus tacti, ad Deum confugerunt; unde Chriſtus

ſtus econtra propria juſtitia turgidis & ſibi ſuffenis, quales Judæi plurimum erant, Væ minatur, Lucæ VI: 25. Tertiam deinde Beatitudinem præcipue ſub placido Conſtantini Regno impletam fuiſſe, dudum verbi divini Interpretes cogitarunt. Et, ut reliquas brevitatis cauſa prætereꞇam, manifeſtum eſt, ultimam & penultimam non omnibus Chriſti ſubditis omnibus temporibus convenire; unde concludo, etiam hic varia Regni Chriſti, ejusque ſubditorum, variorumque fatorum & mutationum, inveniri veſtigia, cum non omnes hæ beatitudines omnibus & ſingulis competant, (quod præcipue de tertia & duabus ultimis intellectum volo) licet quivis Chriſti ſubditus ſolatium promiſſum exſpectare poteſt, ſi Characterem illum habeat, ſub cujus conditione Beatitudo promittitur.

III. Sed ad tertiam difficultatem, quam movent (ne tibi, Rev. Vir, moleſtus ſim) mihi properandum, nempe: *Ejusmodi Explicationes meros ingenii luxuriantis eſſe luſus, easque non ex ſcopo Spiritus Sancti profluere, nihilque facilius eſſe, quam talia ptoducere, illi qui aliqua polleat imaginationis facultate.* Citius hoc dictum eſſe arbitror, quam vero probatum. Neſcio autem, an per luſum ingenii aliud quid intelligant quam *illuſiones diabolicas*, quicquid enim ſcopo Spiritus Sancti è diametro adverſatur, & ſolum humano ingenio ortum ſuum debet, mendacium & falſum aliquod commentum haberi debet. Id ſi ita ſe haberet, quanta commiſeratione digni eſſemus, qui Spiritui Sancto non tantum falſi quid tribuiſſemus, ſed alios adhuc decipere quæſiviſſemus? Cum vero uterque noſtrum nihil aliud quæſiverit, quam ſapientiam ſummam Magni Salvatoris & Doctoris noſtri etiam hac in re probatam dare, & hujus Orationis præ cæteris omnibus præſtantiam & prærogativam oſtendere, eique auguſtiſſimum tribuere ſenſum, qui quam clare ex ſcopo Spiritus San-

cti

cti fluat, ex Diſſertatione TUA patet; quæ argumenta quamdiu deſtructa non ſunt, & validioribus contrarium probatum eſt, judicia ejusmodi præmatura ſuſpendenda mihi videntur. Quod iis præcipue dictum volo, qui forſan cœco Orthodoxiæ ſtudio acti, non dubitant innocentiſſimas veritates, ad auguſtiſſimum Scripturæ ſenſum pertinentes, erroris poſtulare, ſuaque ſemipapali authoritate damnare; ſi vero ſe jam omnem Scripturæ ſenſum exhauſiſſe putent, ipſis gratulor animitus.

Si tamen ſint Viri profunde docti & judicio ſubactiſſimo præditi, quibus ejusmodi (ut appellant) luſus ingenii luxuriantis diſplicent, ipſos rogatos vellem, ut ad ſequentia attenderent.

α. Multa haud dubie Myſteria ſapientiam Dei illuſtrantia in Sacra Scriptura contineri, quæ adhuc in lucem ſunt proferenda: Multas eſſe Dei profunditates in Sacra Scriptura adhuc latentes, nobisque cortici litteræ duntaxat inhærentibus nondum ſatis eſſe obſervatas: Sacram Scripturam eſſe Aurifodinam, antegrediente & prælucente Spiritu Sancto ſemper ſcrutandam: Majorem ultimis N. T. temporibus promitti cognitionem, cum fulgor ſolis ſeptuplo major erit quam antea; inde mihi perſuaſum eſt, ſi novi quid ad explicationem Scripturæ addatur, quod ad Dei Verbique ejus Gloriam, (de quo vix nimis auguſti quid cogitari poteſt) magnum facit momentum, non temere eſſe rejiciendum, præcipue ſi eo litteræ nihil derogetur, ſed econtrario huic indubitatæ divinitatis & ſapientiæ ejus accedat character. Omnia vero ad augmentum cognitionis promiſſum ſpectantia, in Sacra Scriptura jam eſſe contenta, firmus mihi ſtat animus; unde cognitio eo ipſo augmentum capiet, ſi multa ex Sacra Scriptura cognoſcantur, quæ hodie adhucdum latent, & non dubito, Deum olim Viros, ſummis hodiernis Theologis longe adhuc doctiores &

per-

perſpicaciores, excitaturum, qui ſummo ſtudio operam navabunt, ut multa in lucem proferant hodie adhuc latentia; quod impletis plerisque Prophetiis, quæ hodie & præteritis temporibus maximam partem obſignatæ fuerunt, ut & tot ſeculorum experientia melius fieri poteſt. Ex quibus omnibus nunc nihil aliud concludere volo, quam ea quæ ſunt nova, quiſcunque ſit inventor, absque ſerio rei Examine non ſtatim eſſe rejicienda, & pro mero ingenii luxuriantis luſu habenda.

β. Multa certe hodie in ludibrium verterentur, ſi typice, allegorice aut myſtice explicarentur, niſi ipſe Spiritus Sanctus præiret. Ita ex. gr. Apoſt. ad Gal. IV. Montem Sina, Abrahami Conjugium cum Sara & Hagare, rei majoris figuram continere affirmat; ſi quid unquam, niſi Spiritus Sanctus ita explicaret, hoc videretur. Ex hoc vero concludere in pluribus aliis locis ſub ſenſu litterali aliam eminentiorem occultari, non dubito. Et recte Judæi dicunt, Scripturam nunquam eſſe absque ſenſu ſimplici, ſed habere etiam pariter myſticum.

γ. Sed ſuppono tandem pro aliquo tempore, cum venia TUA, Vir Clar. non concedo: Cogitationes tuas de Perfectione & Præſtantia Orationis Dominicæ tantum probabiles eſſe conjecturas, an ideo nullius uſus eſſe deberent? non credo; annon ſaltem hunc uſum præſtare poſſent, ut aliis occaſionem darent, rectius aliquid & melius excogitandi. Si in ſenſu litterali tam variæ Interpretum ſint ſententiæ, quarum tamen unica tantum poteſt eſſe vera, etſi collatio variarum illarum conjecturarum magnum in Explicatione Scripturæ uſum præſtare poteſt, quare eæ in ſenſu myſtico, qui ſub litterali latet, eſſent rejiciendæ? Eo præcipue tempore, quo illi in V. & N. T. libris contenti & reconditi theſauri Patris & Chriſti nondum omnes ſunt manifeſti. Si ad explicatio-

cationem ſenſus litteralis nihil unquam licuiſſet proferre, niſi id quod mathematice demonſtratum eſt, adeoque indubitatum, omnibus fere commentariis careremus.

IV. Quartum, quod contra hanc explicationem afferunt, eſt: *Quod illa aptari poſſet, ſi Petitiones vel maxime ordine retrogrado poſitæ eſſent.* Sed hoc, quomodo fieri poſſet absque ridicula obtorſione, ego hactenus videre non potui, niſi aliquis mihi id invictis argumentis ad oculum demonſtret, ideoque antequam quis hoc præſtiterit, hanc objectionem ulteriore reſponſione indignam arbitror.

Cæterum errare me poſſe, & multoties non leviter erraſſe, novi. Eruditorum cenſuram non defugio. Veritatem ubivis ſector. Nullis animi morbis parco. Nil odio, nil amori tribuo.

Ignoſcas autem, Vir Clar. quod tam libere, id quod ſentio, apud TE depromſerim, TUAque negotia prolixiori Epiſtola interpellare auſus fuerim; Ita & mihi & bonis litteris Vale. Dabam Bernæ ex Muſeo III. Iduum Decembris. MDCCXXXVI.

* * * * * * * * *

IV.

IV.

JACOBI BRUCKERI

DISSERTATIO EPISTOLARIS

Ad JOEL. II: 23.

Ad Virum pl. Reverendum

D. C. A. M.

ROgaſti me, *Vir plurimum Reverende*, ſententiam meam de dubio ſenſu verborum JOELIS *capite ſecundo*, *commate vigeſimo tertio*, quæ ab interpretibus in diverſos ſenſus tracta, jucundo nuper inter nos colloquio occaſionem exhibuere, & præbuerunt diſceptandi non ignobile argumentum. Pollicebar Tibi uberiorem ſententiæ meæ demonſtrationem, & me in ære Tuo jam eſſe, ſentio. Patieris itaque, ut, ſi non nova profero, quod facile largior, veteri tamen interpretationi, fruſtra a doctiſſimis Viris laceſſitæ, eas rationes afferam, quæ nova forte eam luce illuſtrabunt. Sunt vero verba Vatis hæcce:

וּבְנֵי צִיּוֹן גִּילוּ וְשִׂמְחוּ בַּיהוָה אֱלֹהֵיכֶם כִּי נָתַן לָכֶם אֶת־הַמּוֹרֶה
לִצְדָקָה וַיֹּרֶד לָכֶם גֶּשֶׁם מוֹרֶה וּמַלְקוֹשׁ בָּרִאשׁוֹן׃

Locus vero totus difficultate fere nulla laborat, niſi quod vox מורה duabus vicibus in hoc commate occurrens, & varie ab Interpretibus accepta, quoniam non ſagittarii tantum (*a*), ſed & doctoris (*b*) & pluviæ (*c*) notionem obtinet, difficultatem moveat. Plurimis enim priori loco (nam de poſteriori controverſia

(*a*) 1. Sam. XXXI: 3. 2. Sam. XI: 24. (*b*) Eſ. X: 15. Job. XXXVI: 22. (*c*) Pſ. LXXXIV: 7.

verſia nulla eſt,) doctorem juſtitiæ, multis imbrem vel pluviam tempeſtivam, notat, quam ſententiam poſt O' Interpretes, qui effectum pro cauſa, cibum pro pluvia cibum producente agrumque fœcundante poſuiſſe videntur (*d*), & Syrum atque Arabem Interpretem (*e*), qui cum Græcis faciunt, tenent Judæorum Commentatores celeberrimi: ABENEZRA & KIMCHI, & ex Chriſtianis, Philologi magni nominis: JO. BUXTORFIUS (*f*), JO. TARNOVIUS (*g*), JO. VORSTIUS (*h*), EDUAR. POCOCKIUS (*i*), JUNIUS quoque & TREMELLIUS (*k*), præeunte ipſo CALVINO: quibus, dubitanter licet, accedunt DRUSIUS (*l*), PISCATOR, & Verſio Anglicana, itemque DIODATI (*m*). Etſi vero luminibus tantorum virorum, qui de ſacra Philologia tantopere meriti ſunt, plurimum tribuendum ſuo jure eſt, vulgatior tamen ſententia, & in ſe ſana, elegans & ſcopo Spiritus S. conſentanea & ita comparata eſt, ut nulla urgente neceſſitate relinquenda non eſſe videatur. Cujus poſt accurate expenſas textus circumſtantias hæ potiſſimum rationes ſe mihi obtulere:

I. Antiquæ & commendatiſſimæ quidem ab accuratione Verſiones voces את־המורה לצדקה verterunt per Doctorem juſtitiæ, ex quibus præcipue nominamus, primo quidem *Chaldæum Paraphraſten*, qui reddidit

(*d*) Græcos in altera ſententia fuiſſe contra αὐτοψίαν aſſerit TARNOVIUS, *ad h. l. p. 113.* Vertunt enim τὰ βρώματα εἰς δικαιοσύνην, niſi cibos pro doctrina poſuiſſe admodum improprie velis. (*e*) in *Bibl. Polyg.* WALTONI. (*f*) in *Concord. Ebræis, voce* ירה (*g*) *Comm. ad h. l. p. 113. ſeq.* (*h*) Philol. S. *P. I. c. 2. p. m. 58.* (*i*) *Com. ad h. l. p. 205. ſeq.* (*k*) in *Verſione ſua h. l.* (*l*) *Comm. in Proph. min. p. 458.* (*m*) in *Verſionibus hujus loci.*

didit אתיב לכון יתמלפכון בזכו *reſtaurabit vobis doctorem veſtrum in juſtitiam*; tum SYMMACHUM, Virum Ebraicæ linguæ peritiſſimum, cujus fragmenta Verſionis V. T. ob hanc rationem a Viris Doctis plurimi fiunt; qui vertit τὸν ὑποδεικνύοντα, uti ex Codice τῶν ό Barberino, cui ad marginem adſcripta erat hæc Symmachi interpretatio, notavit V. C. LAMBERTUS BOS. (*n*) Deinde *Vulgatum*, ſine gravi ratione non contemnendum, qui pari modo interpretatus eſt, *Doctorem juſtitiæ*, a SIXTINO AMAMA, graviſſimo Vulgati cenſore, cum hujus loci mentionem faceret, (*o*) non reprehenſum. Ex recentioribus vero potior Interpretum & Commentatorum pars pro hac ſignificatione militat; velut ex B. *Lutheri* noſtri, *Pagnini*, *Leonis Judæ*, *Caſtalionis*, *Munſteri*, *Vatabli*, *Cocceji*, *Grotii*, *Oſiandri*, *Vinarienſium*, multorumque aliorum, hic ſine faſtidio non citandorum, laboribus patet; quibus Judæorum Magiſtri, R. *Salomo*, R. *Abarbanel*, *R. Japhet*, aliique accedunt. Etſi vero leve prima fronte videtur argumentum hoc a conſenſu Interpretum, præcipue vetuſtiſſimorum, deſumtum, plurimum tamen ponderis in ambiguo locorum Scripturæ S. ſenſu definiendo habet. Uti enim iis temporibus proximi fuere, ubi penitior & accuratior linguæ ſanctæ cognitio florebat, ita iſtis potiſſimum ſubſidiis inſtructi, quibus recentiores plerumque carent, accuratius quoque mentem Scriptorum Sacrorum perſpicere potuerunt, ſine graviſſima ideo ratione & neceſſitate urgente non deſerendi. Quod tamen ad LXX. Interpretes, qui huic Verſioni contrarii ſunt, eo minus adplicari poteſt, quo magis eorum lapſus noti ſunt, quicquid contra clament *Voſſius*, *Waltonus*, hisque ſimiles.

(*n*) in *Obſ. ad h. l.* ſubjunctis *editioni τῶν ό a ſe curatæ. p. 1090. 6.* (*o*) in *Antibarbaro Biblico*, *l. III. p. 588.*

II. Favet etiam contextus, & totius vaticinii harmonia. Quod ſi enim illud attento, quo decet, oculo intueamur, & prædicatorum ad ſua ſubjecta relatorum conditionem pie expendamus, apparebit liquido, de majori quadam re cogitandum eſſe, quam de ſola reſtituenda agri fertilitate, annique fœcunditate. Quod ut clarius appareat, א. præſupponendum, quod neminem Stili Prophetici vel mediocriter gnarum, inficiaturum arbitror, Spiritum S. in deſcribendo ſtatu Eccleſiæ ſæpe ab ἐπιγείοις ſymbolum petiiſſe, & ſub ſchemate regni naturæ ſtatum & conditionem regni gratiæ adumbraſſe: (*p*) Vel ſexcentis hoc exemplis demonſtrari poteſt, (*q*) & ſine hac clave nemo ſenſum vaticiniorum reſeraverit. ב. probe conſideranda prædicata in textu antecedente & conſequente occurrentia; dicitur vero c. II: v. 2. *dies Domini veniens, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, cui ſimilis non fuit a principio & non erit in annos usque generationis.* &c. comm. 17. *Dicent, parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem in opprobrium, ut dominentur eis nationes; quare dicerent in populis: ubi eſt DEUS eorum.* comm. 28. ſeqq. luculentius. *Et erit poſthac effundam de Spiritu meo*, &c. ex quibus prædicatis, niſi me omnia fallunt, ſi ad hanc regulam exigantur, ſequitur, de majori longe & illuſtriori re eſſe cogitandum, quam de ſola fertilitate agri & danda anni cælique felicitate. Etſi nim. hoc quoque DEI beneficium poſt annos eſurientes & ſteriles magnum eſt, non tamen tale eſt, quod omnibus ſeculis opponatur, cum ſuperioribus quoque temporibus eo gaviſi Judæi fuerint, ſecus

(*p*) Vid. omnino SAL. GLASSIUS noſter, *Philol. S. l. I. tr. 4. ſ. 1. can. 5. p. 320.* ed. recentiſſimæ, qui inter alia ad noſtrum Prophetam III. 18. 23. provocat. (*q*) Vid. Cel. VITRINGA *ad Jeſ. XI: 6. ſeq. T. I. Comm. ad h. l. p. 418. ſeqq.* itemque in *præfatione.*

ſecus vero factum eſt in Doctore juſtitiæ. Eum enim intelligi, ex conſequentibus in textu judicari poteſt, ubi ſtatus Eccleſiæ Judaicæ tempore advenientis Doctoris juſtitiæ J. C. & conditio doctrinæ ſalvificæ adeo depravata exhibetur, ut agro depaſto à cicadis, regionique per calamitates & annonæ caritatem ad anguſtias redactæ ſimilis videatur. Hæc doctrina, a Phariſæorum fermento tanquam a cicadis corrupta, in inſigni illo die Domini (qua phraſi Meſſiæ adventum deſignari patet ex Malach. IV: 5. & Jo. VIII: 56.) (r) exultanti veræ Eccleſiæ & ſuſpirantibus fidelibus per Chriſtum Doctorem juſtitiæ reſtituta, & in hunc finem Spiritus S. gratia in fideles effuſa eſt, imminente horrendo DEI die atraque judicii luce in contemtores Judæos deſtinata. Et hæc allegoria, qua fœcundantis tempeſtatis ſymbolo doctrinæ veræ communicatio præfiguratur, ignota eſſe illi non poteſt, qui ad phraſeologiam Spiritus S. probe attendit, & conferenda ſunt loca Deut. XXXII: 2. Job. XXIX: 12. Amos. VII: 26. Eſ. LVI: 11. 12. Aliaque ſæpius obvia. Hiſce demonſtratis facile jam intelligi poteſt, (s) quomodo vulgatior verſio cum contextu cohæreat. Promittit enim benigniſſimum Numen pœnitentibus reſtituendam felicitatem, & quidem talem, qualis requiritur ad maximum & ſingulare prorſus, idque ſine exemplo, in Sione excitandum gaudium. Hæc felicitas autem, quoad terrena quidem reſtituenda erat per regionis fertilitatem cœlique benignitatem, accedente Propheta vel Doctore aliquo inſigni, qui modum acquirendæ hujus felicitatis, & ordinem divinum, ſecundum quem, ex legibus juſtitiæ ſuæ, Deus eam dare vult, doceat, & confirmet, ut *facile Iſraë-*

(r) Vid. Vener. Senex SAMUEL WERENFELSIUS, in *Cogit. ad loca N. T. Opp. Theol. Phil. p. 315. ſeq.* (s) Vid COCCEJUS *ad h. l.* CALOVIUS *Bibl. illuſtr. ad h. l. p. 717. ſeqq.*

litæ agnoſcant, in medio Iſraëlis eſſe Deum, & Jehovam eſſe Deum ſuum, & non amplius eſſe Deum, quæ verba *v. 27.* occurrentia ipſe TARNOVIUS de obſignatione Spiritus S. interiori explicat, ex qua explicatione per ſe jam neceſſitas talismodi Doctoris fluit, etiamſi de ampliori textus ſenſu & illuſtriore ſignificatione non cogitaremus. Quoad ſpiritualia vero, in inopia Eccleſiæ dandus erat Doctor juſtitiæ inſignis ille, Meſſias, qui ordinem ſalutis divinum, juſtitiæ rationem, viamque felicitatis æternæ perſequendam, oſtenderet; qui poſtquam venit, mittenda erat pluvia tempeſtiva, illa ſcilicet, quam in ſequentibus largiſſime promittit, Spiritus S. & effundenda per illum abundantiſſima ſapientiæ & doctrinæ cœleſtis flumina, quæ ideo ordine c. III. ſubjungit Vates, quia Chriſtum doctorem juſtitiæ prius venire par erat, antequam cœleſti rore irrigarentur fideles. Quod menti Spiritus S. in hoc vaticinio conſonum eſſe, ipſe nos per S. Petrum Act. II. certiſſimos fecit.

III. Hæc vero ut & τῇ συναφείᾳ textus ſcopoque Scriptoris conſona ſunt, ita nihil habent, quod non ipſo argumento rei nos de ſenſu dicentis & ſcribentis convincat, modoque & rationi ſcribendi, Spiritui S. in ſacris oraculis ſolenni, conveniat. Quod ſi enim illa conſulimus, non doctores tantum videmus nominari מצדיקי רבים, Dan. XII: 3. quod vi tertiæ conjugationis notat Viros juſtitiæ viam ordinisque ſalutis rationem docentes & ad eam ducentes, quod egregie B. Lutherus vertit: die ſo viel zur Gerechtigkeit weiſen; verum Chriſtus quoque à Patre nobis factus juſtitia, 1. Cor. I: 30. tanquam ſummus Juſtitiæ Doctor proponitur. Nemo tam ignarus ſalutis ſuæ voluntatisque divinæ eſt, qui hoc ignoret, & clariſſima id Scripturæ loca evincunt, vid. Eſ. LXIII: 1. Hoſ. X: 12. coll. Job. XXXIII: 23. Pſ. XXII: 23. Prov. VIII. Eſ. LV: 4. Matth. XXIII: 8. Idem vero in loco

co præſenti vocis צדקה ſenſus omnino eſt, quo ſcilicet idem dicitur, quod alias per Voces משפט, אמונה & אמת, aliasque exprimitur (*t*) & ab Helleniſtis per δίκαιον & δικαιοσύνην verti ſolet, cujus exempla etiam in N. T. occurrunt. (*tt*) Eſt itaque promiſſus doctor juſtitiæ ille, qui τὸ πρέπον, καθῆκον καὶ τάξιν divinam, ordinem ſalutis, operumque divinorum œconomiam docet, & inſtruit, qua ratione hæc beneficia a Deo promiſſa fideles adipiſci queant, qua conditione, vel ſi mavis, ordine Deus ea dare velit, qui ordo ratione beneficiorum temporalium fuit prævia converſio & ſincera pœnitentia, hoc capite ſatis injuncta; in majoribus & ſpiritualibus beneficiis vero, qualis obtineat, ipſe Juſtitiæ Doctor, Jeſus noſter, eum docuit Jo. XVI: 9. 10. affirmando, exinanitionis & poſt hunc exaltationis ſuæ ſtatum miſſione Spiritus S. eſſe priorem, & paſſione quidem atque morte eum demerendum, reſurrectione vero & aſcenſione mittendum. Ita vox צדקה accuratius huc collineare videtur, quam ſi מורה per pluviam vertatur, ubi ſimilem phraſin in Scr. S. non invenies, & difficulter commodum extorquebis ſenſum; niſi forte cum JO. VORSTIO (*u*) interpreteris *benigne*, incommode ſatis; qui dum hujus ſenſus confirmandi cauſa provocat ad Pſ. XXIV: 5. Non attendiſſe videtur, ibi per צדקה ex noſtra ſignificatione commodiſſime intelligi id quod pio convenit, er wird Seegen empfangen, und was billig iſt, ihm gebört und zukommt, oder was nach göttlicher Ordnung, Willen und Wort ihm verſprochen iſt von dem GOtt ſeines Heils, u. ſ. w. Et idem quoque dicendum puto de *Verſione Anglicana*, quæ vocem לצדקה moderate, vel *Liveleji*, qui, juſta menſura; vel *Piſcatoris*, qui iuſto tempore, contorta interpretandi ratione verterunt.

Ee 3 IV.

(*t*) Vid. FRID. SPANHEM. *Dub. Evangel. P. III. d. 43. p. 362. ſeqq.* (*tt*) Matth. III: 15. Jo. XVI: 10.
(*u*) l. c. non diffitente Tarnovio l. c. p. 112.

IV. Tandem & ipſa verborum ſtructura huic favet ſententiæ. Ut enim nihil dicam, quod contraria Jententia ταυτολογίας ſpeciem exhibeat, quam vix cum *Tarnovio* per diſtributionem generis in ſuas ſpecies, vel cum *Pocockio* per emphaſin repetitione expreſſam excuſabis; emphaſis additi ה demonſtrativi, itemque adjectæ notæ accuſativi אח, quarum particularum utraque, imprimis poſterior, ſingularem ſubſtantiam, eſſentiam & ſubjectum peculiare maximeque reale notat, (x) magis ad ſubjectum Doctoris, tanquam perſonæ ſingularis momenti, quam ad pluviam, etſi tempeſtivam, quadrat. Neque ita ſpeciatim determinari neceſſe fuiſſet hoc prædicatum per duas particulas, ſi pluvia intelligeretur, quia in ſequentibus ſatis ſuperque determinatur. Nec fert hanc ἐμφάσεως per particulas expreſſæ prolixitatem ſanctæ linguæ indoles. Accentuatio quoque & maxima ejus in hoc verſu diſtinctio τοῦ (׀) huic interpretationi magis favet. Quod ſi enim ea admittatur, materiæ heterogeneæ recte diſcretæ ſunt, & facta inter ſubjectum & prædicatum diſtinctio per accentum (׀) ita ut prior pars contineat ſubjectum gaviſurum & cauſam efficientem excitantem gaudium; pars poſterior vero beneficium formale, quo gaviſuri ſint. Cum contra in altera interpretatione pars prædicati ad ſubjectum tracta, & quæ eadem prorſus ſunt, inter ſe magna diſtinctione contra dictamen Logicum diſtincta ſint.

Audita jam parte una, audienda eſt quoque pars altera, & expendendum, quid contra hanc interpretationem objiciatur. Monet vero TARNOVIUS & ex parte quoque VORSTIUS locis citatis:

1. Occurrere vocem המורה cum ה articuli, adeoque ita verti non poſſe in ſtatu conſtructo, cui ה articuli non præfigatur. Hujus regulæ gratia Tarnovius provocat

(x) Vid. B. DANZIUS *Interpr.* §. *118. p. 133. ed. min.*

vocat ad BUXTORFIUM (*y*), qui tamen non obſervaviſſe videtur, quod BUXTORFIUS in ſequentibus (*z*) monuit, quandoque tamen nomini conſtructo additum reperiri, cujus exceptionis exempla profert Gen. XXXI: 13. II. 9. Jer. XXV: 10. Judic. XVI. 14. & alia: & ad finem recte ad Ellipſin provocat. Obſervavit enim acutiſſimus magnique nominis Philologus B. JO. ANDR. DANZIUS (*aa*) ſubſtantivo conſtruendo abſolute vel cum articulo poſito idem ſubaudiendum eſſe in forma conſtructa. Quod ſi hoc non placet, id ſatis quod eſt faciet, quod juxta eundem (*bb*), ſi prior vox conſtruenda relinquatur, poſteriori ſc. recto præfigatur nota Genitivi ( ) idque poſtea exemplis probat. Cadit itaque ſola hæc objectio: quæ nec inde ſpeciem lucratur, quod Accentus diſtinctivus (֑) voci מורה additus ſit, & conjunctionem cum ſequenti verbo impediat; cum notum ſit ex doctrina accentuationis Ebrææ (*cc*) diſtinctivos minores, in ditione duarum vocum connectendarum per ſervum interdum pro eo adhiberi.

2. Monet Tarnovius, noſtram interpretationem non niſi allegorice textui & ſubjectæ materiæ quadrare, nullum vero allegoriæ extare veſtigium. Verum ſupra jam monuimus, ex indole vaticiniorum, majus & illuſtrius ſubjectum, & ἀντίτυπον quendam hujus typi, adeoque allegoriam imprimis requiri. Et ſi nihil in antecedentibus occurreret, ſola gaudii ad quod Vates excitat magnitudo (*dd*) longe major, quam quæ reſtitutæ regionis fertilitati debetur, & appellatio Sionis, quo nomine Eccleſia in Vaticiniis intelligi ſolet (*ee*) ſufficerent

(*y*) *Theſaur. Gramm. p. m. 383.* (*z*) *p. 385.* (*aa*) *Interpr.* §. *23. p. 22.* (*bb*) *ibid.* §. *20. p. 19.* (*cc*) V.G. H.REIME *Comp. Accent.* §. *23. p. 35.* (*dd*) vid. COCCEIUS ad h. l. (*ee*) eleganter de eo commentatur B. LUTHERUS ad *h. l.* & ex eo CALOVIUS *Bibl. illuſtr. ad h. l. T. II. p. 777.*

ſufficerent ad cogitandum de typo & allegoria. Sed & inſequentia, quæ capite tertio occurrunt, huic objectioni nervos omnes incidunt: ea nim.aperte docent, hæc eſſe ἀλληγορέμενα.

3. Tandem & hoc urgetur, ſequentia probare, quod de ſola fertilitate naturali ſermo ſit, quia in hoc verſu mox pluvia nominetur, in ſequentibus effectus doceatur. Sed ex ſuperioribus reſponſio patet; invertimus enim argumentum hoc, & ex conſequentibus contra contrariam pugnavimus ſententiam. Nec ulla in hac objectione eſt conſequentia. Nam quæ in textu inter ſe conſequuntur, ea non inter pauca aliquot commata includenda, ſed ad totam textus diſpoſitionem extendendá, ſicque quæ capite tertio dicuntur, neceſſario cum hoc verſu connectenda ſunt, & illuſtriora, quæ ibi promittuntur, huc trahenda, ne uno verſu eadem bis promittantur, indecora tanto tamque gravi Scriptori repetitione.

Habes hic, Vir Pl. Reverende, rationum mearum, olim tibi paucis expoſitarum, uberiorem expoſitionem; quæ vel eo nomine ſe mihi commendavit, quod ita nobile de Sanctiſſimo Salvatore noſtro vaticinium nobis, quod in altera verſione fit, non ſubtrahatur. Cum enim, monente ipſo Magiſtro noſtro, tota Scriptura S. de Jeſu teſtetur, cur non in tam luculento eum loco quæramus? Tu itaque pro eruditione & pietate Tua hæc altius expendere & hanc qualemcunque ſcriptionem æqui bonique conſulere non gravaberis.

Vale.

V.

V.

J. R. S. V. D. M.

CONJECTURÆ in NUMMOS quosdam PUNICOS, in Turditania cuſos.

Ex quo *Cl. RHENFERD. Periculum* ſuum *Phœnicium* Orbi litterato obtulerat, opemque Quiritum ad hanc litteraturam promovendam imploraverat, ſpes affulſit, fore ut Viri Docti *punica* hæc monumenta pro virili reſtaurare operam darent: Maxime vero D. *de BARY*, Amſtelodamenſis, Belgarum quondam Negotiatorum apud Sevilienſes Patronus vel Conſul, ex cujus gazophylacio *Rhenſerdus* paucos quoſdam nummos protulit, ſpem faciebat ampliſſimæ in hoc eruditionis genere ſegetis; prout revera, ſi quis alius, hac ſuppellectili largiter inſtructus, optime id potuiſſet. At quantum ſcio, ſpes fruſtra fuit, niſi quod Celeber. CLERICUS, (*Bibl. ſuæ ſelect. Tomo V.*) ex eodem theſauro publicatis aliquot antea non viſis nummis, publicatione ſaltem, de hac litteratura bene meritus eſt. Modo igitur qualicunque hac mea opera hujus ſtudii memoriam refricarem, abunde mihi ſatisfactum eſſet.

Duo hic conſpiciuntur nummi, eadem inſcriptione, iisdemque fere ſymbolis, *duobus* nimirum *piſcibus*

bus & *ſolis lunæve iconibus*, niſi quod eorum alter *facis* figuram loco globi ſolaris, & lunam ſine terræ globo exhibeat (*fig. 1. 2.*) Accedit tertius, iisdem piſcibus, ſed diverſa inſcriptione.



Liceat mihi cum Doctiſſ. RHENFERD. ab inſcriptione initium facere, quam ipſe ſagaciſſime in *Peric. Phœn.* ita Hebr. litteris pingit: (*fig. 1. & 2.*) תבעל קנק. Examinandum nunc, quid litteræ vel hæ voces ſibi velint. De poſteriori KNK קנק, CLERICUS calculum ſuum RHENFERDO, *Kanak* legenti & de *Canaca* urbe ad flumen *Anas* explicanti, apponit, & recte. Aliter vero res ſe habet in voce תבעל ToBoHoL, quam CLERICUS *Thibbal* vel

vel *Thibahel* legit, & pro 3. perſ. fut. Kal vel Piel fœm. gen. *dominabitur*, nim. *Sol* in Canaca, interpretatur. At hæc meditatio mihi parum arridet. Sol enim, ſi pro Deo Rectore & Dominatore ponitur, ſemper maſculine effertur. Deinde Sol non pro Dominatore urbis, ſed orbis univerſi colitur; ne quid dicam de anomalia formationis & conſtructionis verbi בעל.

Alia igitur via eſt ineunda & RHENFERDI Conjectura proferenda: Qui ſtatuit, nomen eſſe urbis Bæticæ vel Luſitaniæ, ab uberrimo argenti vel alius cujusque metalli proventu appellatæ. Qua vero ratione hypotheſin ſuam fulciat, ipſum audire præſtat: *Conjecturæ* inquit, *fidem facient alia in Celtiberia non procul Pompelona loca, Tritium Metallum, & Tritium Tobolicum, (vel ut alii nullo noſtræ cauſâ detrimento legunt*, Toboricum;). *Tubal Japheti F. à quo Tybareni chalybes, nomen & originem ducunt, & denique ærariorum & ferrariorum, imo metallicorum omnium princeps Vulcanus ſive Tubal-Cainus*. Peric. Phœn. §. 15.

In hac Viri Docti conjectura ſunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura. Bene ſe habet, quod תבעל urbis nomen cenſeat, occurrit enim idem nomen in nummo *fig. 4.* cum *Gadir* celebri urbe, eodem modo quo *Gadir* ipſa in nummo *fig. 5.* per ſimilem notam (vau copulat: eſſe puto) alii loco ſociatur. Sed quid hic TUBAL vel *Tubal-Cainus*? Sunt quidam Authores, qui *Tubalem* Hiſpanis conditorem tribuant, & ideo aſſeverent, magnam Luſitaniæ partem *Tobelorum* nomine olim appellatam fuiſſe. At longe verius & SCALIGER & GOROPIUS contendunt, nullum unquam *Tubalis* monumentum in Hiſpania exſtitiſſe. Verum ut nulla fabula omni penitus fundamento deſtituta, ita etiam hic. *Iberia* antiquum Hiſpaniæ nomen, quod cum *Iberibus*, Colchidi vicinis, commune habuit, omnis hujus commenti cauſa & mater eſt. Hinc evenit, ut cum JO-

SEPHUS

SEPHUS, *Antiq. lib. 1.* dicat: κατοικίζει δὲ καὶ Θοβήλας, Θοβηλος, οἵτινες ἐν τοῖς νῦν ἴβηρες. Euſebius & Hieronymus id de Hiſpanis nequicquam intellexerint, quod etiam Ill. *Scaligerum* decepit, ut ob id *Joſephum* (in *Epiſt. ad Freherum*) mendacii accuſaret.

Doctiſſ *Th. REINESIUS* in *Diſſert. de Deo Endovellico*, Tubalem gentis Hiſpanæ conditorem, miſſum quidem facit, ſed tamen contendit, *Tobelios* ſive Caucaſi incolas Patriarchæ ſui nomen ſecum in Luſitaniam tuliſſe, nec hypotheſi ſuæ obeſſe putat, quod pauca admodum hujus appellationis veſtigia in urbium nominibus ſuperſint, id enim vetuſtatis culpæ & ignorantiæ adſcribendum. Ego vero lubens concedo, (& quidni, cum plurima adhuc ſuperſint veſtigia;) & plures & inclytas in his oris hujus nominis ſoni exſtitiſſe urbes. At nec mihi nec alii cuivis, itinerum & diſtantiæ immenſum tractum perpendenti, hanc migrationem plauſibilem reddet: Sunt vero plura exempla populorum, urbium & fluviorum, longe à ſe invicem diſſitorum, eadem appellatione gaudentium. SOPHRONIUS (autor verſionis *Catalogi de Script. Eccleſ.* ab *Hieronymo* conſcripti:) de Thoma Apoſt. Πάρθοις καὶ Μήδοις καὶ Πέρσαις καὶ Γερμάνοις - - - ἐκήρυξε τὸ εὐαγγέλιον. eadem verba, etſi latine, affert etiam Anonymus apud *Oecumenium*. Hæc Perſarum & *Germanorum* vicinia torquet viros doctos. ERASMUS legit (in ſua edit. Hieron.) καρμανοῖς; Celeber. *le MOINE*, poſtquam multum ſudavit & alſit, & ipſe Sophronii textum ſuſpicionibus gravare conatus eſt. Sed fruſtra; HERODOTUS enim lib. I. inter Perſarum γένεα nominatim γερμανίας recenſet. Vix tamen facile quiſquam credet, *Germanos* noſtros ab illis originem traxiſſe; quamvis, ingenue fateor, rationibus non prorſus deſtitutus id faceret. Conveniunt enim in pluribus vocabulis linguæ; de *Superis* utrisque eadem perſuaſio: de *Perſis HERODOTUS*,

DOTUS, quod neque ſtatuas neque templa neque aras exſtruant, quin καὶ τοῖς ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρυσι. *Lib. I. p. m. 54.* de *Germanis TACITUS: Ceterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. de mor. Germ. cap. 9.* Utrique de rebus graviſſimis, ut de bello & pace, in conviviis plerumque conſultabant; iterum iisd. teſtibus, *Herod. l. I. p. 57.* & *Tacit de mor. Germ. c. 22. Perſæ* in ſuis natalitiis οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν, βῦν καὶ ἵππον καὶ κάμηλον καὶ ὄνον προτιθέαται ὅλυς ὀπτὺς ἐν καμινοῖσι. *Herod. lib. 1.* eodem fere modo & *Germani* Regum ſuorum natalem regni celebrant diem.

Ut vero e diverticulo redeamus, optime nos docet Normannorum doctiſſimus *BOCHARTUS*, Hiſpanos & potiſſimum Luſitanos עברין *Ibrin* (quod *terminos* vel *fines* ſignificat) appellatos, quippe qui *fines terræ ultimos* occupaverint. Phœnicii igitur, qui longe lateque has oras poſſederunt, Authores hujus denominationis cenſendi, quibus itidem Luſitaniæ & Bæticæ urbium nomina, ad *Tubalis* ſonum accedentia, in ſolidum vindicanda ſunt; quæ tamen minime תובל, ſed תבעל ſcribenda, ut radix & denominationis origo ſit בעל *Baal*, nummi extra dubium ponunt.

Qualis vero urbs ſit, & qua tandem regione ſita, definire nimis arduum; tum quod Romani, rerum Domini, urbium nomina ſæpe mutaverint, pro exemplo ſit Salduba vel Saltubaal, quæ *Cæſar Auguſta* vocata fuit, vel, ſi nomina retenta, ore & ſtilo Romano ita depravata fuere, ut etymologia vix erui poſſit; ut oſtendatur, nomen *Carthago* ex חרתא קרתא derivari, eo quod Hiſpanis familiare litteram d in g (ut ex dama, gama) convertere, magni *Bocharti* ingenio indigebamus. Huc accedit, quod Veteres Geographi in urbium recenſione plures omittant; *Calpes* Hiſp. oppidum, jam dudum Caſaubonus & Bochartus ex ipſo *Strabone* expunxiſſent, niſi numi adeſſent cum inſcript.

C. I.

C. I. CALPE, i.e. *Colonia Julia Calpe. SPANH. de uſu Num. p. m. 766.* Ad meum inſtitutum ſufficere poteſt, quod in plurium civitatum nominibus *Tubaalis* veſtigia remanſerint, ut Saltubaal, Caltubaal, ibi deficiente quidem ultima littera L. in pronunciatione, ut in Αννιβας, Ασδρȣβας, apud Græcos.

Forte in enarrandis ſymbolis meliori fruar fortuna. In his *piſces* maxime conſpicui ſunt, & quidem certum piſcium genus, *Thunni*, Hebr. הנין dictum. Moſes in Hiſt. creationis, *creavit Deus* inquit, התנינם הגדלים Gen. I: 21. quæ vox Balenas vel majores piſces in genere ſignificare videtur. Verum Phœnicii *thynnis*, utpote piſcibus magnis, hoc nomen vindicaverunt. *PLINIUS, lib. IX. c. 15. præcipua magnitudine Thynni, - - invenimus talenta XV. pependiſſe, ejusdem caudæ latitudinem duo cubita & palmum.* Cur vero *thynni*, vel *pelamides* potius, (ita enim vocantur, qui annuum tempus non exceſſere;) in his occurrant nummis, ratio non una videtur. Ea quæ prima ſe offert, haud dubie eſt captura eorum quæſtuoſa. Ita & *Byzantini* pelamidum piſcationem, ex eaque auctos urbis reditus, nummis ſuis nobilitavere. Exſtat apud Ill. *SPANHEMIUM (de uſu & præſt. Numiſm. Diſſert. III.)* inſignis nummus cum duobus pelamidibus & Inſcriptione ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. Hanc vero non unicam rationem eſſe, *Solis* & *Lunæ* i. e. Deorum Symbola vel Numina evincere videntur. Rem igitur accuratius conſiderantes, deprehendemus, *pelamides* ad emblematum uſum aptiſſimos eſſe; iis certe uſus fuit Doctiſſ. CAMERARIUS, in *Symb. & Embl. Cent. III. Embl. XV.* Ubi inter alia de thynnis: *Illorum maximi ſoli ſemper & ſeparatim natant, minores vero* (pelamides) *gregatim, adeo ut horum agmen exercitui Oppianus comparet, figuram enim ſemper cubi efficiunt, & quadratum in natando ordinem obſervant, ut ſi Thunniſpex eminentes Thunnos probe numeret, ſtatim totius gregis numerum inire poſſit.* &c. In Hiſpania autem,

autem, Imperatorum Romm. temporibus, (ſub quibus nummi noſtri cuſi;) diverſi erant populi, diverſi eorum conventus, diverſa lingua, diverſa itidem Sacra; quod & *PLINIUS Hiſt. N. Lib. III. c. 1.* docet. Inter hos populos Phœnicum Coloniæ, Sacrorum reſpectu, a cæteris omnibus erant remotiſſimæ: Religionis quaſi Metropolin, *Gadiris*, ſplendidiſſimum Herculis Tyrii templum habentes. Ad inſtar igitur τȣ̃ κοινȣ̃ Ασίας (Aſiani enim, ut notum, communia habebant templa, ſacra, feſtos dies, commune etiam gentis ſacerdotium) etiam & ipſæ *ſuum* habuiſſe mihi perſuaſum eſt. In diverſis enim & diverſarum Phœniciarum Coloniarum nummis, ſemper eadem deorum inſignia, eadem numina conſpiciuntur. Sed præter τὸ κοινὸν, TURDITANIÆ civitates, vel earum quaſdam, arctiori quodam Concordiæ vel Communionis vinculo conſtrictas reor. Eodem nimirum modo, quo & Aſiæ civitates nobiliores aut *commune jus hoſpitii*, vel *commercii*, vel *connubia mutua*, imo & συμπολίτειαν vel *jus civitatis*, per mutua fœdera inter ſe ſanciebant: Cujuſmodi fœderis inſigne exemplum apud POLYBIUM in *Excerpt. l. 27.* ὑπαρχȣ́σης γὰρ αὐτοῖς ȣ̓ μόνον φιλίας ἀλλὰ συμπολιτείας πρός Απολλονίατας καὶ καθόλȣ κοινωνίας πάντων τῶν ἐν ἀνθρώποις νομιζομένων δικαίων καὶ περὶ τȣ́των κειμένης ἐνόρκȣ συνθήκης. &c.

His præmiſſis proclive eſt judicare, *pelamides* in nummis noſtris ſymbola eſſe, arctiſſimæ hujus Concordiæ vel Communionis, fœdere inter urbes *Thobol* vel *Tubal* & *Canaca*, & *Gadir*, &c. ſancitæ; cujus memoriam, non domi tantum in Templis & prætoriis ſuis, Cippis & tabulis, ſed potiſſimum nummis perennare, ſeriſque poſteris tradere voluere: Quod itidem Aſiæ civitates factitaſſe nummi ſuperſtites (apud *SPONIUM, Itiner. Tom. III.*) abunde docent, hac ſola differentia, quod Græcorum, *verbis*, ex. grat. Σμυρναιων

ναιων Ἐφεσιων Ὁμονοια, Hiſpanorum vero numi *Symbolis* (Thunnis) id oſtendant. Conjecturam illuſtrat alius nummus (a CLERICO exhibitus) cum iisdem piſcibus & Inſcriptione עדר (*fig. n. 3.*) quod *cœtum* vel *gregem* ſignificat; aptiſſime quidem ad pelamidum ingenium, ut modo ex CAMERARIO audivimus; PLINIUS de iisdem: *Intrant e magno mari pontum, verno tempore gregatim.* Lib. IX. c. 15. Idem L. c. paulo inferius: *in pontum ad dulciora pabula intrant gregatim, cum ſuis quæque ducibus.* At cum id vulgo compertum, nummis inſculpi haud perinde neceſſe fuiſſet: Omnino igitur ſtatuendum, hic עדר *Heder* idem eſſe & ſignificare, quod in Græcis & Latinis nummis Ὁμόνοια, *Concordia, Communio.* Non tacendum, quod pars hujus nummi averſa, teſte CLERICO, Herculis Tyrii templum, (harum urbium, unionis & communionis quaſi centrum) exhibeat.

In enarrandis Symbolis pervenio ad *Solem* & *Lunam*, inter cujus cornua globulus, terreſtris globi imago, conſpicitur. De Solis & Lunæ cultu religioſo, poſt SELDENUM & VOSSIUM, verba facere, incivile eſſet. Sed meretur obſervationem, quod non Symbolice, aut hominis, animalis vel cujuscunque rei effigie, ſed ipſe Sol & Luna ipſa in nummo ſiſtatur, quod ego antiquo more factum & effictum cenſeo. Plane etiam mihi perſuaſum, חמנים quorum mentio in S. litteris, hujusmodi *globos ſolares* fuiſſe, ex quacunque demum materia vel metallo confectos. Quod enim ſimpliciſſimum, id etiam antiquiſſimum, non tantum quod nudis illa vetuſtas ſimulacris deſtituta fuerit, ideoque eorum ναοὶ ἀξόανοι, ut etiam celeberrimum illud *Gaditanum* fanum, de quo SILIUS.

Irreſtincta focis, ſervant altaria flammæ.
Sed nulla effigies ſimulacrave nota deorum.

In quo ſtatu forte ſemper permanſit (dico forte, quia id dubium facere poſſet *Hadriani* nummus, in quo con-

conſpicitur *Hercules Tyrius* inter duas figuras mulie-bres, in aditu templi Gaditani & in imo fluvii Baetis, figura apud VAILLANT:) Sed potiſſimum, quod etſi aliorum deorum ſimulacra effingerent, id in *Sole* & *Luna* quamplurimum vitarent; teſtis LUCIANUS, qui de ſplendidiſſimo Syræ deæ fano verba faciens dicit, ibi etiam *Solis thronum* fuiſſe absque ſimulacro, additque: μόνȣ γὰρ ἠελίȣ καὶ σεληναίας ξόανα ȣ̓ δεικνύȣσι — λέγȣσι (γὰρ) τοῖσι μὲν ἄλλοισι θεοῖσι, ὅσιον ἔμμεναι ξόανα ποιέεσθαι, ȣ̓ γὰρ σφέων ἐμφανέα πάντεσι τὰ εἴδεα. ἠέλιος δὲ καὶ σεληναίη πάμπαν ἐνεργέες καὶ σφέας πάντες ὁρέȣσι. Cum vero ſæpe contingat, ut ſolis & lunæ numina technice repræſentanda ſint, ut hic in nummis & ſæpius in Sacris, pronum eſt judicare, id vel per ſymbola, vel ſane, & id antiquitus, per hujusmodi figuras ceu pictas ceu ſculptas factum fuiſſe. De Darii tabernaculo CURTIUS, *ſuper* illud, *unde ab omnibus conſpici poſſit, imago ſolis cryſtallo incluſa fulgebat*, (Lib. III. c. 3.) חמנים vero *Solem* vel *Soles* vel *Solis numen* ſignificare, evincit urbs Ægypti *No-Hammon*, (*Heliopolis* vel *Solis habitaculum*) dicta. Altaribus etiam impoſiti deſcribuntur; dicuntur enim מעל vel למעלה המזבחות, Levit. XXVI: 30. 2. Chron. XIV: 5. &c. Quicquid vero ſit, ambigi haud poteſt, Solis Lunæve cultum in his oris maxime viguiſſe. Non vero idem de *Terra* cenſendum puto, etſi intra lunæ cornua lateat, (aliter res ſe habet apud Græcos & Romanos:) abeſt enim in nummo *fig. 2.* adeſt vero in primo, quia luna quam proxime Terram ambit, ſuumque in eam exercet imperium; quod imperium egregie *Dianæ* illæ *Luciferæ* apud *MONTFAUCON* (*Antiq. Expl. Tom. I.*) *Terræ globo* inſiſtentes, *Lunamque bicornem* capite geſtantes, demonſtrant.

Pro more autem apud omnes recepto, *Numina* ſua nummis effingebant. Maxime vero ominis cauſa id faciebant, ut initi *fœderis æternitatem* augurarentur,

quam à *Sole* & *Luna* ſperabant. Extat in hanc rem luculenta Inſcriptio apud *GRUTERUM*, *pag.* 33. *Tomi I. noviſſ. edit.* quam in Belgio vidi, quæ Inſcriptio in Luſitania ad montem Lunæ, prope Sintriam, reperta fuit:

SOLI ÆTERNO LUNÆ
PRO ÆTERNITATE IMPERII
ET SALUTE IMP. CÆS. SEPTIMI
SEVERI &c.

Profert etiam *VAILLANT.* (in *numm. Impp. præſt. Tomo II.*) nummum Hadriani, (qui, ut notum, ex Italica urbe ad Bætim fl. originem ducebat) cum Inſcript. ROMA ÆTERNA. Conſpicitur *Roma* ſpoliis inſidens, globum pede calcans, dextra *Solem*, *Lunam* vero ſiniſtra tenens. Egregia ſane Symbola, quibus & ipſe Deus T. O. M. uſus, ut Davidi ſolii vel regni *æternitatem* confirmaret, *Thronus ejus ſicut ſol coram me. Sicut Luna ſtabilietur in ſeculum.* Pſal. LXXXIX. 37. 38.

In fœderibus etiam juramentum interveniebat & deorum invocatio, quæ haud ſpernenda cauſa, quod in his noſtris & Græcorum nummis, quibus initas *Societates* vel *Concordias* perennare voluere, numina ſua quaſi præſentia ſiſtant; tales nobis exhibet Gordiani nummos III. SPANH. ὁμονοια Εφεσιων καὶ Αλεξανδρεων aut Ἐφεσιων Ἀλεξανδρεων ὁμονοια, in quibus *Dianæ* Epheſiæ ac *Serapidis* expreſſæ icones. *de præſt. Num. Diſſ, IX. p. m. 793.* Inſuper mos *ſolem* & *lunam* invocandi in fœderibus pangendis etiam obtinuit apud alios populos; Agamemnon certe ille Homericus fœderis teſtes & vindices poſt Jovem *ſolem* invocat, fluvios & terram. *HOM. Iliad. III.* Theocriti quidam *Scholiaſtes* a *Kuhnio* citat. *in Idyll. II.* ex Pindaro: Πίνδαρος φησιν ἐν τοῖς κεχωρισμένοις τῶν παρθένων, ὅτι τῶν ἐραστῶν οἱ μὲν ἄνδρες εὔχονται τὸν ἥλιον. αἱ δὲ γυναῖκες, σελήνην.

Num-

Nummus N. 5.

Hic pro emblemate habet *tridentem delphino circumvolutum*, quod in maritimarum urbium numiſmatibus obvium, noſtra non indiget explicatione. Caracteres optime Doct. RHENFERD. enucleavit, nimir. בעלז וגדר, *BHLS & Gadir*. de *Gadire* autem verba facere, poſt BOCHARTUM & alios Doctiſſ. Viros, actum eſſet agere BHLS. qualis ſit urbs, non æque clarum, adjectio quippe vocalium & barbaræ vocis in ore latino corruptio, rem paulo impeditiorem reddit; RHENFERDUS legit *Bahiloz*, Βαίλων, *Baelon*, quæ eſſet urbs freti Herculis; At hoc eſt divinare, qualis enim convenientia inter Bahiloz & Baelon? Ut ita dicam quod res eſt: Inſignitur urbs inſignis maritima nomine *Bahlſa* vel *Balſa*, quæ hodie, ſi RESENDI judicio (apud CELLARIUM) ſtandum, *Tavilla* appellatur, & urbs *Cunei* eſſet. Quare vero à עלז *exſultare* nomen ſortita ſit, vel num ipſa קריה עליזה Eſaj. XXII: 2. civitas *Aliſah*, vel *Alſa*, i. e. *exſultabunda*, fuerit, inquilinis examinandum relinquo. Cæterum haud abs re erit obſervare, quod abſque numiſmatibus, non ſolum plurium urbium & locorum etymologiam & orthographiam, ſed etiam, quinam earum conditores fuerint, plane neſciremus; omnes ex gr. quotquot ſunt Autores *Syracuſarum* conditurам Græcis, *Archiæ* nimir. Corinthio tribuunt, nomenque a vicina palude *Syraco* vel *Tyraco* accepiſſe tradunt; quod poſterius quidem a ratione non abludit, prius vero nomen *Syracuſæ*, totum phœnicium, falſitatis revincit, cujus orthographiam & ſignificationem unice debemus præclaro Syracuſano nummo, ab ALDRETE primum, & ex eo à Cl. *RHENFERD.* (*Peric. Phœn.* §. *XX.*) evulgato, cujus Inſcriptio, (Characteres Phœnicios, per Hebræos reddimus) שרק חדש Sorek Hadas, genuinum ſane Syracuſæ nomen, Sorakhuds primum, deinde ut ex צור

Zoor, *Tyrus*, ita hic *Syrakbuds*, & tandem commodioris pronunciationis ergo, addita etiam terminatione Græca, *Syracuſa*; Maxime enim fallitur vir doctus, qui nummum de urbis aliqua parte tantum, *Neapoli* nimirum, quæ Græcorum conditura fuit, intelligit; Contrarium evincit nomen *Dionyſii* Tyranni; *tria crura*, univerſæ Siciliæ, & dimidius equus, Syracuſarum civitatis, inſignia: Τρίσκελον enim, ſive tria conjuncta crura, Siciliam, *Trinacriam* illam & *Triquetram* deſignare, vulgo notum. *Caput* vero *equi*, vel *dimidium equum* urbis inſigne fuiſſe, PLUTARCHUS (in *Nicia*, *fere ad fin.*) docet, agens enim de quibusdam Athenienſibus, poſt internecinam eorum in hac Inſula cladem captis, τȣ́τȣς inquit, ὡς οἰκέτας ἐπώλȣν. (Syracuſani nimir.) σίζοντες Ἵππον εἰς τὸ μέτωπον.

Nummus N. 6,

VULCANI Iconem hic exhiberi, forceps a tergo dubitare vix permittit: Cujus cultus, in Ægypto ortus, Phœniciam, & Græciam, &c. omnem inquinavit, & per Phœnices ad ultimos noſtros Iberos penetravit. Num vero etiam deformi & ſtatura pygmea, ut Memphiticus ille, a Cambyſe Perſarum Rege ideo deriſus, ab Hiſpanis cultus fuerit, ignorare me fateor. De Ægyptio *HERODOT. L. III. ſiquidem ſtatua Vulcani. ſimillima eſt iis diis, quos Pataïcos vocant Phœnices, & in triremium proris circumferunt - - i. e. pygmei viri imagine. HESYCH.* Πάταικοι, θεοὶ Φοίνικες, οὓς ἱςᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. id eſt, *navis tutela* in pygmei viri imagine figurata, quam Phœnices, Herodoti temporibus in proris, Græci vero plerumque in puppibus pictam habebant. Magnus *SCALIGER Patacæos*, dici putat à פתח *patach*, quod in Piel eſt inſculpere, unde פתחים, *ſculpturæ*, Exod. XXVIII. 11. & paſſim. BOCHARTUS vero à בטח *batach, confidere, ſecurum eſſe*, deducit, ita ſæpe בטחון *litteræ ſecuritatis publicæ*, quæ præſtatur iter facientibus; cum *Pa-*

tacæi

tacæi navis tutelares dii fuerint. Utraque conjectura docta & plauſibilis, *Scaligeri* tamen melior: niſi quis mecum per metatheſin unius litteræ *Pacætos* pro *Patæcis* malit, a voce פחח *pachat*, quod Rabbinis *minuit*, diminuit, unde iisdem פחות homo *parvus*, brevis, i. e. pygmeus.

In eruendis caracteribus non magnopere deſudabit, qui nummos præcedentes, & litteras Samaritanas, attente conſiderabit: Nunquam enim Celeb. CLERICUS, qui hunc & duos alios ejusdem χαράγματος protulit, inveniet explicationis ſuæ aſſeclas. Quatuor igitur, non tres, ut ipſe vult, caracteres hic videmus; quorum primus eſt ת vel τ Samaritanum in crucis formam, quale etiam in *No. I.* occurrit: Secundus pingitur fere ut P. latinorum, in longum deductum, verum clarius in alio Vulcani nummo apud eundem *Clericum* exprimitur, nimirum in ultima littera in BHLS vel Balſa. *No. 6.* inde liquet ז *Sain* eſſe Hebræorum: Tertius נ *Nun* Hebræorum, i. e. N. prout occurrit *No. 1. 2.* in Kanak vel *Canaca*; quartus eſt ה He Samaritanum notiſſimum. Qui caracteres conjunctim poſiti efficiunt תזנה TSNH. i. e. ToSoNaH vel *Taſonah.* a radice זנה vel זין, de qua vox חזנות, haſſonot, *arma, inſtrumenta*, I. Reg. XXII. 38. item אזנים, quod legitur Deut. XXIII. 13. *paxillus etiam erit tibi* על אזנך hal azenecha, *præter arma tua.* Igitur זנה vel זין ſignificat arma vel inſtrumenta fabricare, expolire, inde formoſum reddere, ornare, exornare &c. quod optime Vulcano convenit, quippe conſtitutus, ut qui optimo jure, auro, argento, ære, ferro, flando, feriundo, fabricando, expoliendo &c. Hiſpaniam autem, maxime vero *Turditaniam*, (Regio inter Anam & Bætin) metallorum omnium feraciſſimam, ex *Diodoro*, *Strabone*, *Plinio*, *Solino*, vulgatum eſt. Tenemus igitur Vulcani nomen Phœnicium, quod ſane nullus liber unquam nos docuiſſet. Niſi forte quis malit *Toſonah* pro fabrorum collegio interpretari,

 pretari,

pretari, idque propter præpoſitum ת vel T. ut in diſſimili cauſa ex ירה factum תורה, doctrina, lex, ita hic, quaſi quis German. diceret: die Schmiederey. Vox nihili,.apta tamen ad mentem meam explanandam. Cujusmodi fabrorum ut & aliorum opificum Collegia ſive Corpora, plurimis privilegiis exornata extitiſſe in Orbe Rom. inſcriptiones abunde docent. Tale fabrorum Collegium apud Nicomedenſes conſtitui poſſe cenſuit *PLINIUS jun. Ep. XLII. Lib. X.* Quicquid autem nugax & fabuloſa Græcia de VULCANI & Veneris matrimonio, Martis ſtupro, & Vulcaneis vinculis carminibus celebravit, id ex amphibolia זנות *armorum* & *amaſiarum*, imo ex תזנה *Vulcani* nomine fluxiſſe, pro certo habeo. Quæ enim alia ratio conjugii tam diſparis reddi poſſet? Vel quænam alia vincula, quibus Vulcanus Martem & Venerem tam arcte conſtrinxit, niſi armorum illa, quibus miles armis ſuis cingitur & tantum non alligatur; Nec Græcos, qui inter ſuas Veneres, etiam armatam quandam colebant, penitus id ignoraſſe lubens credidiſſem, niſi *LACTANTIUS de falſa Relig. c. XX.* veriora me docuiſſet. In hanc Venerem exſtant Epigrammata quædam in *Anthologia*, quorum unum LEONIDÆ, coronidis loco addam:

Ἄρεος ἔντεα ταῦτα τίνος χάριν ὦ κυθέρεια
Ἐνδέδυσαι, κενεὸν τȣ͂το φέρȣσα βάρος,
Αὐτὸν Ἄρη; γυμνὴ γὰρ ἀφώπλισας. εἰ δὲ λέλειπται
Καὶ θεὸς, ἀνθρώποις ὅπλα μάτην ἐπάγεις.

Anth. Lib. IV. θεῶν.

TANTUM.

VI.

VI.

SAMUELIS KOENIGII,

Prof. Bern. Extraord.

SPECIMINA ARABISMI in Proverbiis Salomonis.

§. I.

TExtum Hebræum Veteris Teſtamenti Arabiſmos haud paucos habere, Viri Linguarum Orientis periti ante me dudum obſervarunt. Mihi vero jam animus eſt, idem de libro Proverbiorum Salomonis aſſeverare, & luculentis exemplis evincere. Ne vero liberius evager, continebo me intra cancellos capitum, inde a 25. usque ad 29.

§. II.

Quare verſ. 1. Cap. 25. ſic ſonat: *Et hæc ſunt proverbia Salomonis, quæ* העתיקו *adjecerunt*, vel potius, *tranſtulerunt Viri Ezechiæ Regis Judæ.* Hic genuinus verbi העתיקו ſenſus omnino evolvendus eſt. Interpretum haud pauci id reddunt per *adjecerunt*, *addiderunt*, *contulerunt*. Sic Lutherus, Tremellius & Junius. Alii malunt reddere per *exſcripſerunt*; Sic LXX. ἐξεγράψαντο. Piſc. Welche ausgezogen haben. Huc accedunt Angli, Belgæ & Genevenſes.

§. III.

Has quidem interpretationes omnes recti quid habere, haud diffiteor, neque tamen animo meo ſatisfaciunt. Magis, imo quam maxime, in hoc loco mihi placet Verſio Vulgata, quæ habet, *tranſtulerunt.* Certiſſimum enim eſt, hoc ſenſu venire hoc verbum

העתיק. Exempli loco ſit locus Jobi 9: 5. המעתיק הרים *qui transfert montes.* De Abrahamo & de Iſaaco dicitur, ויעתק quod tranſtulerit ſe, vel tentoria ſua. Gen. 12: 8. 26: 22. Adeoque העתיק ſignificat, rem *e loco in locum transferre.*

§. IV.

Hinc & Rabbinis ſignificat, librum *ex lingua in linguam transferre*, adeoque interpretari. Hinc המעתיק *interpres*, העתקה *translatio.* Atque hoc ipſo ſenſu verbum העתיקו in Textu noſtro capiendum eſſe exiſtimo. Ut adeo verſus noſter ſic ſonet: *Et hæc ſunt proverbia Salomonis, quæ tranſtulerunt*, h. e. ex alia lingua in Hebræam tranſtulerunt, adeoque interpretati ſunt, *Viri Ezechiæ Regis Judæ.*

§. V.

Ex qua vero lingua Viri Ezechiæ hæc Salomonis proverbia tranſtulerunt? Id vero altioris videtur eſſe indaginis. Dicam igitur citra ambages, quod ſentio: Ex *Arabica* lingua; Cujus tot comparent veſtigia in hiſce Capitibus. Sapientiſſimum enim totoque Oriente clariſſimum Regem Salomonem Linguæ Arabicæ peritum atque gnarum fuiſſe quam maxime, quis inficiari auſit? Certe cum Regina Sabæ (quæ ex Arabia Felice dubio procul venerat) verba fecit, ejusque ſolvit ænigmata, ſed citra interpretem. Neque enim de eo dicitur, quod de Joſepho, Gen. 42: 23. quod per מליץ *interpretem* locutus fuerit cum Regina Sabæ, Arabice proculdubio loquente. Salomon ergo cum Regina Arabe, Arabiceque loquente, Arabice collocutus eſt, utque ſuam ipſi oſtenderet ſapientiam, ſaltem ſpecimina ejus ederet, hæc proverbia Arabico ſermone fudit, chartisque conſignari juſſit, quæ tandem Viri Regis Ezechiæ, inter quos & ſacer vates Jeſaias erat, in vernaculam, h. e. Hebræam tranſtulere linguam.

§. VI.

§. VI.

Id vero luculentum & fere ἀναμφισβήτητον fiet, ubi Arabiſmi in hiſce capitibus occurrentia manifeſta veſtigia in lucem produxerimus. Videatur ergo hujus cap. 25. verſus tertius. שמים לרום וארץ לעמק &c. Conveniunt in eo interpretes cœlis ſummam adſcribi altitudinem, terræ vero profunditatem &c. Sed ſi nil dicitur niſi hoc, dicendum fuiſſet רום לשמים, *altitudo eſt cœlis*, non שמים לרום. Quare ut quod ſentio exponam, verſum huncce tertium ſic reddendum eſſe exiſtimo. *Cœlum* (quod Hebr. שמים, Arab. שמא Samaon) *dicitur de altitudine, terra vero* (quæ Hebr. & Arab. ארץ) *de profunditate*. At quæſo in qua lingua Cœlum nomen habet ab altitudine, terra vero à profunditate? Nonne id Arabicæ ſoli convenit? Ceu in qua שמא *Sama* ſignificat *altus fuit*. Sed ארץ, *Ardon*, quicquid inferum, humile & *depreſſum* eſt.

§. VII.

En aliud ſpecimen, Cap. 26: 18. ubi interpretum vulgus illud מתלהלה reddit per *inſanum, furentem*. Sic Jun. & Trem. *Ut inſaniens, qui jaculatur malleolos, ſagittas & lethalia: Ita eſt quisquis decipit proximum ſuum, & dicit, nonne ridebam?* Sed quid inſano vel furenti cum ridente? Non video, quomodo hoc quadret. Sed conſule linguam Arabicam, in qua להא ſignificat *luſit, oblectavit ſe*. Inde Hitpah. geminatum, התלהלה, ſic ergo ſe habet hic verſus: *Uti ludens, qui* (ludendo ſcil.) *jaculatur malleolos, ſagittas & lethalia: Ita eſt quisquis decepit proximum ſuum, dicitque, nonne ridebam*, vel, *nonne jocatus ſum*. Jam ſenſus ſententiæ Salomoneæ planus eſt & manifeſtus.

§. VIII.

Pergamus ad verſ. 22. ubi in Hebr. דברי נרגן במתלהמים Jun. & Trem. *Verba ſuſurronis ſimilia ſunt verbis eorum, qui ſæpenumero contuſi ſunt, tamen ea de-*

ſcendunt in penetralia ventris. ſcil. מתלהמים idem volunt eſſe quod אתהלמים à Rad. הלם contudit. Sic & Buxtorfius, qui illud כמתלהמים reddit, *ſicut blandientium*, vel, quaſi *contuſorum*, eorum ſcil. qui oſtendunt ſe percuſſos & fractos, ut alios ad commiſerationem moveant. Aſt quid hoc niſi figmenta? quibus non opus erit, ubi conſuluerimus linguam Arabicam, in qua להם in 4. conj. אלהם, *Alhama*, notat, *inſpiravit*, *clandeſtino inſtinctu docuit.* להאם *Lihamon*, *inſpiratio.* Ergo in Conj. Hitpah. התלהם, part. מתלהם eſt, *qui ſe inſpiratum fingit*, *vel mentitur.* Ut ſenſus ſit: *Verba ſuſurronis*, qui ſemina rebellionis & diſcordiæ ſerit, *ſunt ut verba eorum*, *qui ſe divinitus inſpiratos fingunt;* Certe ejuſmodi ſuſurrones, ut fidem impetrent, hominesque ad defectionem & rebellionem permoveant, dictitare ſolent, hoc ſibi divinitus patefactum eſſe, ſe hæc minime fingere, ſed ſecreto Dei inſtinctu huc trahi &c. Sic certe Rabſake Judæos ad defectionem à Rege Hiskia ſolicitans, *At nunc*, inſit, *an abſque Jehova aſcendi contra locum hunc, ad perdendum eum? Jehova edixit mihi: Aſcende contra regionem iſtam, & perde eam.* 2. Reg. 18: 25. quid Cevennates ad arma contra Regem ſuum capienda excitavit, niſi mendax inſpiratio? Sic ſententia Salomonæa plana eſt & manifeſta, docens nos, ut nullo prætextu, ne quidem quando mendax aliquis vates divinam prætendit inſpirationem, permoveri nos patiamur ad defectionem à principe, neque ad arma contra eum capienda.

§. IX.

Sed carpamus florem Arabicum ex c. 27: verſ. 6. ubi Jun. & Trem. *Fidelia ſunt vulnera amici*, ונעתרות נשיקות שונא *deprecanda vero oſcula oſoris.* עתר equidem apud Hebr. ſignificat, *ſupplex oravit.* Sed in Niph. נעתר *exoratus eſt* ſcil. Deus. Jeſ. 19: 22. 1. Chron. 5: 20. Ergo נעתרות non ſignificat deprecanda, ſed *exorata*, precibus impetrata. Cum vero verſus hic hanc inter-

interpretationem minime ferat, recurramus, ſodes, ad linguam Arabicam, in qua Radix עתר (cum ת blæſo) notat *offendit, ceſpitavit.* inde nomen עתרת *Athraton, ſcandalum, ceſpitatio.* Ergo ſenſus eſt: *Oſcula oſoris ſunt ſcandali plena*, ſcandaloſa, ſit venia verbo. Germ. ärgerlich, anſtöſſig. Ut totus ille verſus hunc fundat ſenſum: Increpationes, imo verbera & *vulnera ab amico* ſincero inflicta, nonniſi *fidem, ſincerumque ſpirant amorem*, quo periculum à te avertit; *Aſt oſcula*, dulciſſimaque oſoris verba, ubi ponderentur, nonniſi fucos & *fraudes ſapiunt*, teque in laqueum inducent, *ut graviſſime ceſpites;* ſunt ergo ſcandali plena, vel meræ offenſiones.

§. X.

Expendamus porro verſum undecimum capitis 28. Jun. & Trem. *Sapiens videtur in oculis ſuis vir dives; ſed tenuis prudens* יחקרנו *perſcrutatur eum.* Sed revera tenuis eſt ſenſus illius tenuis prudentis, perſcrutantis ſapientiam divitis. Obſervemus igitur, verbum חקר apud Arabes ſignificare *contemſit, vilipendit.* En igitur jam verum ſenſum hujus dicti Salomonæi: *Sapiens ſibi videtur vir dives; ſed pauper* vere *prudens*, cœleſtique præditus ſapientia, divitis hujus Nabalis ſapientiam *contemnit*, atque vilipendit, ceu carnalem, falſam atque ſpuriam, quin ceu meram ſtultitiam. Conf. 1. Cor. 1: 20. & 3: 19.

§. XI.

Addamus verſum duodecimum, eümque tantiſper trutinemus. Jun. & Trem. *Exſultantibus juſtis amplus eſt ornatus; erectis autem improbis*, יחפש אדם *perveſtigatur homo.* Hoc eſt, exploratur fides & patientia ejus. Sic ſenſum fundit non contemnendum. Aſt vero quia verſus hic geminus & parallelus eſt verſui 28. hujus capitis, ſic ſonanti: *Erectis improbis abſcondit ſe homo;* &c. exiſtimo, ſenſum ſententiæ Salomoneæ

alium

alium eſſe ab eo, quem modo dixi, ſcil. hunc: *Exſultantibus juſtis amplus eſt ornatus. Erectis autem improbis proſternuntur & calcantur homines.* Scilicet, apud Arabes nota eſt Radix חפט & חפש. quæ notat, diruit, humi proſtravit, calcavit. Quæ ſignificatio loco huic quadrat, funditque ſenſum appoſitum, & conſonum ei, quem Pſalm. 12: 9. habemus: *circumquaque improbi obambulant,* (ad calcandos ſcil. bonos) *quando extolluntur viliſſimi inter filios hominum.*

§. XII.

Sed ſatis ſpeciminum Arabiſmi, quorum admodum multa congerere poſſem, ſi otio abundarem. Judicent vero bonarum literarum ſtudioſi, an ſi nonnullas ſtudiis Arabicis conſecrarent ſubſecivas horulas, temporis diſpendium, an operæ pretium facerent? Litet audacter vero Deo hæc thura Arabiæ, quisquis ea in theſauris ſuis habet. Ne vero oſtentet theſauros ſuos legatis Regis Babylonis, ne audiendum ipſi ſit: Aſportabuntur Babylonem.

VII.
S. C. T. H.
ANIMADVERSIO
PHYSICO-THEOLOGICA
in
Eruditam illam incerti Authoris Epiſtolam,

De Reſurrectione mortuorum, & Statu corporum glorioſorum;

quæ extat

TEMPE HELVET. TOM. I. Sect. III. p. 411.

DOgmatibus momentoſis majorem affundentes lucem iisque vindicandis incumbentes omnem mereri laudem, nemo ſibi conſtans negabit, præcipue ſi iidem caveant, dogmata illa dubiis hypotheſibus aut ratiunculæ decempedæ ſubjiciant, eo quod Deus, cum infinitus ſit, multa quin imo innumera facere poſſit, quæ rationem ſuperant captumque excedunt. Quam autem huic cautelæ ſit amica veritas, clamant probantque triſtes eventus, quos ejus neglectus producit, quique Eruditos nonnunquam acerbiſſime vexant.

Id autem maxime obſervandum eſſe in Dogmate illo graviſſimo de *RESURRECTIONE Mortuorum*, jam *ATHENAGORAS* novit, quippe qui περι αναςασεως των νεκρων ab initio latine ita loquitur: *Omnibus Dogmatibus & propoſitionibus, quæ ab harum rerum veritate pendent & fulciuntur, facile aliquid falſi adnaſcitur & cohæreſcit;*

reſcit; adnaſcitur autem non ex principiis & naturali ductu rerum, ſed ex ſtudio eorum, qui adulterinam ſementem ad corrumpendam veritatem in pretio & veneratione habent. Neceſſarium ergo eſt, ut hæc cautela hic adhibeatur, eo quod ab hoc Dogmate pendet ſpes, fides, & ſalus; ſi enim nulla expectanda eſſet Reſurrectio, dulciſſima deſtituerem ſpe communionis cum Ente ſumme perfecto.

Reſurrectionis autem certitudo eodem ſtat talo, quo Sacræ Scripturæ Divinitas, ſtante enim hac, ſtat & ea, ſimul & cum cadente cadit; cum autem hæc jam dudum vindicata & ad impia Atheorum objectamenta reſponſum ſit, de illa nemini eſt cur dubitet, quippe quæ expreſſis verbis in S. Scr. promittitur, & cui aſſerendæ Apoſt. PAULUS integrum caput impendit, quod eſt 1. ad Cor. XV.

Interim tamen, cum viæ Dei ſint inperſcrutabiles, & hic ſunt difficultates, quibus hucusque nemo ſatisfecit; non tamen ſequitur, ergo nulla erit Reſurrectio, nam Deus ſibi multa reſervavit in cœlo demum revelanda & noſcenda, major etiam eſt vis Dei infinite potens intellectu noſtro arctis limitibus clauſo. Conſentientem hic habeo AUGUSTINUM: *Quomodo autem*, inquit, *ſit futurum, quod pro noſtra nunc ratiunculæ viribus utcunque conjicimus, tunc potius erit ut noſſe poſſimus. Reſurrectionem quippe mortuorum futuram eſſe in carne, quando Chriſtus venturus eſt judicare vivos & mortuos, opportet, ſi Chriſtiani eſſe volumus, ut credamus. Sed non ideo de hac re inanis eſt fides noſtra, ſi, quemadmodum futura ſit, perfecte comprehendere non valemus.* de Civitate Dei. Lib. XX. c. 20.

Tentaverunt tamen & Vett. & Recentiores ingenii vires, in detegendo Reſurrectionis modo; excogitaverunt multa, nonnulli egregia & ingenioſa, alii e contra blanda vigilantium ſomnia, ut ex. gr. VOETIUS, Philoſ. Reformata, pag. 192. e *Plinii lib. 7. c. 16.* affert (etſi in eo exemplari quod evolvi invenire

re non contigit;) Antiquos fingentes, in hominibus mortuis etiam poſt mortem remanere particulas quas incorruptibiles, e quibus velut è ſeminibus in cavitate dentium conſervatis reſurgerent. Tale quoque eſt illud Rabbinorum os, quod unius cujusque collo affingunt.

Inter hæc præ cæteris elucent *ficta* illa *Stamina*, ut ea vocare placuit Cel. *BERNOULLIO, Temp, T. I. p. 120.* Stamina inquam ſola olim reſuſcitanda; quam partim ſententiam poſt alios fovet Cl. NIEWENTYDT in libro cui titulus: *l'Exiſtence de Dieu, &c. c. antepen.* Ejusdem hypotheſeos veſtigia jam apud ATHENAGORAM invenire licet, quippe qui περι της αναςασεως τῶν νεκρων mentem ſuam ita declarat: Μονα δε παραμενειν τοῖς μερεσιν α συνδειν η ςεγειν η θαλπειν πεφυκεν, τον υπο τῆς φυσεως εξειλεγμενον καὶ τυτοις προσπεφυκυιαν, οις την κατα φυσιν συνεξεπλησε ζωὴν, καὶ τυς ἐν τη ζωη πονυς. *Ita ut ſola ea remaneat caro, quæ colligandi, condenſandi & fovendi vim habet; nimirum quæ electa ſit à natura, iisque cibis affinis eſt, quibus ſecundum naturam vitam coadimplet, vitaque labores ſuſtinet.* Hic ſi Athenagoras non intelligit id, quod recentiores *Stamen* vocant, ingenue fateor me neſcire, quid verba, quæ appoſui, ſibi velint; Siquidem cum Staminibus, quæ Anonymus noſter Author deſcripſit, tam egregie conveniunt, ut nulla gutta ſimilior guttæ. Sic enim *Tempe, pag. 413.* loquitur: *Ut autem mentem meam melius adhuc explicem & confirmem, dicendum, me per Stamina intelligere initia &, ut ita dicam, Semina corporis mei, à Summo Creatore ita ordinata ut ſecundum illorum regulas & delineationem corpus meum eam habeat formam, naturam, ſtructuram & exiſtentiam, per quam homo ſum.* Quis quæſo tam luſcus, ut egregiam deprehendere nequeat convenientiam? Nam prout Athenagoræ caro plus aut minus colligat & condenſat, gracilis eſt aut macer, Coloſſus aut Pygmæus: Annon de Staminibus ſuis eadem jactat nuperus Author?

thor? Iterum æque Athenagoræ fovente deſtituto carne ac Authori noſtro ſtaminibus carenti pereundum eſt, quia tollitur cauſa ſine qua non. Sententia itaque de ſolis ſtaminibus reſuſcitandis nil eſt niſi crambe recocta, alio ornata nomine, ſique vel minimam ſoliditatis ſpeciem haberet, ſane per tot Secula, quæ ab Athenagora usque nunc effluxerunt, plures inveniſſet fautores.

De hac denique ſententia prædicat jactatque nuperus Author, eam omnes adverſariorum ſtrophas & difficultates tollere, & explicandis S. S. locis plurimum inſervire, cum tamen nec ipſa difficultatibus careat, ſed è contra ejusdem gravitatis oneri ſubjaceat, ac ſententia Stamina negans. Quod onus Staminum fautoribus, ſententiæ ſuæ pondus & utilitatem probaturis, removendum incumbit.

Difficultas autem, quæ hæc meditanti prima occurrit, hæc eſt: Omne corporeum infantis ſive embryonis debetur ſemini paterno & nutrimentis à matre ſuppeditatis; Stamina autem & juxta Athenagoram & Eruditum nuperum Authorem jam ſunt in Embryone; oritur ergo Quæſtio, an ea ſtamina in Parentum corporibus generentur, aut, an jam in iis contineantur, adeo ut hominum noviſſimorum jam in Protoplaſtorum ſtaminibus fuerint contenta. Alterutrum hic eligendum eſt & vindicandum, quia non datur tertium, ad quod referri poſſint. Si autem eligatur prius, ſtamina nempe in Parentibus generari, nulla ratio ſubeſt, cur non idem fatum ſubeant cum reliquo corpore, & cum eodem computreſcant, nec ulla ratio dari poteſt, cur aliæ corporis particulæ à divina Omnipotentia non æque reſuſcitentur ac illa ſtamina, quæ nulla incorruptibilitatis prærogativa gaudent; Nam omnis generatio accrementum & particulas acceſſorias requirit, & ita corruptibilitatem involvit; ſi autem corruptibilitati ſubſunt, ut reliquæ cor-

corporis particulæ, quæ quæſo ratio Omnipotentem moveret, ut ea ſtamina (poſita, non conceſſa) præ reliquis corporis particulis reſuſcitet, præcipue ſi cum reliquo corpore computreſcant, quod tamen negari nequit, cum ejusdem cum eo eſſent compoſitionis, ſi unquam darentur.

Si autem aſſumatur poſterius, quod ſcil. jam in Parentum corporibus ſint contenta, recurrendum eſt ad Adamum, ita ut noſtra ſtamina jam fuerint in ejus ſtaminibus; unde ſequitur, noſtra in eis infinite parva fuiſſe, & Adamum, etſi nil niſi ſtamina pro corporis particulis habuiſſet, tamen ad inſtar Famæ apud Virgilium, caput inter nubila condidiſſe. At poſito, ea infinite parva fuiſſe, dicendum eſt, ea ſenſim ad maturitatem ſuccreviſſe, cui rei fomentis opus eſt, explicandis abs Hypotheſeos fautoribus. Eadem parviſſima in futuri hominis primordiis & ad juſtam ſtaturam ſuccreſcentia alimento opus habent, ſive eadem ad fluidas ſive ſolidas corporis partes referas, particulas particulis addi neceſſe eſt, quod probare velle eſſet Lectori diffidere. Hinc ſequitur, nulla eadem incorruptibilitatis prærogativa gaudere, quod tamen ſuſtinere videtur Cl. NIEWENTYDT. Nec Doctrinæ de Reſurrectione mortuorum aliquid lucratur, ſiquidem eædem ſemper recurrunt difficultates, quia quod accrementum habet, & decrementum patiatur neceſſe eſt, ſicque idem numero manere nequit; unde eadem oritur quæſtio, quæ movetur contra opinionem vulgo receptam.

Nec difficultatem eorum corruptibilitatem ſpectantem tolles, dicendo: divinam omnipotentiam illis ſuccurrere, ne corrumpantur; tutius enim dixeris, eandem reſuſcitaturam corpora noſtra, etſi rei modum, cum infinitæ ſit virtutis, explicare nequeas: Quia hoc modo evitares periculum, Deum injuriæ accuſandi. Quos enim damnat, propter eorum pec-

cata damnat, & quos glorificat, propter imputatam Chriſti juſtitiam glorificat; Atqui non ſola Stamina peccarunt, non ſolis Staminibus imputatur juſtitia Chriſti, ſed integro & toti homini, quatenus conſiſtit ex anima & corpore.

Tutiſſimum in hiſce rebus, Scripturam agnoſcere Judicem, quia opiniones fictæ, vel non demonſtratæ, nihil ſolidius probabunt quam revelatio divina, Scripturarumque conſenſus, fundatus in exſuperante intellectum noſtrum omnipotentia divina; & hinc eſt, quod hypotheſi illa uti noluerit Cel. BERNOULLIUS.

Quod ſi obſervaſſet Eruditus recentioris Epiſtolæ Author, ſane non aſſeruiſſet, Stamina tantum, nec aliud quicquam de corpore reſuſcitatum iri, cum tamen aliud ſibi velint loca ἐμφατικώτατα; qualia ex.gr. Job.XIX.25.ſq. *Novi quod Vindex meus vivat, & poſtremus ſuper pulverem ſtabit, & poſtquam cutis meæ deſtrinxerint* זאת *HOC, etiam ex carne mea videbo Deum. Quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, & non alius.* Ad quem locum HEIDEGGERUS ſequentia annotat: Non opus erit, ut ſtet Chriſtus ſuper pulverem, ſi corpus in pulvere latens non reſuſcitabit: & videbit Goëlem ſuum non Jobi oculus, ſed pro ipſo alius, nec ex carne ſua videbit Deum.

2. Cor. IV: 10. 11. *Vita Chriſti in corpore noſtro, in mortali carne noſtra, manifeſtari debet.* Quid quæſo clarius? expreſſe dicit Apoſt. *in mortali carne noſtra*, non in incorruptibilibus Staminibus. *Non enim perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, ſed in quemlibet pulverem cineremve ſolvatur, in quoslibet halitus auraſve diffugiat, in quamcumque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcunque animalium, etiam hominum, cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, ut homo fieret,*

ret, creſceret, viveret, animavit. AUGUST. Ench. c. LXXXVIII.

Rom. VIII: 11. *Si autem Spiritus excitantis Jeſum ex mortuis habitat in vobis, ſuſcitans Chriſtum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ejus Spiritum in vobis.* Hic non dicitur reſuſcitabit incorruptibilia veſtra ſtamina, ſed *mortalia veſtra corpora.*

1. Corinth. XV: 53. 54. *Opportet* το φθαρτον τυτο *CORRUPTIBILE HOC induere incorruptionem.* Vate opus eſſe non duco, qui contradictionem oſtendat inter huncce locum & ſententiam à ſtaminum partibus ſtante, nec qui decidat: Utrum cedere debeat Scriptura an ſtamina? Cadant ergo ſtamina; ni forte quis velit extenuare emphaſin talium locorum, quod tamen eſt contra regulas bonæ interpretationis, &, pace Authoris, in Socinianis ceu domeſtica labes notatur.

Phil. III: 21. Corpora fidelium reſurgent *ad inſtar Corporis Chriſti;* Atqui non ſola reſurrexerunt ſtamina, ſed ipſum Corpus, palpavit enim Thomas clavorum vibices. Joh. 20: 27.

Æquitatis Divinæ eſt, illud reſuſcitare corpus, quod ejus præceptis obedivit &c. atqui id non ſola fecere ſtamina, ſed & reliquæ corporis particulæ, ergo & reliquæ corporis particulæ ſunt reſuſcitandæ.

Ultimum, quod brevitati ſtudens appono, hoc eſt: Spiritus Sancti eſt, prius ſuum templum reædificare; At an ſola inhabitavit ſtamina? Abſit.

Interim tamen *non* reſurget *omne* illud corpus, ſive omnes ejusdem particulæ, quas habuit à primo ad ultimum quem traxit Spiritum, ſed Corpus quod aliquando habuimus; quamvis particulas præciſe indicare nequeamus, id enim Deum ſimul cum clave ſepulchri ſibi ſoli reſervaſſe credo.

Reſurget *idem* noſtrum corpus, ſed glorificatum; quam glorificationem explicat Ap. 1. Cor. XV: 43.44. *Seminatur in corruptione, excitatur in incorruptione; ſeminatur in vilitate, excitatur in gloria; ſeminatur in infirmitate, excitatur in potentia; ſeminatur corpus animale, excitatur ſpirituale.* Quæ omnia in immenſum deduci poſſent; at ne actum agam, Lectorem liceat amandare ad *HEIDEGGERI Corpus*, ubi glorificationis hujus inveniet explicationem; ex qua omnia ea fluunt, quæ Epiſtolæ Author ceu ſententiæ ſuæ in explicandis locis priva commoda jactat.

Nec Authorem juvat locus 1. Cor. XV: 35. &c. ſed potius ejus ſententiam evertit. *Deus enim unicuique ſemini proprium corpus dat;* Granum ſeminatum fructum fert juxta ſpeciem ſuam, iisdem paleis, tunicis, Kruſch und Mehl-Theilgen, adeoque eundem fructum fert, non tantum cum iisdem ſtaminibus, ſed & cæteris particulis, ita & corpus non tantum cum iisdem ſtaminibus, ſed & reliquis particulis reſurget; nec etiam nimis premenda eſt hæc ſimilitudo, alias multa ſequerentur incongrua.

Item, an TERTULLIANI ſenſus idem fuerit cum eo, quo Author noſter ejus verba ſumit, dubito. Tertullianus ſibi propoſuerat reſpondere ad accuſationes Gentilium, qui Chriſtianos infanticidii reos agebant; At illos nullo modo magis falſitatis redargui poſſe credebat, quam ſi diceret, Chriſtianos corruptionem Embryonis non minus credere peccatum, quam cædem adulti. At probare, de ſtaminibus aut ſenſu Authoris noſtri illi fuiſſe mentem, opus erit & labore. Fortaſſe reſpexit ad illud Geneſ. XXXVIII: 9.

Interim hæc de ſtaminibus ſententia, quam fovet Author, tantum abeſt ab *Anabaptiſmo & Socinianiſmo*, quantum verum eſt, ineſſe humanis corporibus ſtamina, quæ tamen à multis non probantur; ab aliis vero

vero inter hypotheſes recenſentur. Statim ac quis dicit corpora noſtra non *eadem numero* reſurrectura eſſe, favet & his & illis; quomodo, vide *SHLICHTINGIUM*, *contrà Meiſnerum de Trinitate*, *pag. 92.* *EQUITEM POLONUM*, *in Apolog. p. 18.* Sic enim eos citat *HORNBEKIUS* in *Socin. confutato. Tom. III. L. V. c. 2.* Videri poſſunt *ACTA Colloquii*, quod *cum Anabapt.* juſſu Electoris Friderici habitum fuit *Frankenthalii* in Palatinatu à 28. Maji, ad 19. Junii, 1571. quæ omnia, quo minus proferantur, præſcripta brevitas obſtat.

Quod & alia hinc ſequentia providens Eruditus Epiſtolæ Author nomen ſuum reticuit, quod & ego facio, non quidem cauſæ meæ timens, ſed aliis iisque gravibus motus cauſis. Abſit tamen, ut eam Authori ſcribamus dicam; potius pruritum, inconſideratum paulo, nova producendi, manus obſtetrices huic opinioni præbuiſſe cenſeo, qui Orthodoxos cæteroquin, ſæpius in transverſum rapere nititur. Tutiſſimum ergo eſt, in tam momentoſis non ſapere, præter id quod ſcriptum eſt, & tot Sæculorum ætates tulit.

VIII.

JOH. GEORGII ALTMANNI DISQUISITIO PHILOLOGICO-CRITICA,

In 1. Cor. XI. verſ. 10.

De

Muliere Poteſtatem habente ſub Marito Capite.

Δια τȣτο ὀφειλει ἡ γυνη ἐξȣσιαν ἐχειν ἐπι της κεφαλης, δια τȣς ἀγγελȣς.

. *ARGUMENTUM.*

§. I. Difficultas loci exponendi oſtenditur, atque ſcopus totius diſquiſitionis exhibetur. §. II. Principia, quibus tota explicatio innititur, proponuntur duo. §. III. Primum principium exponitur atque ſtabilitur. §. IV. Alterum principium exhibetur, atque in illo nexus verborum & ſcopus Apoſtoli inveſtigatur. §. V. Nexus ulterius declaratur, & ad præſens inſtitutum applicatur. §. VI. Quare Apoſtolus *mulieris poteſtatem* tanquam officium exponat, docetur. §. VII. Quid per *caput* intelligendum ſit, ex nexu verborum exhibetur, atque non caput mulieris, ſed *maritum*, qui eſt caput uxoris, per κεφαλην intelligendum eſſe, aſſeritur; & demonſtratur, quod præpoſito

tio ἐπὶ in hoc loco non *in*, ſed *ſub* ſignificet, atque hæc interpretatio variis teſtimoniis probatur. §. VIII. Rationes producuntur, quare Apoſtolus prolixioribus verbis naturalem relationem conjugalem mariti in uxorem, & uxoris in maritum apud Corinthios expoſuerit. §. IX. Modum & regulam, quibus terminis conſtare debeat mulieris ſub capite ſuo marito poteſtas, Apoſtolum deinceps docere oſtenditur; atque ideo per *angelos* Evangelii miniſtros, hanc poteſtatem deſcribentes & limitantes, intelligendos eſſe, oſtenditur. §. X. Contrariæ ſententiæ brevibus rejiciuntur, atque per *angelos* miniſtros intelligendos eſſe, ex variis Novi Teſtamenti locis concluditur. §. XI. Ἄγγελον apud Græcos ſæpiſſime & interpretem & legatum ſignificare, ulterius probatur. §. XII. Ex analogia linguæ Græcæ profertur ratio haud una, quod διὰ ſignificet *per*, non autem *propter*. §. XIII. Ex his omnibus pro nova interpretatione fit concluſio, atque Diſſertationi finis imponitur.

§. I.

INter difficiliora Epiſtolarum Pauli loca, quæ hactenus ab interpretibus priſcis & modernis parum explanata videntur, merito recenſendus locus Apoſtoli, cujus explicationem ſuſcipimus. Cum enim data opera ex variis eruditorum in N. Teſtamentum commentariis & diſſertationibus in hunc locum ſcriptis certior fieri deſideraſſem, quis tandem in hoc loco Doctoris Gentium ſcopus & mens eſſet, pace

Virorum Doctorum dixerim, lectis omnibus in hanc rem ſententiis cum earundem probationibus, incertior eram quam dudum. Valde autem mirabar, Viros & fama & eruditione claros explicationem hujus loci tam longe quæſiviſſe, quæ mihi tanta indagine, tanta ex omni antiquitate coacervata collatione & ſcrutinio neutiquam opus habere videbatur. Nolo autem in hac Diſſertatione aliorum, ut multis mos eſt, adferre ſententias & opiniones, hoc enim eſſet actum agere, qui enim Doctorum in hanc rem ſcripta & conatus inſpicere deſiderat, illum remitto ad Doctiſſ. *d'Outreinii* in h. l. Diſquiſitionem, quam *Bibliotheca Bremenſi* inſertam habemus *Tom. II. p. 85.* ad Rev. *Zeltneri* Diſputationem Exegeticam *de Munimento Capitis Fœminei contra Angelos*, quam Theſauro ſuo inſeruerunt Viri Clariſſimi *Haſæus & Ikenius*, *Tom. II. p. 820.* & tandem ad Cl. & Rev. *Wolfii Curas Philolog. & Critic.* in eundem hunc locum, ita enim Vir Doctiſſ. omnes & diverſas ſententias percenſet, ut lectori facile ſit judicare, quænam ex iis calculum ferre debeat. Hæc ergo diſquiſitio in id tantum eſt inſtituta, ut poſthabitis omnibus aliorum interpretationibus, meam exponam & probem ſententiam; quod ſi factum fuerit, novam hanc explanationem judicio Candidi Lectoris ſecurus committere potero.

§. II.

Ut autem ſtatim Lectori pateat, quam plana & ſimplici via eum ad intelligendum hunc locum Paulinum deducere velim, duo tantum in anteceſſum deſidero, quæ mihi haud dubie nemo, qui ſanus eſt, denegabit. Primo quidem mihi concedi velim, ſcopum Apoſtoli Pauli, ut in omnibus ſuis divinis ſcriptis, ita etiam in hoc fuiſſe, ita ſcribere ad Corinthios, ut ab omnibus ejus Epiſtolam legentibus poſſet intelligi; quam æquum hoc ſit petitum, nemo eſt qui non videat. Secundo autem deſidero, ut lector mihi concedat, quod

quod omnia ea, quæ Apoſtolus Paulus in hoc cap. XI. inde à verſu 8. uſque ad decimum tertium ad Corinthios ſcripſit, agant de relatione, quæ eſt inter maritum & uxorem, & vice verſa inter uxorem & maritum. Hæc duo ſi plana erunt & conceſſa, reliqua facili expediri poſſunt negotio; tales enim me allaturum confido ad explicationis novæ probationem rationes, ut nullus dehinc vel obſcuritati vel dubitationi locus poſſit eſſe relictus.

§. III.

Ad primum ergo quod attinet, ideo illud poſtulari, monendus eſt Lector, quia plurimi interpretes ad neſcio quas vel alluſiones vel cærimonias & ritus Judæorum confugiunt, in quibus aliquam explicationem vocis ἐξουσίας quærunt. Cum autem Apoſtolus ſcripſerit ad Corinthios, quorum mores, leges, conſuetudines, lingua, &c. ipſi optime innotuerunt, facile concipiendum eſt, divinum Doctorem verbis uſum fuiſſe planiſſimis & ſimpliciſſimis, quæ homines noviſſime ex Gentiliſmo prodeuntes, linguæ Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ &c. ignari, intelligerent. Quis enim ſana mente à Deo donatus concipere poteſt, Paulum, divinæ ſapientiæ & ſimplicitatis virum, Epiſtolis ſuis ad Gentes ſcriptis, alluſiones ad ritus & Judæis inter Græcos commorantibus, & Gentibus plane incognitos, loquendi formulas non niſi ex penetralibus linguarum Orientalium intelligendas, inſpergere voluiſſe? Aut quorſum profutura fuiſſet Apoſtoli oratio, ſenſum ita reconditum continens, quem e tenebris idololatriæ Græcorum & Romanorum noviſſime caput extollentes, nunquam eruere & invenire potuiſſent? Facile etiam quilibet notabit, quod Apoſtolus Paulus in Epiſtolis ſuis, ad Hebræos ſcriptam ſi exceperis, de aliqua parte cultus Levitici mentionem faciens, id non tecte & involute, ſed clariſſimis & expreſſiſſimis verbis faciat; & quæ teſte Petro Apoſtolo δυσνοητα occurrunt in ejus

 ſcriptis,

ſcriptis, 2. Pet. 3: 16. haud dubie non de verbis reconditum ſenſum aut alluſionem aliquam includentibus, ſed de rebus, homini in Evangelica veritate non ad omnem hactenus amuſſim inſtituto & inſtructo, intellectu difficilibus intelligenda ſunt; licet enim tradendi modus ſit clarus & facilis, nihilominus tamen res traditæ ob doctrinæ ſublimitatem intellectu ſæpe ſunt difficiles. Ex his ergo audacter concludimus, Apoſtolum ad Corinthios ſcribentem, pure græce ſcribere voluiſſe, ne ullus Corinthiorum eſſet, qui non omnia dicta Pauli plana, & ad genium linguæ Græcæ ſcripta, agnoſceret.

§. IV.

Ad alterum jam poſtulatum accedimus, cum primum tale ſit, ut longa probatione neutiquam opus habere videatur. Rogamus ergo bonum Lectorem, ut lecto hoc capite integro XI. prioris Epiſtolæ ad Corinthios, nobis benigne velit largiri, ſcopum Apoſtoli eſſe inde à verſu octavo uſque ad duodecimum, relationem conjugalem oſtendere inter maritum & uxorem, & uxoris etiam erga maritum. Hoc autem jam agit Paulus mox ab initio capitis, harmonicum illum ordinem in Eccleſia & domo Dei exhibens, dicit enim, Deum eſſe caput Chriſti, Chriſtum eſſe caput mariti, maritum eſſe caput mulieris. Hanc autem generalem regulam Apoſtolicam ſpecialius probare incipit verſu 8. rationem exhibens, quare maritus ſit caput mulieris, indeque in tota pericopa, inde à verſu 8. uſque ad 12. incl. declarat & exponit conditionem mariti & uxoris, & mutuam inter ſe relationem; itaque poteſtatem mariti deducit ab Evæ ex Adami coſta productione, his verbis, *nam maritus non eſt ex muliere, ſed mulier à marito, neque conditus eſt vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.* Quis ergo negarit, ſcopum Apoſtoli in his eſſe, ordinem, relationem & ſubordinationem conjugalem exponere? His jam præmiſſis & poſitis,

ſitis, pergit Apoſtolus, & ne mariti ſua poteſtate eminenti & luculentis rationibus demonſtrata in mulieres ſuas abuterentur, ſapientiſſime in hoc, quem præ manibus habemus, verſu, mariti jus & poteſtatem certis & convenientibus terminis & limitibus circumſcribit, & inde uxoris jus in maritum in relatione œconomica exponit, ne quiſquam ex præcedentibus dictis inepte concluderet, mariti dominium in uxorem eſſe abſolutum & illimitatum, hinc ait: *propterea debet mulier poteſtatem habere ſub capite*, hoc eſt, ſub marito, quem in verſu tertio jam caput mulieris vocaverat. Ut autem & marito & uxori conſtaret, omnia hæc non pro eorum arbitrio gerenda, addit, quomodo uxor & maritus hanc ſuam poteſtatem & ſubordinationem poſſint cognoſcere, cum vult illud fieri per *Angelos*, hoc eſt, ſecundum præſcriptum legatorum Dei qui à Deo in Eccleſiam ad docendum ſunt miſſi, & qui ideo etiam ſæpius Angeli dicuntur, ut poſtea videbimus. Ne autem quis putet, me verborum nexum inſtituere, qui non in omnibus ſcopo Pauli poſſit convenire, dicendum Virum doctiſſimum, *Johan. Henric. Majum, fil. in Obſervat. Sacr. Lib. I. p. m. 41.* licet in reliqua explicatione hujus vexati loci in diverſam à nobis abeat ſententiam, eundem tamen nexum inſtituiſſe, cujus ergo verba ob claritatem adſcribenda: *In commate 5. & 6. velandum eſſe orantis fœminæ caput, præceperat Apoſtolus, neque adeo moleſta repetitione opus; Inde vero à verſu ſeptimo, dignitatem viri præ muliere, uſque ad 13. ex occaſione enarrat, dicens. maritum eſſe caput uxoris, verſu 7. hanc ex illo conditam, verſu 8. nec virum propter uxorem, ſed hanc propter illum creatam, verſ. 9. cui argumento confeſtim ſubjungit concluſionem διὰ τοῦτο; Hic eſt nexus evidentiſſimus, quem qui non agnoſcunt, divino Scriptori contradicunt*; Pergit vero Apoſtolus in eodem ſermone verſu ſequenti 11. & 12. dicens, *attamen neque vir abſque muliere, neque mulier abſque viro eſt in Domino, ſicut enim mulier ex viro eſt, ita & vir per mulierem.* Ex his jam conſequitur, quod totus ſermo Pauli inde à com-

à commate 8. uſque ad 12. incluſive, nihil aliud contineat, quam utriusque ſexus mutua officia & relationes conjugales, ideo etiam in eodem pergit ſermone Paulus verſu 11. dicens, *πλην ὐτε ἀνηρ χωρις γυναικος, ὐτε γυνη χωρις ἀνδρος ἐν κυριω*, *itaque* (& in h. l. vocula *πλην* omnino per itaque vertenda, eodem etiam venit ſenſu Luc. 10:14. & Luc. 6: 35.) *neque maritus ſine muliere, neque mulier ſine marito in Domino.* Nec adhuc Apoſtolus eundem hunc ſermonem abrumpit verſu 12. in quo iterum oſtendit, quare mulier in relatione matrimoniali ſuum etiam dignum occupare debeat locum & ordinem, ideo inquit, *quia jam poſt creationem vir etiam ſit ex muliere*, quemadmodum prima mulier fuerat ex marito. Quilibet ergo ex his facile concludere poterit, convenientius eſſe dicere, Apoſtolum eodem nexu & ſerie in verſu 10. ſermonem ſuum ulterius produxiſſe, quam ſi dicamus, illum verſu octavo & nono Corinthios ſubordinationem & relationem conjugalem docuiſſe, ſed ad alia eum tranſiiſſe verſu decimo, undecimo vero ad prius caput illum rediiſſe. Hoc autem ſecundum poſtulatum ita per evidentem nexum me obtinuiſſe ab æquo lectore confido, ut ulteriori demonſtratione opus non habeam.

§. V.

Diximus modo in recenſione nexus verborum Pauli, verſum decimum, in quem hæc Exercitatio ſcripta eſt, nihil aliud continere, quam ſeriem & continuationem eorum, quæ dicere de reciproco mariti & uxoris officio Apoſtolus inſtituerat, ideo etiam in ipſo hoc verſu utitur conjunctione copulativa & conjunctiva, *δια τυτο ὀφειλει ἡ γυνη ἐξυσιαν ἐχειν ἐπι της κεφαλης*, hoc eſt, quia vir non factus propter mulierem, ſed mulier propter virum, ideo, inquit, mulier aliam poteſtatem habere non debet, quam illam, quæ eſt ſub marito, quia is eſt caput; talem autem mulier poteſtatem habet ſub hoc ſuo capite, qualem Angeli, h. e. Evangelii

præ-

præcones & voluntatis Dei interpretes & legati mulieri datam & conceſſam eſſe declarabunt, ne forſan putet mariti dictamen & voluntatem nimis duram & acerbam, & ne maritus è contra conceſſa ſibi in uxorem ſuam auctoritate & imperio abutatur. Hic jam ſenſus, quantum video planus & apertus eſt, nec verba vim aut longe petitam ſignificationem hoc modo requirunt, & hac etiam ratione Salvator noſter orationem ſuam concludit Matth. 12: 31. Δια τυτο λεγω ὑμιν. &c.

§. VI.

Nexum declaravimus, ad ipſa jam Apoſtoli verba progrediendum eſt. Poſſit mihi aliquis in limine ipſo objicere, ſi mulier etiam aliquam poteſtatem habet, quare Paulus hanc mulieri conceſſam poteſtatem tanquam debitum aliquod & ſubordinatum officium proponit in voce ὀφειλει, *debet?* ſed perfacilis eſt ad hanc objectionem reſponſio; Cum mulier non à ſe aliquam habeat in conjugali ſocietate poteſtatem, ſed illa ſit ſubordinata, ita ut propria poteſtate & auctoritate agere non poſſit, cum ſit ſub marito, à quo dependet, Apoſtolus haud dubie ſapientiſſime illam exponit & demonſtrat ſub nomine officii, ideoque dicit ὀφειλει, hoc enim verbum ſemper habet ſignificationem relativam, vel debitoris erga creditorem, vel inferioris erga ſuperiorem; atque probe obſervandum, hoc verbo in eadem hac epiſtola jam eodem ſenſu uſum fuiſſe Apoſtolum, Cap 7: 3. Τη γυναικι ὁ ἀνηρ την ὀφειλομενην ἐυνοιαν ἀποδιδοτω, ὁμοιως δε καὶ ἡ γυνη τω ἀνδρι. Ἡ γυνη τυ ἰδιυ σωματος ὐκ ἐξυσιαζει, ἀλλ ὁ ἀνηρ, ὁμοιως δε καὶ ὁ ἀνηρ τυ ἰδιυ σωματος ὐκ ἐξυσιαζει, ἀλλ ἡ γυνη. *Uxori vir debitam benevolentiam reddat, ſimiliter autem & uxor viro; uxor proprii corporis jus non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir proprii corporis jus non habet, ſed uxor.* In eadem etiam ſignificatione hoc verbum occurrit Rom. 15: 1. Ὀφειλομεν δε ἡμεις οἱ δυνατοι τα ἀσθενηματα των ἀδυνατων βαςαζειν;

Debe-

Debemus nos qui fortiores ſumus infirmitates infirmorum portare. Ex his ergo colligimus, quam apta ſit noſtra verbi ὀφειλω interpretatio, ad illum ſenſum Apoſtoli exprimendum, quem in hoc loco latere contendimus.

§. VII.

Sed alius jam dicendorum naſcitur ordo, cum ad difficiliorem & controverſam hujus loci Apoſtolici partem devenerimus; verba Apoſtoli ita ſe habent: Δια τȣτο ὀφειλει ἡ γυνη ἐξȣσιαν ἐχειν ἐπι της κεφαλης. *Propterea debet mulier poteſtatem habere ſub capite.* Per caput hoc maritum intelligendum eſſe ſine difficultate colligimus, cum Paulus verſu 3. jam dixerit: Θελω δε ὑμας ειδεναι, ὁτι παντος ἀνδρος ἡ κεφαλη ὁ Χριςος ἐςι, κεφαλη δε γυναικος ὁ ἀνηρ: *Volo autem vos noſſe, quod omnis viri caput ſit Chriſtus, caput autem mulieris maritus;* cum ergo Apoſtolus jam declaraverit, quod maritus ſit caput mulieris, nihil impedit, quin dicamus, in hoc verſu per caput etiam maritum eſſe intelligendum, ac propterea hæc mea ſententia ulteriori probatione non opus habere videtur; ſola ergo in hoc loco remanet quæſtio, an ἐπι της κεφαλης ex genio & natura linguæ Græcæ ſignificare poſſit, *ſub capite* h. e. *marito*, cum omnes hactenus interpretes maluerint hæc verba interpretari *in capite.* Res vero tota confecta mihi videtur, ſi ex variis Novi Teſtamenti, & probatiſſimorum Auctorum Græcorum auctoritatibus & teſtimoniis poſſim probare, præpoſitionem ἐπι ſæpiſſime ſignificare *ſub*; ita Luc. 4: 27. Και πολλοι λεπροι ἠσαν ἐπι Ἐλισαιȣ τȣ Προφητȣ ἐν τῳ Ισραηλ, *& multi leproſi erant ſub Eliſæo Propheta in Iſrael.* Ita etiam 1. Cor. 6: 1. Τολμα τις ὑμων, πραγμα ἐχων προς τον ἑτερον κρινεσθαι ἐπι των ἀδικων, και ȣχι ἐπι των ἁγιων, *ſuſtinet aliquis veſtrum, negotium habens adverſus alterum, judicio experiri ſub injuſtis, & non ſub ſanctis,* & Actor. 25: 10. Ἐιπε δε Παυλος, ἐπι τȣ βηματος Καισαρος ἑςως ειμι, *dixit Paulus, ſub tribunali Cæſaris ſto.* Ne quis putet, melius particulam ἐπι hic verti per *coram*, nam

nam & Latinorum probatiſſimorum hæc eſt dictio, *ſub Cæſaris tribunali ſtare*, cum Cæſaris tribunal in loco eminentiori eſſet conſtitutum, ex quo jus dicebat, & ſub quo negotia & cauſam ſuſtinentes ſtabant; hinc *Perſius Sat. V. 8.*

- - - *Marco ſub judice palles.*

Martial. Epigr. Lib. XI. 2.

Et licet, & ſub te præſide Nerva licet.

Valerius Max. Lib. IV. cap. 6. ſub magno judice damnatus eſt. Plura exempla videnda in *Sanctii Minerva cum not. Perizonii Lib. IV. p. m. 670.* Hanc ſignificationem præpoſitioni ἐπὶ etiam tribuit *Hombergkius in Parerg. Sacr. p. m. 342.* his verbis, *ἐπι cum Genitivo ſignificat ſub, ut denotet tempus vitæ alicujus, ſub quo quid fit*; ſimilia etiam habet *Eraſmus Schmidius* in notis ad 1. Cor. 6: 1. Apud Scriptores profanos loca occurrunt fere innumera. *Arrianus Lib. IV, cap. 7.* rogat, quid facit *tyrannum formidabilem? ſtipatores inquit, & gladii*, καὶ οἱ ἐπι τȣ κοιτονος καὶ οἱ ἀποκλειοντες τȣς εἰσιοντας, *qui præfecti ſunt cubiculo, & qui ingredientes arcent. Diog. Laert. in Zenone Lib. VII. cap. 5.* Ἐπι γαρ των τριακοντα, των πολιτων προς τȣς χιλιȣς τετρακοσιȣς ἀνῃρηντο ἐν ἀυτω, *ſub regimine triginta tyrannorum, qui Rempublicam habebant, mille & quadringenti cives necati ſunt.* Plura alia exempla nolo adferre, qui plura petit, adeat Rev. *Raphelii annot. ad N. Teſt. ex Polyb. pag. 339.*

§. VIII.

Si jam Græcarum urbium effrenem etiam in conjugio licentiam & corruptiſſimos mores reſpiciamus, facile videbimus, quam neceſſarium fuerit, Apoſtolum Paulum officia conjugalia docere & præſcribere; nulla enim in re, quæ lege naturali facile intelligi potuiſſet, apud Græcos peccabatur magis, quam in exceſſu auctoritatis virorum in mulieres, & ſæpius in defectu obſervantiæ mulierum in maritos. Monitum ideo

ideo hoc repetit Paulus in Epiſt. ad Epheſ. 5: 23. &c. Apud Corinthios præſertim omne libidinum genus adeo invaluerat, ut nec viri nec mulieres intra ullos modeſtiæ & naturalis decentiæ leges contineri viderentur, ut hæc docte pro more probat *Grotius in Proleg. ad priorem Epiſt. ad Corinthios.* Ad communem vero Græcorum, Corinthiorum præſertim, corruptionem in hac re reſpexiſſe videtur Apoſtolus, & in hoc loco, & jam cap. 7: 3. Quæ duo loca in eadem hac epiſtola occurrentia ſi conferantur, probe videbimus, divinum noſtrum Gentium Doctorem, omni opera corrigere & emendare voluiſſe effuſam libertatem & libidinem Corinthiorum, quæ tanta erat, ut jam in communem conſuetudinem, in qua plerique nil inhoneſti inveniebant, abierit, ita certe, ut totus naturæ ordo everſus, & ab illis proſcriptus videretur; cum enim apud Græcos liceret viro ſeni ſuam uxorem juveni elocare, ad procreandam ſobolem, cum liceret fœcundam & formoſam mulierem à viro, cui juncta erat, petere, cum per totam Græciam viris licitum eſſet, uxores ſuas ad alios introducere, *Meurſ. in Them. Attica Lib. I. c. 7. p. m. 20.* concipimus haud dubie, neceſſum omnino fuiſſe, demonſtrare & docere homines iſtos à probis moribus longe remotos, novam Chriſti, quam Paulus exponebat, doctrinam omnia hæc ferre neutiquam poſſe, cum tam arctus ſit nexus maritalis, ut nec maritus nec mulier Græca dehinc uti libertate ſolita poſſint. Maxime etiam erat neceſſarium & viris probare, illos non tam plenariam habere poteſtatem in fœminas conjugali vinculo ſociatas, ut illas alteri turpiter ſubjicere poſſent; hinc non vult Paulus tam cæcam eſſe mulierum in his obedientiam, illisque ideo juſtam aliquam tribuebat ſub marito poteſtatem. Quis ergo non videt, Paulum plurimis & validiſſimis inductum rationibus, quo dehinc modo conjugium haberi & celebrari deberet, docere & præcipere debuiſſe?

§. IX.

§. IX.

Dixit ergo hactenus Apoſtolus, decentem obſervari debere in conjugio ordinem, eo modo, quo jam ab initio hujus capitis illum exponere inſtituerat. Ne autem mariti duro nimis capiſtro mulieres conſtringerent, aut mulieres ad juſtum obſequium aures obtunderent, aut poteſtatem conceſſam ad immoderatam vitæ morumque licentiam extenderent, præcipit Apoſtolus, ut illa ſua conſtet lege & regula, non a mariti imperio ſolo, non à mulieris voluntate aut forſan dominandi libidine, derivanda; addit ideo, ut mulier poteſtatem ſuam habeat διὰ τοὺς ἀγγέλους. Per hos autem *Angelos* ego cum plurimis magni nominis Scripturæ interpretibus, Chriſti legatos, Evangelii præcones intelligo. Hanc explicationem dedit Vir & eruditione & judicio maximus *Theodorus Beza* ad hunc locum. *Redit*, inquit, *ad propoſitæ quæſtionis circumſtantiam Apoſtolus, ac ſi diceret, mulieribus convenire, non tantum propter viros, ut capita in ſacro cœtu velent, ſed multo magis propter reverentiam, quæ Deo per ſuos nuntios & legatos loquenti debetur. Angelorum autem nomen prophetantibus, ut hic loquitur Paulus, id eſt verbi Dei miniſtris, paſſim tribuitur, non tantum adjuncto Domini nomine, ut Agg. 1: 10. Malach. 2: 7. & 3: 1. Verum etiam abſolute, Eccl. 5: 5.* לפני המלאך *coram angelo illo, ubi cum* ה *ſignificativo ſignificatur ſummus Sacerdos, apud quem erat reddenda votorum ratio Levit. 27. qui locus iſtum mire illuſtrat; perperam autem illic agunt de angelis ſive bonis, ſive malis interpretes, ut & in hoc loco, meo quidem judicio. Sed & in Apocalypſi angeli dicuntur, qui ſacro miniſterio præerant. Neque hic addi neceſſe erat Domini vel Eccleſiæ vocabulum, cum ex præcedentibus & ſubſequentibus clare liqueat, de ſacris cœtibus hic agi. Utitur autem plurali numero, quod in maxima donorum Dei abundantia non tantum apud Corinthios, ut apparet infra cap. 14: 39. ſed etiam olim in aliis Eccleſiis non unus ſolus, ſed bini & terni in cœtibus ſacris ſermonem haberent.* In his *Beza* jam maxima proba-

 tionis

tionis parte, quæ mihi incumbebat, eſt defunctus, pauca tamen & ad argumentum dehinc illuſtrandum adferenda videntur.

§. X.

Commune admodum in libris N. Teſtamenti Angelorum nomen ad miniſtros Evangelii deſignandos adhibetur, ob Miſſionem ab eodem rege profectam, & muneris in multis partibus æqualem rationem; Angelus enim eſt nomen officii non naturæ, hinc *Auguſtinus ad Pſ. 103. Angelus officii nomen eſt, non naturæ; quæris nomen ejus naturæ, ſpiritus eſt, quæris officium, angelus eſt.* Quidam hujus nominis rationem deducunt ex conſuetudine Eccleſiæ Judaicæ, in qua miniſter congregationis שליח צבור *Angelus Eccleſiæ* dicebatur. *Braunius* vero per iſtos angelos etiam homines, non miniſtros, ſed Legatos Deſponſationis שלוחי קרושים intelligendos eſſe exiſtimat, in *Selectis Sacr. Lib. I. cap. 3. p. m. 62.* Licet vero concedamus Viro Celeberrimo & nunquam ſine laude nominando, eſſe quædam in hac epiſtola quæ Judæos ſpectent, nihilominus tamen vix mihi veriſimile eſt, ad hos Paulum reſpexiſſe, cum neutiquam ſit probabile, Apoſtolum voluiſſe tantam eſſe ex ritu Eccleſiæ Judaicæ horum hominum in Eccleſia auctoritatem & reverentiam, ut propter illos mulieres in Eccleſia tecto & velato capite eſſe debuiſſent; Addendum etiam, & probe obſervandum, quod haud dubie Apoſtolus ita ad Corinthios converſos, qui potiſſimum ex gentilibus conſtabant, ſcribere voluerit, ut non ſoli Judæi inter illos alluſionem illam ad Angelos Deſponſationis intelligere poſſent; ex noſtra autem hypotheſi & ſententia, quam jam ex aliqua parte nos firmaſſe putamus, plane ſtare non poteſt Viri Docti ſententia. Simpliciter ergo dicimus, quod cum *Beza* per Angelos intelligamus Doctores Eccleſiæ; ita enim jam Johannes Baptiſta vocatur, Luc. 7: 27. ἰδȣ ἐγω ἀποςελλω τον ἀγγελον μȣ προ προσωπȣ σȣ. *Ecce ego mitto angelum meum ante*

te faciem tuam. Cum ergo Johannes Baptiſta, atque doctores Eccleſiarum in Aſia Apoc. 2: 8. &c. Angeli dicantur, ego certe rationem non video, quare Evangelii miniſtri, Sacra Scriptura nobis viam præeunte, Angeli non vocari poſſint. Plura vide apud *Coccejum Tom. V. p. m. 13. & Vitring. Synag. Vet. p. 911.* Facile vero his locis adjungere poſſem duo alia, dum enim 1. Tim. 3: 16. Paulus ait, quod Deus manifeſtatus in carne, viſus ſit *ab angelis*, facile mihi perſuadeo, per illos angelos etiam miniſtros Evangelii ex parte eſſe intelligendos, ideo enim Evangelium Chriſti prædicarunt, quia ipſi teſtes oculati tanti myſterii extiterunt, in hoc enim conſtabat obſignatio veritatis Apoſtolorum, ut *prædicarent, quod viderant oculis ſuis, & quod tetigerant manibus ſuis*, 1. Joh. 1: 1. Rationes vero, quibus hæc firmatur ſententia, pluribus ediſſeruit *Georgius Henr. Gœzius* in peculiari de hoc loco Diſſert. quam *Theſauro* ſuo intulit *Gothofredus Menthenius Tom. 2. p. 663.* quas etiam hic repetere nolumus. Alter vero locus, quem etiam ex multorum interpretum ſententia huc trahere poſſem, extat Hebr. 2: 2. In quem ita commentatur Celeberr. *Gotfridus Olearius in analyſi Logica Epiſt. ad Hebræos*, ut demonſtret ſæpiſſime hoc nomen tribui Prophetis, Sacerdotibus & magnis Eccleſiæ Doctoribus. Sed ad hæc confugere opus non eſt, alia quippe adſunt loca, quæ de his plenam nobis fidem faciunt, ita enim Jacobus Apoſtolus, c. 2: 25. Ὁμοιως δε καὶ Ρααβ ἡ πορνη, ὀυκ ἐξ ἐργων ἐδικαιωθη, ὑποδεξαμενη τους ἀγγελους; *conſimiliter & meretrix Rachab nonne ex operibus juſtificata eſt, excipiens legatos?* & quoties tandem in Scriptis Apocalypticis Johannis occurrat, ſatis cognitum eſt atque perſpectum.

§. XI.

Cum autem ab initio dixerimus, ſcopum Apoſtoli Pauli ſine controverſia ulla fuiſſe, talibus uti in hac Epiſtola & conſequenter etiam in hoc loco verbis, quæ non Judæis tantum apud Corinthios commorantibus

& ad Eccleſiam converſis, ſed & gentilibus ad Chriſtum adductis, ex quibus major pars Eccleſiæ Corinthiacæ conſtabat, eſſent cognita & familiaria, dicendum eſt, optime noviſſe Græcos omnes, Ἄγγελον communiter eſſe legatum & nuntium, ita nos docet *Pollux Onomaſt. Lib. VIII. c. 9. p. m. 960.* de Legatis & rebus ad eos ſpectantibus loquens. Ὁ δε πρεσβευτης, ειπ' αν και Ἀγγελος, και διακονος. *Legatus vero & nuntius ſit & miniſter.* His etiam cognitum erat, non Legatos tantummodo, ſed & voluntatis principum interpretes Ἀγγελȣς vocari. Hujus rei fidem nobis facit idem *Pollux Onomaſt. Lib. IV. c. 12. p. 403.* Δημοσια προκηρυκευσαμενοι, ὡς Ἰσαιος ειρηκε και κηρυκας, και ερμηνεας, και σπονδοφορȣς, και αγγελȣς ονομασιε. *Publica promulgantes, ut Iſæus dixit, præcones, interpretes, fœderum allatores, & nuntii vocari poſſunt.* Cum ergo voluntatis regum interpretes, fœderum allatores, hoc nomine ſæpius fuerint ornati, quilibet videt, quam convenienter moribus & conſuetudini Græcorum Apoſtoli, reliquique Evangelii præcones Ἄγγελοι potuerunt dici. Hinc Paulus ad eosdem hos Corinthios ſcribens ait, 2. Cor. 5: 20. Ὑπερ χριςȣ ȣν πρεσβευομεν, ὡς τȣ Θεȣ παρακαλȣντος δι' ἡμων; *Ita Chriſti nomine legatione fungimur, tanquam Deo precante per nos.* Hoc ſenſu venit apud Comicum *Ariſtophanem in Plut. verſ. 632,*

> Τι δ' εςιν, ω βελτιςε των σεαυτȣ φιλων,
> Φαινεις γαρ ἡκειν αγγελος χρηςȣ τινος.
>
> *Quid eſt, optime tuorum conſodalium,*
> *Videris enim bonæ rei adeſſe nuncius.*

Conſimiliter apud *Herodian. Lib. VI. c. 7.* Αιφνιδιως αγγελοι τε και γραμματα εταραξε τον Ἀλεξανδρον, και εις μειζονα φροντιδα ενεβαλεν. *Statim nuntii & litteræ conturbarunt Alexandrum, majoremque curam ei injecerunt;* Ex eadem hac cauſa veteris Eccleſiæ Epiſcopi Angeli dicti, ut hoc prolixius exequitur *Bingham. Orig. Eccleſiaſt. Tom. I. p. 82.* *unius autem adhuc nominis mentionem faciam, quo Epiſcopi Angeli*

geli Eccleſiæ dicti fuerunt, quam appellationem a Paulo 1. Cor. XI: 10. uſurpatam eſſe, nonnulli auctores exiſtimant, ubi dicit, debet mulier poteſtatem habere in capite propter angelos; hoc eſt Epiſcopos, ait Hilarius Diaconus. Hinc ſequentibus ſeculis Epiſcopi vocabantur Angeli Eccleſiæ; Quemadmodum Socrates Serapionem, qui apud Thmuitas erat Epiſcopus, Angelum Eccleſiæ Thmuitarum vocat, & auctor brevium notarum in Timotheum, ſub nomine Hieronymi deliteſcens, quemvis Epiſcopum Angelum Dei omnipotentis dicit.

§. XII.

Unicum adhuc nobis probare incumbit, quod ſcil. δια τες αγγελες ex conſtructione Græca ſignificet, *per angelos*, hæc autem probatio admodum erit facilis, cum ex probatiſſimorum auctorum conſenſu, & multorum Græcorum luculentis teſtimoniis poſſit demonſtrari, δια accuſativo junctum ſignificare *per*. Primus mihi teſtis eſt *Heſiodus* atque inſignis ille linguæ Græcæ & Latinæ Profeſſor *Joh. Georgius Grævius, in Lectionibus Heſiodæis ad verſ. 3.* των ἐργ. καὶ ἡμερ. *p. m. 2.*

Δευτε δε, ἐννεπετε σφετερον πατερ' ὑμνειεσαι
Ὀν δε δια βροτοι ανδρες ὁμως αφατοι φατοι τε.

Adeſte quæſo, dicite veſtro patri hymnum
Per quem mortales homines pariter obſcurique ſunt & clari.

Ad quem locum ita commentatur Vir celeberrimus, Ὀν δε δια eſt *per quem*, ut apud *Demoſthenem*, δια τες Θεες, *per Deos* aut *Deorum beneficio & munere*, ſic & Joh. 6:57. Καθως απεςειλε με ὁ πατηρ, καγω ζω δια τον πατερα, *ſicut miſit me pater, ſic ego vivo per patrem.* Similia plane habet Eruditiſſ. *Johannes Alberti*, ad Evang. Johannis à *Grævio* citatum, in *Obſerv. Sacris p. 211.* cujus hæc ſunt verba: *Præpoſitio* δια *cum accuſativo conſtructa, vulgo cauſam impellentem aut finalem indicat. Ita Longinus* περι ὑψες *Sect. III. ex Timæo,* δι' ἑνα ανδρα *i. e. per unum virum, ut notat*

Hh 3 *ibidem*

ibidem ὁ κριτικοτατος Tan. Faber. p. 265. addens eundem uſum ex quatuor locis Platonis, uno Socratis, uno item Æſchyli, ut & Luciani, probari poſſe; ſed quia Vir Cl. ipſa loca non expreſſit, quæ ſpectabat, nos alia dabimus. Ariſtoph. Plut. act. 1. Sc. 2. p. m. 8.

Και μεν δια τους Χρηστους γε τιμαται μονους

Atque ille honoratur per bonos ſolos.

Et Actu II. Sc. IV. p. m. 32.

Ἀγαθων ἁπαντων οὐσαν αἰτιαν ἐμε

Ὑμιν, δια ἐμε τε ζωντας ὑμας.

Me vobis omnium bonorum cauſam eſſe (demonſtrabo.)

Vosque per me vivere.

Ubi eadem phraſis, quæ h. l. Æſchin. Dial. 1. Sect. 2. p. 6. δια την τουτων ὁμιλιαν σοφος τε και ἀγαθος γεγονεται, *i. e. per horum conſuetudinem. Et Dial. 2. Sect. 36. p. 104.* δι ἀρετην, *per virtutem.* Huic autem ſuffragatur Cl. *Elſnerus Obſervat. Sacr. Tom. II. p. 23.* Δια ſignificat per; δια την παρεσιν των προγεγονοτων ἁμαρτηματων *per remiſſionem peccatorum ante commiſſorum Rom. 3: 25. Aut quo pacto explicabitur illa juſtitia, utpote quæ contingat* δια την παρεσιν, *per remiſſionem peccatorum, ut docetur c. 4: 6. 7.* &c. *ita* δια *quarto caſui junctum* per *ſignificat, Gal. 4: 10. & alibi.* Si jam omnibus his allatis teſtimoniis, auctoritatibus atque exemplis, quibus plurima ſimilia adjungere facile poſſem, non probatum ſit, δια τους ἀγγελους ſignificare *per Angelos*, fruſtraneum deinceps erit, meum lectorem adductis rationibus, & cumulatis argumentis in partes meas conari pertrahere.

§. XIII.

Habes jam, mi Lector, brevi pagella expoſitam de dicto Paulino ſententiam & explicationem meam, quæ, ut confido, ſua ſe ſimplicitate commendabit, & in qua illud tantum curavi, ut ſenſus fieret ſimplex, planus, aper-

apertus, & intentioni Apoſtoli conveniens; & licet judicio meo plane nihil tribuere debeam, nihilominus tamen liceat ingenue dicere, maxime me mirari, interpretes hactenus omnes, adeo naturali Scripturæ ſimplicitate relicta, ad abſconditum in his ſenſum confugiſſe, unde parum lucis huic loco fuit illatum. Cum ergo neceſſaria in Scripturæ interpretatione ſimplicitas, cum verborum Apoſtolicorum nexus, cum verba ipſa ex genio linguæ Græcæ ſcopo noſtro conveniant, concludo, hunc locum ita vertendum, *propterea debet mulier poteſtatem ſuam habere ſub capite*, (hoc eſt marito) *per angelos*, hoc eſt, per legatos Chriſti. Habes nunc, benevole Lector, brevibus argumentis & illuſtrationibus, omiſſis omnibus longioribus excurſionibus, quas tamen, ſecundum quorundam conſuetudinem, adjicere potuiſſem. Longus nimis ſum, ſi diſplicet ſententia, longus ſatis, ſi diſquiſitio mea benevolum & æquum habebit judicem.

TANTUM.

IX.

Viro Doctiſſimo, A. V. S. *

S. D.

J. G. ALTMANNUS.

Recte omnino, Doctiſſime Anonyme, mihi reddita fuit Epiſtola, in qua me rogabas, ut objectiones tuas contra ſententiam meam in *Oratione* de *HELVETIA GRÆCISSANTE* propoſitam

* Tradita mihi fuit jam ante aliquot menſes *Epiſtola* per tabellarium publicum, una cum adjecta *diſquiſitione*,

tam adjectas collectioni meæ insererem, atque ad illas reſponderem. Mirabar ſtatim, te credere & concedere nolle, antiquiſſimos Helvetios ex Græcia in has oras adveniſſe, cum tamen tibi lubens crederem, literas tuas, ut mihi probe compertum eſt, *Baſilcæ* ſcriptas, *Heidelbergæ*, ut ſubſcriptio equidem ſonat tua, Bernam mihi fuiſſe tranſmiſſas. Propoſitas autem in tua Diſſertatione epiſtolica quod ſpectat difficultates, lubens in illis agnoſco eruditionem tuam. Patere tamen, ut tibi aperte fatear, me adhuc longe plures invenire; hinc omnino modeſtiæ tuæ adſcribendum cenſui, quod non omnes plane, quæ contra me ſuſcitari potuiſſent exceptiones, in apricum producere volueris. Et ad illas etiam propoſitas tamen nulla interpoſita mora reſpondiſſem, ſi orationis meæ ſcopus fuiſſet vel unicus vel principalis tantum, *HELVETIORUM* natales ad *GRÆCAM* originem in illa Oratione deducere. Licet enim attenta mente Orationem meam, ut ex obſervationibus tuis ſatis liquet, perlegeris, nihilominus tamen, pace tua, vel ſcopum vel mentem dicentis non fuiſti aſſecutus, alias certe in objectionibus illis elaborandis non deſudaſſes. Hoc autem in illa Oratione agebam, ut ſub involucro diſquiſitionis antiquiſſimorum natalium Helvetiorum communiſſimam noſtri ſeculi in inveſtigandis familiarum originibus veſaniam exhiberem; quod facile colligere potuiſſes ex his verbis ſtatim ab initio

in quibusdam locis ſatis acerba, *Orationis de HELVETIA GRÆCISSANTE*, in qua Vir doctus A. U. S. rogat, ut ad motas difficultates reſponderem. Cum autem meus mos non ſit, hominibus poſt principia ſtantibus ad propoſitas difficultates reſpondere, ad commodum tempus diſtuli epiſtolam; cum autem Anonymus iterum reſponſionem urgeret, in hac epiſtola reſpondendum eſſe cenſebam, ne ad ſilentium plus quam Pythagoricum graviſſimis objectionibus adactus viderer.

initio Orationis occurrentibus: *Renata nunc tandem feliciter noſtri & præcedentis ſeculi tempore, laudatiſſimarum gentium conſuetudo, inveſtigata hinc apud nos natalium obſcuritas, quæ ad aliqua equidem ſecula feliciter propulſata & ejecta; nullus hinc civis, nullus modici cultor agelli, aut nobilis campeſtris, qui non Teutobaldum, Totilam, Pipinum, Lotharium, aut Carolomannum, primum in avorum ſuorum ſerie recenſeat, ſed pauciſſimi hactenus ſua eruditione & induſtria ad Scipiones, Fabios, Craſſos & Lentulos aſcendunt.* &c. Nec ego certe in tota Oratione eo dementiæ proceſſiſſem, ſi rem ſerio egiſſem, ut *certis, invictis, cum valido argumentorum pondere ſuffultis rationibus*, me probaturum affirmaſſem, quod ad ſolam conjecturam accedit. Cum autem haud dubie probe ſcias, periculoſum eſſe, apud plurimos contra *Jus Imaginum*, licet ſæpiſſime valde *imaginarium*, aliquid proferre, viam tutiorem non habebam, quam ſi aliquam ſaltem antiquiſſimorum Helvetiorum memoriam ex Græcia repeterem, & ad communem ſeculi noſtri morbum applicarem. Hinc mihi perfacile foret, magnum ſatis & ſpiſſum commentarium Hiſtorico-Practicum in Orationem meam ſcribere, ſi vitæ & fortunæ meæ eſſem pertæſus; ſed laus Deo, res mea nondum eo venit, atque mea in Oratione dicendi ratio

- - - *Me veluti cuſtodiet enſis*
Vagina tectus.

Habes nunc, Vir Docte, (ſi te facie cognoſcerem, Clariſſimum & Celeberrimum appellandum) breves meas in difficultates tuas mihi tranſmiſſas reſponſionem. Sis autem certus & perſuaſus, neminem eſſe, qui magis me rideat illorum hominum fatuitatem, qui ex incertiſſima antiquitate, vel ex levi vocum aliqua analogia, in hac brevi vita, quæ ad res maxime neceſſarias addiſcendas & perquirendas non ſufficit, variarum rerum incertiſſimas origines & natales exſculpunt, & inde magnam ſibi laudem deponunt. Hoc adhuc

monendus es, quod ad theſin meam probandam, ſi hoc ſerio agendum fuiſſet, luculentiora omnino argumenta adducere potuiſſem; quale eſt illud à Cl. RUCHAT, S. Theol. apud Lauſannenſes Profeſſore perſcriptum, ſolere ſcil. noſtris adhuc temporibus ruſticos ditionis Bernenſis Gallicæ in ſermone familiari aliis mala apprecantes dicere, *Va eis hadu.* Unde, Vir Doctiſſime, hæc imprecandi formula? Memini etiam, me ab Illuſtriſſimo Regni Galliarum hodierno apud Helvetiæ pagos Legato audiviſſe, ſe cum maxima admiratione Conſtantinopoli apud Helvetios adventantem vidiſſe ruſticos noſtros, non eodem habitu tantum cum hodiernis Græciæ incolis veſtitos, ſed iiſdem in cantilenis, melodiis & inſtrumentis Muſicis, qualia præſertim ſunt longa illa ex virgultis conſuta cornua, quæ nos vocamus Alphörner, utentes. Cum autem hæc mea ſententia, ut ipſe vides, tot undique circumſepta ſit difficultatibus, nullus dubito, quin nobis propediem tutiorem *de origine Helvetiorum* declaraturus ſis; hinc te etiam, Doctiſſimum Anonymum, nomine totius Reipublicæ Literariæ vehementer rogo, ut illam in publicum commodum quantocyus protrudere velis. Sed nolo plura addere, Vir Clariſſime, mihi autem hactenus, quod vehementer doleo, in obſcuritate poſites quis enim ſi; vel non ſis, vel an adhuc ſis, equidem ignoro. Vive & Vale in Heidelberga tua, ego autem equidem ſcripſi Bernæ Helvetiorum, primo die Kalendar. Febr. MDCCXXXVII.

X.

X.

JO. CASPARI HULDRICI,

Utikon. Paſt.

De

FILIABUS ISRAELITICIS

Pulvillos conſuentibus ſub axillis manuum &c.

DIATRIBE

Ad locum

Ezech. XIII: 17. 18.

ואתה בן - אדם שים פניך אל-בנות עמך המתנבאות
מלבהן והנבא עליהן : ואמרתה כה־אמר אדני יהוה הוי
למתפרות כסתות על כל־אצילי ידי ועשות המספחות על־
ראש כל קומה לצודד נפשות :

TIGURINA.

So ſetze nun dein Angeſicht, o du Menſchen Sohn, wider die Töchtern deines Volcks, welche aus ihrem eignen Hertzen weiſſagen, und weiſſage wider ſie, und ſprich: Alſo ſpricht der HErr HErr: Weh denen Weiberen, welche Küſſe unter alle Achslen der Aermen ſteppen, und Haupt-Pfulwen für kleine und groſſe, die Seelen zu fangen.

ב"ש הקבה"

DISSERTATIONIS Συνοψις.

§. I. *Scopus loci noſtri cum parte Capitis priori idem eſt.* §. II. *Perſonæ de quibus Deus conqueritur ſunt* Filiæ populi Iſraëlitici, *per quas nonnulli Mulieres alloquium Dei mentientes intelligunt; Nos per viros molles atque effœminatos explicamus: Rationes explicationis afferuntur.* §. III. *Actio Pſeudoprophetarum duplex eſt. Eſt altera* Conſuentes pulvillos &c. *qua non ad ritus magicos, ſed ad epulantium Pulvinos triclinares reſpicitur, nam & Hebræi ſtratis lectis epulabantur: qua metaphora ſecuritas Iſraëlitarum per falſos Prophetas procreata & conſervata reprehenditur.* §. IV. *Altera Pſeudoprophetarum actio eſt:* Facientes culcitras ad caput omnis ſtaturæ. *Per culcitras non intellige pepla & velamina, ſed Cervical, quod capiti, quo melius quieſcat, ſubſternitur. Qua metaphora Deus ſummum & ſupremum ſecuritatis gradum notare voluit.* §. V. *Facta erant hæc cervicalia* ad caput omnis ſtaturæ, *omnibus, Urbi, Templo, Regi, Senioribus, Juvenibus &c. imponebant, bona quæque promittentes.* §. VI. *Finis tandem infauſtus erat* Venatio animarum. *Venatio non raro fit alliciendo, ſic & Vates hi falſi unice intenti in id erant, ut populum in ſuas partes allicerent.* §. VII. *Concluſio.*

§. I.

Scopus capitis XIII. Ezech. procul dubio alius non eſt, quam falſos Prophetas acri aceto perfundere, quod contra ſenſum & voluntatem Dei Iſraëlitas

tas vano ſictoque ſolatio mulcere ſuſtinerent. Quo vero facilius à populo intelligatur, utitur Deus duplici metaphora. * Ab initio capitis ad com. 17. comparantur impoſtores hi cum ejusmodi Tinctoribus, quibus nihil antiquius eſt, quam parietem ligneum, eroſum, vetuſtate conſumtum, inutilem proin & infirmum, calce collinere, ut novus, lapideus atque firmus videatur. Egregium utique emblema falſorum Vatum, qui dum populo faciem rerum ſuarum miſeram atque pene deploratam oſtendere, & ut ab imminente eis horribili Dei ira magnopere caveret, præmonere deberent, quo ad fruges rediret, contrarium faciebant, falſa nimirum ſpe atque figmentis humanis ſecurum illum reddentes.

Non minus elegans altera eſt metaphora, qua à com. 17. ad finem usque capitis, perfidia hominum iſtorum perſtringitur; comparantur nimirum cum *uxoribus pulvillos conſuentibus &c.* in qua explicanda opera mea hacce diſſertatiuncula verſabitur.

§. II.

Videbo hanc in rem, I.) quasnam perſonas Deus per *Filias populi* intelligat. II.) quænam illa ſit actio, quæ Filiabus hiſce exprobratur.

I.) Sunt qui per *Filias populi*, quas Deus per Ezechielem alloquitur, Prophetiſſas intelligunt; *Sicut Diabolus olim excitavit falſos Prophetas ad ſeducendum Judæos, ita quoque ad exercendum varias impoſturas, delegit muliebrem ſexum*, verba ſunt MUNSTERI ad h. l. quocum facit Cel. COCCEIUS in Comment. ad h. l. *Hic jubet Deus Prophetam vaticinari adverſus Prophetiſſas prophetantes ex corde ſuo. Oſtendit, in populo Iſraëlitico*

---

* *Qui Tropus*, bene monente Cl. GLASSIO, *omnium frequentiſſimus jucundiſſimusque eſt, miram ſtylo Sacrarum literarum ἐνέργειαν & evidentiam concilians.* Philolog. Sacr. p. m. 715.

tico eo impudentiæ provectas fuiſſe etiam fœminas, ut auderent docere, tanquam ex verbo Dei, quod Deus ipſas non docuerat. Sequitur hos Cl. STARCKIUS in Comment. ſcribens: *Præſtat à litera non diſcedere, atque potius intelligi Prophetiſſas in populo fuiſſe, non ſolum viros Pſeudoprophetas extitiſſe, ſed & Filias in nomine Dei viſiones oſtentaſſe, populumque ſeduxiſſe.* * Tam cenſorium mihi ſupercilium non eſt, ut authoritatem & eruditionem Virorum tantorum, de Eccleſia J. Chriſti meritiſſimorum, vel minimum lædere, magnisque illorum Nominibus inſultare temere velim; abſit, abſit longiſſime. Licebit tamen modeſte in hoc problemate ab illis diſſentire, cum probabilius mihi longe videatur, Prophetam non novam ordiri, ſed in cœpta ſemel oratione pergere.

Suadet hoc non unum argumentum:

a.) Poſtulare id videtur ipſe contextus, qui cum antecedentibus per ו. copulatur: ואתה בן אדם שים פניך וגו׳ hinc recte omnino Tigurina noſtra: **So ſetze NUN dein Angeſicht, o du Menſchen Sohn ꝛc.**

b. Accedit, quod jam dudum à Viris literatiſſimis obſervatum eſt, Spiritui Sancto non inſuetum eſſe, indignationem & contemtum actionum viris indignarum hoc modo oſtendere. Quadrat, & in hunc locum SANCTII canon: *Solet Scriptura Sacra, cum quis*

* Ridicule plane CORN. a LAPIDE ad h. l. *Pergit Propheta à viris ad mulieres. Mulieres enim fere omnium calamitatum auctores viris fuere. Teſtis eſt Pandora, Helena, Deianira, teſtis Danaidum fabula, Lemniarum mulierum hiſtoria, teſtis Cleopatra, Dalila, teſtes Amaſiæ Salomonis, teſtis Eva. Quamquam major culpa eſt viri, qui ſapientior ab imbecilla & inſipiente muliere ſe regi & decipi patitur. Quod enim animus eſt corpori, id virum oportet eſſe mulieri. Vetus eſt ſapientis dictum: Ne fidem habeas nec emorienti Fœminæ.*

quis aliquid facit infirmum & indignum virili pectore & conſtantia, tum nomen tum genus illi tribuere muliebre. Lapillo hoc atro ſignantur ex. gr. Præfecti populi Judaici Eſai. III: 12. *Exactores ejus ſunt pueri, & MULIERES dominantur ei*, hoc eſt, ut nemo non videt, imbelles, molles & effœminati homines ad clavum ſedent. Idem dicitur de Ninevitis Nahum. III: 13. *Ecce populus tuus in medio tui MULIERES*, quaſi dixiſſet Propheta: Tu quidem confidis exercitatis militibus, verum cum hoſtis tibi imminebit, intra muros tuos omnium animi trepidabunt, ac ſi in mulieres eſſent mutati. Confer. Eſaj. XIX: 16. Jerem. XLVIII: 41. & L: 37. *

c.)

* Etiam Scriptores prophani hac τοῦ γένους ἑτερώσει ſæpiſſime ſunt uſi; dicere enim Virum Fœminam, ſemper illis convicium ſummum eſt. Sic HOMERUS *Iliad. lib. 2. & 7.* ignavos & timidos græcorum milites vocat ·

'Αχαιίδας οὐκ ἔτ' 'Αχαιούς,

Achivas, non amplius Achivos.

Sic de Artemiſia XERXES, ut eſt apud TZEZEM; οἱ μὲν "Ανδρες μοι γυναῖκες ἐγένοντο, αἱ δὲ γυναῖκες, ἄνδρες. Sic VIRGILIUS *Æneid.* l. IX: 615.

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

Ita apud CURTIUM Philotas, homo effœminatus, contemtim *Fœmina* vocatur. VI. II. 3. conf. ibid. VIII. I, 37. & Cl. DRAKENB. *ad Sil.* 2. 361. BARTH. *ad 2. Theb. Statii* p. 503. & TAUBM. *ad Plaut.* p. 69. Quin imo de mulieribus ipſis non raro vocabulum MULIERIS convicium habet. PLAUTUS *Amph. II.* 2. 209. *Mulier es, audacter juras.* conf. ibid. v. 182. cum Comment. TAUBMANNI, p. 67. TERENT. *Heaut.* v. 3. 3. *Pergin' mulier eſſe?* i. e. mulierum more rixari. Bene EUGRAPHIUS Teren-

c.) Notetur porro, quod nuſpiam per totam Prophetiam, nec etiam in hiſtoria Zedekiæ, ad cujus tempora Prophetia pertinet, nec alibi in Sacris, Prophetiſſarum pulvillos conſuentium, mentio fiat, quod alias, ni Deus in hoc loco metaphora uſus fuiſſet, utique factum eſſet. Videatur omnino in hanc rem Cel GURTLERI *Theol. Prophet. caput XII.* expreſſe de Vatibus falſis ſecundi temporis agens.

d.) Non eſt tandem, quod quis opponat, credibile non eſſe, eandem rem duplici metaphora proponi. Plura quippe nobis ſuppetunt exempla in quibus eadem res duplici, pluribus etiam ſimilitudinibus, proponitur; videſis modo Cap. XIII. Matth. in quo Regnum Cœlorum variis ſimilitudinibus depingitur: verſ. 24, 31, 33, 44, 45, 47. &c. Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς. Πάλιν ὁμοία ἐςὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. &c.

Ex dictis proin, ſpero, patebit, Deum verbis noſtris non Prophetiſſas, ſed Prophetas molles & effœminatos, quos priori capitis parte ſub emblemate Tinctorum probe dedit depexos, porro pergere τῇ τοῦ ἁλὸς δριμύτητι defricare, *prophetiſſarum* etiam nomine dehoneſtatos, * ac ſi dixiſſet: *Væ exſecrabile ac dirum, o Ezechiel, annunciaſti Vatibus falſis, atque populo meo clare ſatis dixiſti, ſtatum ſuum ruenti parieti ſimillimum eſſe, qui vero*

tii Scholiaſtes: *Aliud eſt, MULIEREM per naturam dicere, aliud per vitium.*

* Sic & S Patres locum hunc explicabant, videatur Ex. gr. ORIGINES Homil. III. in Ezech. *Effœminatæ ſunt eorum magiſtrorum & animæ & voluntates, qui ſemper ſonantia, ſemper canora componunt, & ut quod verum eſt dicam, nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum eſt in his, qui juxta gratiam & voluntatem audientium prædicant: idcirco omnes FILIAS potius, quam FILIOS dixit aſſuentes cervicalia,* &c.

vero à falſis Prophetis melior longe depingatur quam re ipſa ſit: Abi iterum, & nova metaphora eandem rem hominibus hiſce mollibus, Virorum nomine indigniſſimis, propone, num ad fruges redire velint. Quænam autem illa metaphora ſit, jam nunc videbimus.

§. III.

II.) *Pone*, dicit Jehovah Adonai ad Ezechielem, *pone faciem tuam, contra filias populi tui, & propheta contra eas, dicens: Sic ait Dominus Jehovah, væ conſuentibus pulvillos pro omnibus axillis brachiorum, & facientibus culcitras ad caput omnis ſtaturæ* &c.

Duplex his verbis ſiſtitur actio Pſeudoprophetarum. Prima eſt: למתפרות כסתות על כל אצילי ידי ; *Conſuentes pulvillos pro omnibus axillis brachiorum.* Actionem hanc intellectu paulo difficiliorem reddit vox אצילי, quæ ab Interpretibus communiter per *axillas* vertitur. איצל Axillam eſſe, ex Jerem. XXXVIII: 12. edoceor, cum ſub illa panni ponantur, ne funes carnem lædant, dum homo e profundo puteo tollitur. Attamen minus præciſe ſumi poſſe, ſed & inde ad manus ſignificationem extendi, additis quibusdam verbis, vel ex ipſo loco noſtro apparet, uti *Cel.* KLEMMIUS in Diſſertat. *de uſu Targumico-Talmud. in Critica Sacra* bene monuit. Hinc & Verſiones antiquæ non per *axillas*, ſed optime per *cubitos manuum* expoſuerunt. TARGUM habet מרבקי ידי *ſub junctura manuum.* LXX: Συῤῥαπτȣ́σαις προσκεφάλαια ὑπὸ πάντα ἀγκῶνα * χειρος. SYMMACHUS: Συῤῥαπτȣ́σαις ὑπαγκώνια ὑπὸ πᾶντα ἀγκῶνα χειρὸς. *Arab. Antioch. Pulvillos pro cubitis manuum.* Tuto proin & ſine metu hæc noſtra

Ii

* Ἀγκῶνα per cubitum reddi deberi, nemo dubitavit. Videatur STEPHANUS ad hanc vocem. Hinc HOMERUS *Odyſſ.* ξ.

Ἐπὶ ἀγκῶνα κεῖσομαι.

Cubito innixus cubabo.

ſtra verba verto: *Væ conſuentibus pulvillos pro omnibus cubitis manuum.* Weh denen falſchen weibiſchen Propheten, die da Küſſelein unter die Ellbogen ſteppen.

His nunc præſuppoſitis inquirendum erit, quo Deus hac loquendi ratione alludat.

MUNSTERUS, VATABLUS, CLARIUS, aliique complures ad literam explicant, *de Mulierculis magica arte inſtructis, conſuentibus pulvillos, & ſciſcitantium virorum axillis induentibus, quaſi ita apti fierent ad ſuſcipiendum Sacrum Oraculum.* Paulo aliter PELLICANUS ad h. l. *Pro more vaticinii ſui, ſi quando futura requirerentur ab illis mulierculis, ſedebant in conclavi ſuo, & ſub aſcellis & cubitis ſuis pulvillos conſutos ponebant ad ſuavius incumbendum, quo minus illarum Spiritus diſtraheretur, & certiora Spiritus divini reſponſa ederent ſacræ illæ virgines.* Sunt & alii, qui ex Pulvillis hiſce Phylacteria & Amuleta magica faciunt, quæ collo vel brachio appendebantur, quaſi iis tuti futuri eſſent homines contra hoſtium gladios. vid. HIERON. PRADUS in *Explanat. Proph. Ezechielis. p. 158.* ſeq. Quo minus autem album huic explicationi adjiciam calculum, facit, quod Interpretes hi ne unicum quidem locum, ex quo de ritu hocce informati fuerint, citarint, quo dictis ſuis fides conſtitiſſet. Certe in Sacris de ritu hocce nec volam nec veſtigium invenies.

Alii non proprie ſed metaphorice *Pulvillos* & *Pepla* accipiunt: THEODORETUS *Interpret. in Ezech. Innuit molliores ac mitiores ſermones: cervicalia enim & pulvinaria requietem quandam & ſolatium afferunt membris, quibus ſupponantur: & molliora verba cum falſa ſint, ad tempus aures titillant, ſed omnis generis everſiones animis afferunt.* Conſentit GREGOR. M. *Quisquis aut male agentibus adulatur, pulvillum ſub capite vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerit, in eo fultus laudibus molliter quieſcat.* * Poſſem

* Videatur quoque ORIGENES ſupra ſub fin. §. II. citatus.

Poſſem equidem verba HIERONYMI aliorumque exſcribere, ſed ex allatis ſatis jam patet, Patres textum noſtrum non literaliter ſed metaphorice explicaſſe. Bene omnino, ſi modo radicem & fundamentum explicationum ſuarum oſtendiſſent; omnibus enim tropicis loquendi formulis, ad aliquid re ipſa exiſtens alluditur. Dubium proin nullum eſt, quin h. l. ad ritum quendam ſive ſacrum ſive prophanum Deus reſpexerit. Tentabo nunc,num illum adinvenire queam.

Novit, quicunque rerum antiquarum rudis plane non eſt, Veteres tam Græcos quam Latinos epulantes non, ut nos ſolemus, ſediſſe *, ſed accubuiſſe **, vel ut SERVIUS ad *1. Æneid. lib. VI. v. 701.*

Aurea compoſuit ſponda mediamque locavit:

dixit, *ſtratis lectis epulaſſe*. Opera abuterer, ſi in prolixiorem rei hujus demonſtrationem ingrederer. Nolo pedem in agrum inferre, in quo tot ſeduli operarii mihi nec meſſem nec ſpicilegium reliquerunt. Videndum potius, quid moris apud Judæos fuerit. Sederunt hi vetuſtiſſimis temporibus, non accubuerunt. Hoc ex eo

 ma-

* Probe tamen notandum, vetuſtiſſimis temporibus & Græcos & Latinos ſediſſe, uti ex variis HOMERI & VIRGILII locis apparet, ſed paulatim creſcentibus deliciis exoleviſſe ſeſſionem, & in ejus locum ſucceſſiſſe accubitum non ſolum apud Græcos & Romanos, ſed etiam Afros & Barbaros.

** De modo Accumbendi veterum CIACCONIUS, URSINUS, STUCKIUS, HIER. MERCURIALIS & in hunc Cl. ZORNIUS. DION. LAMBINUS, GUIDO PANCIROLLUS, & in notis in hunc editis SALMUTH, ALSTORPHIUS, CASAUBONUS, SALMASIUS; LIPSIUS, ROSINUS & in hunc DEMPSTERUS, aliique complures ex profeſſo egerunt.

manifeſtum eſt, quod qui cibum ſumunt, ישב *ſedere*, in libris V. T. ſæpiſſime dicantur. In celebri illo convivio, quod Joſephus fratribus dedit, omnes ſediſſe memorantur, ישבו לפניו *ſederunt ante faciem ejus. Gen.* XLIII. 32. quod factum, ut PHILO *Jud.* ad. h. l. obſervat, *μήπω τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων, nondum recepto more ab hominibus ejus ætatis, accumbendi in conviviis.* De Levita & ejus ſocero dicitur ישבו ויאכלו שניהם יחדו *ſederunt & comederunt ambo una. Jud. XIX. 6.* Pariter David Jonathani inquit: *Ecce calendæ ſunt craſtino* ואנכי ישב אשב עם המלך לאכול *& ego certiſſime ſedebo cum Rege ad veſcendum. 1. Sam.XX. 5. & v. 24. 25. Et venerunt calendæ, & ſedit Rex apud panem ad veſcendum; Et ſedit Rex ſuper ſedem ſuam, ſecundum conſuetudinem, ſuper ſedem juxta parietem, & ſurrexit Jonathan, & ſedit Abner ex latere Saul.* Plura alia loca à Cl. BYNÆO *lib.1.De morte Jeſu Chriſti cap. III. p. 205. ſeq.* citata ſtudio prætermitto. Aſt tandem etiam accumbendi mos apud Hebræos inductus eſt. Quando ille cœperit non ſatis patet, nec jam inquiram, cum mihi ſufficiat oſtendiſſe, illum jam tempore Ezechielis in uſu fuiſſe; patet autem hoc vel maxime ex inſigni loco *cap. XXIII. 40. 41. Atque etiam, quia miſerunt ad viros venientes e longinquo, ad quos cum nuncius miſſus eſſet, ecce venerunt, quibus te lavaſti, circumliniſti oculos tuos, & ornaſti te mundo muliebri* : וישבת על מטה כבודהו ושלחן ערוך לפניה *& accubuiſti in lecto magnifico, coram quo menſa parata erat.** Succeſſu temporis, cumprimis poſt captivitatem Babylonicam, accumbendi mos totus invaluit, hinc non ſolum in Talmude ſæpius accubitus mentio fit **, ſed & in

* Ad quæ verba R. DAVID recte notat: *Moris enim erat apud ipſos* להסב במטות *accumbere in lectis, ut ex verbis Rabbinorum noſtrorum diſcimus.*

** Vid. BUXTORF. *Diſſertat. de Cœna Domini* §. 33. ſeq. LIGTFOOT. *Hor. Talmud. ad Matth. XXVI. 20. & ad Joh. XIII. 23.*

& in hiſtoria Evangelica, vid. ex. gr. *Luc. XXII. 18. Joh. XIII. 23. &c.* docent hoc & verba ipſa, quibus in re convivali perpetuo utuntur Evangeliſtæ, τὸ ἀνακεῖσθαι, ἀνακλίναι, ἀναπίπτειν, ἀναπεσεῖν &c. *

Qualis vero accubitus hic fuerit, erudite, ut ſolet, BYNÆUS *lib. I. de Morte Jeſu Chriſti, c. 3. p. 207. ſeq.* explicavit, qui & picturas duas elegantes cœnantium, ex vetuſtis monumentis deſumtas, ut eo melius res omnis intelligatur, apponi curavit. Scilicet in cœnaculo menſa collocabatur, vel quadrata vel rotunda, pro conditione hominum vel lignea vel citrea, vel lamina argentea intecta **. Circum menſam lecti erant, non diſſimiles illis in quibus dormiebant, longi paulo amplius quam ſtatura erat hominis. Hi interdum unum tantum cubantem capere poterant, interdum duos, ſæpius autem tres, aliquando etiam quatuor aut quinque. Inſternebantur porro aulæis purpura aut alia veſte ſtragula, pro copia aut inopia convivatoris. His ſtragulis injiciebantur pulvini triclinares dicti, in eo convivæ, prius poſitis calceis, ne lectum conſpurcarent ***, recumbebant, reclinata ſupera

* Huc attinet & locus *Marc. XIV. 15.* Ubi Chriſtus ad diſcipulos: καὶ αὐτὸς ὑμῖν δείξει ἀνώγεων μέγα ἐστρωμένον, ἕτοιμον. Ubi male B. LUTHERUS: **einen gepflaſterten**, melius *Noſtra*: **Einen Saal, der geſpreitet und bereitet iſt.** Optime *Belgæ* in ſuis annotationibus: Dat is, met tafels tœbereyt, ende met beddekens, daar op ſy eertyts plachten liggende te eten.

** Ordinariam menſam ita depingit BAVA BATHRA *fol. 57. 2. Qualisnam eſt menſa diſcipulorum ſapientum?* שני שלשי גירל ושליש גלאי ועליו קערות וירק : *Duæ partes de tribus ſtratæ ſunt mappa, & tertia pars nuda eſt, & ſuper iſtam partem diſpoſita ſunt ſcutellæ & olera.*

*** Clare id patet ex hiſtoria mulieris peccatricis, quæ ſtans à tergo lavit pedes Chriſti. Luc. VII: Plures Viri eruditi tabulas marmoreas exhibuerunt, in quibus vi-

ra parte corporis in cubitum ſiniſtrum *, capite breviter erecto.

Jam nunc videbo, qui hæc omnia ſcopo inſerviant, nec difficile etiam, ſpero, amplius id erit. Occurrunt nimirum nobis in phraſi divina duo conſideranda, a) Mores nempe populi & b) actio Prophetarum.

a.) Mores populi depinguntur metaphora epulantium. Vivide procul dubio! ut enim epulantes ſecuri ſunt, cuticulam curant, curas omnes abjiciunt, ſic & Iſraelitæ tempore Ezechielis, ſecure admodum, voluptatibus ſuis mancipati, vivebant: quicquid Ezechiel de ſubvertenda urbe, quicquid de imminentibus Dei plagis minabatur, fulgur ex pelvi reputabant, ſuſque omnia deque habebant, ſimiles illis, de quibus Moſes *Deuter. XXIX. 19. qui quidem verba maledictionis audiunt, nihilominus tamen ſibi ipſi in corde ſuo benedicunt, cogi-*

ſuntur pueri calceos detrahere cœnaturis, & nudis pedibus accumbere ipſi convivæ. Hinc MARTIALIS:

Depoſitis ſoleis, adfertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

* BERACOTH *cap. VI. 6. ſi accumbant, unus gratias agit pro omnibus.* addit Gloſſa: *iſte accubitus erat, cum inclinarent ſe in latus ſiniſtrum in lectulis, atque ederunt & biberunt ſic inclinati.* & R. SALOMON ad AMOS II. 8. *Omnis accubitus ad epulas fit cum inclinatione, quia accumbens innititur ſiniſtræ.* Iſtius modi accubitionem in cibo capiendo Iſraëlitæ geſtum non ſolum maxime idoneum reputarunt, ſed & pro Religione quadam habuerunt, uti ex TALM. HIEROS. *Peſachim* fol. 37. 2. videre eſt. Ratio quare thorax in cubitum ſiniſtrum ſit reclinatus, recte oſtenditur à R. SCHMUEL *Ben Meir in Toſephot ad l. c. Talm.* שהרי בימינו הוא צרי לאוכל *quia dextra cibum capere oportebat.*

gitantes: Pax nobis erit, licet ex ſententia animi noſtri ambulaverimus. Sæpiſſime Deus, quod bene notandum, quodque explicationi meæ non leve pondus addit, ſecuritatem carnalem emblemate epulantium depinxit, ut pluribus id exemplis confirmari poſſet, ſed ex iis utpote paſſim obviis, duo tantum ſeligam, ne lectori faſtidium ferant. Primum eſto illuſtris ille locus Amos. VI: 4. ubi Propheta jubetur væ annuntiare SECURIS *repellentibus diem mali* השכבים על מטות שן וסרחים על ערשתם ואכלים כרים מצאן ועגלים מתוך מרבק: *qui cubant in lectis eburneis, & extendunt ſe in ſtratis ſuis, qui comedunt agros è grege, & vitulos e loco in quo ſaginantur. Græci LXX. Interpretes* quidem vertunt: οἱ καθεύδοντες ἐπὶ κλινῶν ἐλεφαντίνων, quomodo & *Vulgatus* habet: *Qui dormiunt in lectis eburneis.* Quos alii ſequuntur. Sed de lectis, in quibus epulantes diſcumbebant, intelligi debere, ſuadet non ſolum notio vocis מטה, quæ de lecto diſcubitorio æque ſumitur quam de eo in quo dormitur, ſed cumprimis, quod hic de epulis ſermo ſit, ut vel cœcus videre poſſet *. Huc pertinent ſecundo verba D. SALVATORIS *Matth, XXIV. 38.* quibus ſecurum antediluvianorum animum ſic deſcribit: ὥσπερ γὰρ ἦσαν ἐν ταῖς ἡμέραις ταῖς πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ τρώγοντες καὶ πίνοντες κ. τ. λ.

b.) Secure epulanti populo pulvinaria, quibus innitatur, ſubſternebant molles & effœminati Prophetæ, i. e. populum à ſecuritate carnali non ſolum non dehortabantur, ſed omnes Dei minas ſtulti deridebant, non aliter ac ſi pax ipſis æterna foret, neque quies ab hoſtibus turbari poſſet.

Jubet itaque Deus, ut verbo omnia complectar,

* Neque mirum mentionem fieri de accubitu על מטה שן *ſuper lectis ex ebore factis,* eam enim conſuetudinem in ornandis lectis triclinaribus fuiſſe, abunde jam a Viris Doctiſſ. demonſtratum eſt.

Ezechielem Væ triſte minari falſis Prophetis, alloquium Dei mentientibus: Utitur, quo facilius intelligatur, quóque ἐμφατικοτέρως mentem ſuam exprimat, ſtylo non ſimplici, ſed pro more metaphorico, comparat ejusmodi homines cum uxoribus, pulvinaria, quæ epulantium cubitis olim ſubſternebantur, conſuentibus, quaſi dixiſſet: *Abi fili hominis & annuntia iram & judicia mea mollibus & effœminatis illis viris, qui dum populum à ſecuritate dehortari deberent, illi protenus falſo ſolatio pulvinaria, quibus innitantur atque ſecure cuticulam curare queant, ſubſternunt.*

§. IV.

Altera, quam Deus increpat, Pſeudoprophetarum actio, ex iis quæ hactenus diximus, facile explicatur, idcirco brevibus illam expediam. Exprimitur hiſce verbis: ועושות המספחות על ראש כל קומה: *Et facientibus culcitras ad caput omnis ſtaturæ.*

Quid per המספחות intelligendum ſit, Interpretes iterum variant. οἱ ό per ἐπιβόλαια vertunt, *Belgæ* per *Deksels.* KIMCHIUS vult idem eſſe cum מטפחות *, quod Cl. COCCEIO in *Lexico* ad hanc vocem non videtur. LUTHERUS per Pfulle, *Noſtra* per Haupt-Pfulwen, CLARIUS per *Pepla* vertit, & locum ſic explicat: *Mulierculæ illæ magica arte inſtructæ tenuiſſimos lineos pannos imponebant capitibus ſciſcitantium virorum, quaſi per hæc indumenta apti fierent ad ſuſcipiendum ſacrum oraculum. Quin & ipſæ interim ea, quæ commenta erant, inſipientium ingerebant auribus, quod ſcilicet hæc vel illa eis eventura eſſent.* Pepli notio placet & PELLICANO, aſt aliter longe locum explicandum putat: *Mulierculæ*, dicit, *Pepla & Velamina circumponebant capiti in conſpectu adſtantium, ut fortaſſis ſtultos inquiſitores licentius in occulto ridere poſſent.* Mitto, ob cauſas ſupra allatas, has aliorumque explicationes, & obſervo, quod vox noſtra, de qua

* Vid. R. NATHAN in *Sepher Jaïr Nathiſ. p. 606.*

qua diſceptatur, ἅπαξ λεγομένη; deſcendit illa à radice ספח quæ *aſſociandi* notione gaudet, hinc nonnulli, juxta BUXTORFIUM, generale illud nomen eſſe putant earum rerum, quibus aliquid conſtringitur & conjungitur, ut adhæreſcat. Quod ſi juxta hypotheſin hanc, cui quid opponi poſſit non video, ſenſum τῶν המספחות dare debeam, facile & Noſtræ & LUTHERI verſioni aſſenſum præbeo, quæ, ut vidimus, per Haupt-Pfulwen & Pfüll verterunt.

Progreditur namque Deus à minori ad majus, & reprehendit ſummam Pſeudoprophetarum proterviam, quod omni virium niſu contendant miſerum populum ad ſupremum ſecuritatis faſtigium ducere & ſomno ſecuritatis totum ſopire. Ut enim is, qui nimio cibo & potu ſtomachum adimplevit, facile obdormit, ſic & Iſraelitæ tempore Ezechielis in utramque aurem ſecure ſtertebant, adeo ut ne audito quidem tonitru vocis Dei evigilarent: hoſce falſi Prophetæ non ſolum non excitabant, quin potius cervicalia, ut molliter quieſcerent, ſubſternebant, dum verba Ezechielis & Jeremiæ cachinno excipiebant. Senſus itaque huc redit: *Væ effœminatis Vatibus, qui populum miſere decipiunt, dum illi acclamant: Nolite curare Prophetas Jehovah, edite cives, gulæ, crapulæ, pectora mulcenti ſomno ſecure vobis tradite, periculum nullum vobis imminet!*

§. V.

Facta erant cervicalia hæc על ראש כל קמה *ad caput omnis ſtaturæ:* für kleine und groſſe, h. e. Omnibus Pſeudoprophetæ hi mentiebantur, omnibus imponebant, jucunda quæque promittentes: *Templo* & *Urbi* conſervationem, *Regi* hoſtium certiſſimum exitium, *Senioribus* quietem inturbatam, *Viris* divitias, *Juvenibus* omne animi deſiderium & cujuscunque generis delicias, verbo כל־קומה omnibus blandiebantur, omnibus acclamabant: nolite Ezechieli credere, qui gaudia veſtra prophetiis ſuis auſteris turbare ſtudet.

§. VI.

Scopus tandem nefandus falſorum Vatum his innuitur verbis לצודד נפשות: *ad venandas animas.* Vocabulum צוד tam de aucupio, quam de vexatione ferarum, quibus tendiculæ, retia, vel ſimiles decipulæ tenduntur, uſurpari ſolet. Vid. *Gen. XXVII, 3. 33. Lev. XVII. 13.* Hinc metaphorice in Sacris fere ſemper in malam partem accipitur, & ad inſidias hoſtiles, hominis famæ, opibus, vitæ vel ſpirituali ac æternæ, vel temporali, ſtructas transfertur. *Prov. VI. 26. Et uxor viri* (i. e. adultera, uti ex *Lev. XX. 10.* videre eſt) נפש יקרה הצוד *animam pretioſam venatur. Thren. III. 53.* צוד צדוני כצפור *venando venati ſunt me ut aviculam. & IV. 18.* צדו צעדינו *venati ſunt greſſus noſtros.* Hoc itaque loco noſtro depinguntur falſi prophetæ ut Aucupes, quorum fiſtula dulce canebat, dum ſecurum populum verbis pompoſis atque dulcibus in ſuas partes alliciebant, ut ſibi ſolis, non veris Vatibus credat, & ſi qui illis adhuc adhærerent, omnibus artibus depravare ſtudebant. Merito ergo vapulant, merito væ illis indicatur.

§. VII.

Atqui hæc ſunt quæ de loco hocce commentari conſtitueram. Eſt omnino cur Deo O. M. gratias agamus, quod nobis tales Prophetas & Verbi ſui Miniſtros dederit, qui ſecuro peccatori neque pulvillos conſuunt, neque cervical ſubſternunt, qui potius unice in id intenti ſunt, qui ſoporem hominibus excutiant, dum illis acclamant: Γρηγορεῖτε, ὅτι ὀυκ οἴδατε ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κύριος ὑμῶν ἔρχεται. Benedicat benigniſſimus Jeſus porro ſanctiſſimis illorum laboribus!

אמן כן יהי רצון !

XI.

XI.

Nova Litteraria.

NOvam iterum mutationem pertulit Academia Bernenſis, cum enim Vir Rev. & Clariſſimus, JOHANNES EGGERUS, dum viveret V. D. M. & Philoſophiæ Profeſſor, die penultimo Octobris anni elapſi, rebus humanis eſſet ereptus, primo die Kalendarum Novembris terræ fuit redditus. Quæ autem circumſtantiæ notatu dignæ hac occaſione convenerint, ex hoc Programmate publico, in Funere ejus Portis Academicis affixo, colligi potes:

Q. D. B. V.

DUm in eo eſſemus, ut delatam Rectoratus ab Ampliſſimo Magiſtratu Provinciam Academicam ſolenni Oratione *de Servo deſidioſo, Talentum in terram defodiente*, feliciter auſpicaremur; dum jam ad Academiæ fores & dicendi argumentum & hora publice eſſet definita, qua Celeberrimi Profeſſores, ut & bonarum literarum Studioſi ad Muſarum ſolemnia inſtante tempore brumali omni alacritate & diligentia redauſpicanda convocarentur, eheu! nobis ob mortem Collegæ conjunctiſſimi Parentalia nunc in eandem horam indicenda, atque Cariſſimo Capiti inferiæ parandæ ſunt; poſtulat nunc in defunctum pietas, ut jam

De Servo Fideli in gaudium Domini ſui intrante publice verba faciamus, eadem hora, qua Vir Clariſſimus, Beatæ Mem. & ad laborem ſuum Academicum rediturus, lampadaque ſucceſſori ſuo traditurus fuerat. Cum ergo rebus humanis ereptus & ad cœleſtem beatitudinem & gloriæ æternæ coronam translatus fuerit *Vir plurimum Reverendus atque Celeberrimus*, *JOHAN-*

NES

NES EGGER, *V. D. M. atque Philoſophiæ Profeſſor P.* Ad Kalendas Novembris, poſt depoſitas hora ſecunda pomeridiana corporis exuvias, leſſum inſtituere, atque ultima ſacra ejusdem piis manibus debita exſolvere conſtituit JOH. GEORG. ALTMANNUS, V. D. M. Ling. Græcæ & Ethices Profeſſor P. Academiæ h. t. Rector *Oratione Funebri.* Ad quam benigne audiendam, Civitatis Proceres, Academiæ Curatores, Venerandi Paſtores, Clariſſimi atque Celeberrimi Profeſſores, Academiæ Cives, Bonarumque tandem Literarum Fautores, Cultores, atque Amici, eo quo par eſt cultu, convocantur, rogantur atque invitantur.„

Poſt ejus diſceſſum Cathedra Philoſophica, ita decernente Ampliſſimo Senatu, data & commiſſa Viro Pl. Reverendo atque Clariſſimo. JOH. RODOLPHO BRUNNERO, V. D. M. Eloq. & Hiſtoriarum hactenus Profeſſori Publico, qui etiam laboribus ſuis ordinariis initium fecit Oratione Inaugurali doctiſſima de *Criteriis Veræ Philoſophiæ*, quam propediem prælo excuſam expectamus.

Libri autem prodiere:

1. BIBLIA, das iſt: Die gantze H. Schrifft, alten und neuen Teſtaments, aus Hebräiſcher und Griechiſcher Sprach, in welchen ſie anfangs von den Propheten und Apoſtlen geſchrieben, nach der Überſetzung Johannis Piſcatoris, weiland Prof. der H. Schrifft zu Herborn, mit beygefügten und vermehrten Erklärungen, der dunckeln Geſchichten, Schatten und Sinnen-Bilderen, ꝛc. wie auch geiſtlichen Nutzanwendungen, von neuem ausgefertiget, unter allergnädigſtem Privilegio und Vorſchub des Hohen Stands) von einem Ehrwürdigen Convent Lobl. Stadt Bern. Verlegt

legt und gedruckt von Emannel Hortinus. 1737. Summam autem ad ejus impenſas expediendas ſuppeditavit Illuſtriſſ. Magiſtratus; continet plagulas 360. Ita autem in uſum publicum hæc prodiit editio nova, ut majori pretio, quam pro 40. bazenis, vendi à Typographo intra anni integri ſpatium non poſſit.

2. Diſſertatio Theologica textualis, *de magno Pietatis myſterio, in loc. 1. Tim. III. 16.* quam ſub Præſidio *Joh. Henr. RINGIERII*, S. S. Theol. Prof. Primarii, publice ventilandam propoſuit *Stephanus Dallos*, Comorino-Hungarus, Auctor & Reſp. Bernæ, 1736. 4. pl. 6.

3. Diſſertatio, hoc eſt Commentatio Theologica, *in Pſalmum CXXXIII.* quam ſub Præſidio *Samuelis SCHEURERI*. S. S. Theol. Prof. publice ventilandam propoſuit *Nicolaus Lyzkai*, Loſontzino-Hungarus, Auctor & Reſpondens, Bernæ, 1736. pl. 7.

4. Obſervationes miſcellæ, quas Præſide *Joh. Georg. ALTMANNO*. V. D. M. Ling. Græc. & Ethic. Prof. Pub. pro Diſputatione ordinaria amicorum examini ſubjecerunt *Theoph. Vœgelinus*, & *Joh. Ziegler*. Bernæ 1737. 4. pl. 2.

5. Diſquiſitio Philologico-Critica *in vexatiſſ. loc. 1. Cor. XI. 10.* quam Præſide *Joh. Georgio ALTMANNO*, pro viribus propugnarunt *Joh. Georgius Waſmer*, & *Johannes Schauenberg*: Philoſophiæ Studioſi. Bernæ, 1737. 4. pl. 3.

6. *Obſervationes Philologico-Criticæ, in Libros Novi Teſtamenti*, quibus vocibus & phraſibus difficilioribus lux affunditur, atque earundem ſenſus ex Antiquitate ſacra & profana declaratur, auctore *J. Georgio ALTMANNO*. Tom. I. *undecim priorum Capitum Evangelii S. Matthæi* explicationem continens. 8. plag. 25. Bernæ, apud Wagner & Muller. 1737.

7. Die wahre Mutter-Kirch, das Obere Jeruſalem, vorgeſtellt in einer Betrachtung der Worten Pauli Gal. IV: 26. und vorgetragen in einer Capitels-Predig. von Frie-

Friederich Lucio / Diener des H. Evangelii zu Kilchlindach. Bern, bey Em. Hortinus. 4. 1737. Bogen 5.

8. Joh. Heinrich Frieſen / Pfarrers bey St. Peter, erbauliche und Schrifftmäſſige Predigten über das VIII. XI. und XII. Cap. der Epiſtel an die Römer. Zürich, in der Bürckliſchen Druckerey. 1737. 4.

9. Joh. Conrad Wirzen, Archidiaconi, &c. Heilige Bibel-Ubung, oder deutliche und gründliche in Fragen und Antworten abgefaſſete Erklärung und Zueignung des Evangelii nach St. Lucä. Erſter Theil, in ſich begreiffend die XII. erſten Capitel. Zürich, in der Geßneriſchen Druckerey. 8. 1737.

10. *Johannis* SCHEUCHZERI, M. D. Prof. Philoſ. Nat. Ordinarii, &c. *Diſquiſitionis Phyſicæ de Meteoris Aqueis, Pars Secunda, ſiſtens materiam de Rore, Pruina, & iis affinibus.* Reſpp. Conr. Suizero, Jo. Ryſſio, Fel. Orellio, Caſp. Myllero, Dav. Kittio, & Melch. Sulzero, Vitodurano. Tiguri ex Officina Heidegg. 1737. 4. pl. 6.

11. *Joh. Jacobi* LAVATERI, S. Theol. Prof. Diſſertatio Theol. *de Prima Evang. Promiſſione. Gen. III. 15.* Reſpp. 4. Candid. iisdem, Suizero, Ryſſio, Kittio & Sulzero. Tiguri ex offic. Heidegg. 1737. 4. pag. 27.

12. BIBLIA: Das iſt, die gantze H. Schrifft, ſamt einer Vorrede von Hieronymo Burckhard. S. Th. D. & Pr. 8. Baſel, verlegts Joh. Rudolf Imhoff. 1736.

13. *La S. BIBLE,* qui contient le Vieux & le Nouveau Teſtament; revuë ſur les Originaux, & retouchée dans le langage; avec de petites Notes par feu *Mr. David MARTIN,* Miniſtre du S. Evangile à Utrecht. Nouvelle Édition revuë & corrigée. Med. 4. Basle chez J. R. Imhoff, avec les Caracteres d. J. H. Decker. 1736.

14. *Hermanni WITSII, Miſcellanea Sacra,* cum figuris æneis. II. Vol. Editio nova, cui acceſſit *Oratio de Auctoris Vita* ab *Joh. MARCKIO* habita. Additus præterea eſt, qui & ſeorſim venditur apud Imhoffium,

Ejusd.

Ejusd. Auctoris Judæus Chriſtianizans circa Principia Fidei, & SS. Trinitatem. Item, Diſſertatio Epiſtolica ad Ampl. Virum, Ulricum Huberum, in qua *de Scripturæ S. auctoritate divina, ex ſola Ratione adſtruenda; de Operationibus Spiritus S. in electis, mediatis an immediatis; de Conſcientia nunquam, aut aliquando, errante;* placide diſputatur. 4. Baſil. 1736.

15. **Ein wohlriechender Strauß von ſchönen und geſunden Himmels-Blumen, welche denen Heilsbegierigen Menſchen-Kindern zur Erweckung und zur Ergötzung, aus ſeinen gedruckten und ungedruckten Schrifften durch göttliche Gnaden-Hülff zuſammen geleſen und geflochten** Chriſtophilus Gratianus, **oder Samuel Lucius / Gärtner des Herren im Berneriſchen Oberland. 4. Baſel bey J. Rudolf Imhoff.** 1736. 1. **Theil.**

16. *KEMPIS Commun*, ou *les IV. Livres de l'Imitation de Jeſus-Chriſt*, traduits pour l'édification commune de tous les Chrétiens, qui deſirent de s'avancer dans le ſolide de la pieté. Sixieme edit. corrigée de nouveau, avec une Præface de *Mr. P. POIRET.* Basle chez J. R. Imhoff. 12. avec fig. 1736.

17. *Ægidii TSCHUDII*, **geweſenen Land-Ammans zu Glarus**, Chronicon Helveticum. **Zweyter Theil.** fol. **Baſel, in Verlegung Hans Jac. Biſchoff.** 1736.

18. *Felicis PLATERI, Praxis Medica*, cum Præf. *D. Eman. Kœnig*, Theor. P. P. Baſil. 4. 3. Vol. apud Thurniſios.

19. *Theſaurus Obſervationum Medicarum variarum*, experimentis Phyſico-Medicis pluribus, nec non ſcholiis & iconibus elegantiſſimis atque accuratiſſ. illuſtratus, collectus a *Joh. Jacobo HARDERO*, Phil. & Med. D. Anat. & Botan. Prof. Acad. Nat. cur. & Patavinæ Recuperatorum. fol. Baſ. apud Epiſcopium. 1736.

FINIS.

IN

IN SECTIONE SEPTIMA
exhibentur:

I. *Guilielmi* POSTELLI, Syriæ Deſcriptio. p. 349.
II. *J. Henr.* RINGIERI, Diſſertatio Theol. *de Conſenſu Proteſtantium in Doctrina de Prædeſtinatione.* p. 378.
III. *Anonymi* Epiſtola, in qua *Criticorum nonnullorum de Senſu Orationis Dominicæ Prophetico Judicium* eluditur. p. 410.
IV. *Jacobi* BRUGKERI, Diſſertatio Epiſtolaris *ad Joel. II. 23.* p. 423.
V. *J. R. S.* Conjecturæ in *Nummos quosdam Punicos*, in Turditania cuſos. p. 433.
VI. *Samuelis* KOENIGII, Specimina Arabiſmi *in Proverbiis Salomonis.* p. 447.
VII. *S. C. T. H.* Animadverſio Phyſico-Theol. in *Epiſtolam de Reſurrectione Mortuorum & ſtatu Corporum glorioſorum.* (quæ exſtat Tempe Helv. T. I. p. 411. ſqq.) p. 453.
VIII. *Jo. Georgii* ALTMANNI, Diſquiſitio Philologico-Crit. *in 1. Cor. XI. 10. de Muliere poteſtatem habente ſub marito capite.* p. 462.
IX. *Ejusdem* Reſponſio ad Epiſtolam A. U. S. *de Helvetia Græciſſante.* p. 479.
X. *J. Caſp.* HULDRICI, Diatribe *de Filiabus Iſraeliticis pulvillos conſuentibus ſub axillas manuum &c. ad Ezech. XIII. 17. 18.* p. 483.
XI. Nova Litteraria. p. 499.

* * * * * * * * *

TEMPE
HELVETICA,

Diſſertationes atque Obſervationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS,
CRITICAS, HISTORICAS,
EXHIBENS.

Tomi Secundi

Sectio Quarta.

TIGURI,
EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.
M DCC XXXVII.

Excellentiſſimo , Plurimum Vene-rando atque Celeberrimo

VIRO
JOH. van den HONERT,

Magni *TAC. HAI.* digniſſimo Filio.

S. S. Theologiæ Doctori, hujuſque Facultatis in Illuſtri Academia Lugdunenſi Batav. Profeſſori Ordinario,

ut & Eccleſiæ Leidenſis Paſtori facundiſſimo.

Doctrinæ, quæ ſecundum pietatem eſt, Propugnatori Fortiſſimo.

Honertiani Nominis atque Famæ

Ut Hæredi ita etiam Propagatori certiſſimo.

De Eccleſia Reformata

ut &

Republica Literaria

Optime merito

& in dies merenti,

Hujus

Hujus Collectionis Theologico-Philologicæ

SECTIONEM OCTAVAM,

Cum omnigenæ benedictionis atque felicitatis

VOTO,

Tanquam debitam cultus ſui declarationem

conſecrat,

Simulque Virum Eruditiſſimum

Ad

TEMPE HELVETICÆ

Augmentum

omni Obſervantia provocat

J. GEORGIUS ALTMANNUS

I.

J. GEORGII ALTMANNI

Diſquiſitio

Philologico-Critica,

ad Matth. IX: 23.

De conſuetudine Judæorum, defunctos cantu tibicinum deponentium.

In qua autem præcipue contra SPENCERUM aſſeritur, hunc ritum non a Gentilibus ad Judæos demigraſſe.

ARGUMENTUM.

§. I. Occaſio hujus Diſſertationis, Lis inter *Grotium* & *Spencerum*. II. Nexus hujus loci brevibus exhibetur. Mos demortuos cum cantu tibiæ deportandi Judæis & Græcis fuit communis & familiaris, quod probatur. Unde illum Græci hauſerint, apud auctores eſt incertum. III. Tranſiit à Græcis ad Romanos; Va-

rius tibiæ uſus apud Veteres deſcribitur. IV. *Grotii* ſententia proponitur, & variis argumentis firmatur; uſum tibiæ apud Judæos non à Græcis ad eos fuiſſe delatum, ſed illum tempore Prophetæ Jeremiæ apud ipſos exortum eſſe Hebræos; Simile exemplum cantus tibiarum in luctu ex Joſepho adfertur. V. *Spenceri* ſententia affertur, atque ipſius *primum* argumentum, a Silentio Scripturæ, examinatur & convellitur. VI. *Secundum* argumentum *Spenceri*, producitur, atque demonſtratur, nullam apud Judæos fuiſſe reconditam in cantu tibiarum ſuperſtitionem aut idololatriam. *Spencerus* contradictionis arguitur. Opinio gentilium de muſica cœleſti poſt hanc vitam ab ipſis Judæis hauſta videtur. Gentiles ipſi neſciebant, quem proprie in uſum cantu tibiarum in deducendo funere uterentur. VII. Conſequentia, quam ex moris hujus convenientia inter Judæos & Græcos nectere conatur *Spencerus*, examinatur atque refellitur. VIII. Contra *Spencerum* probatur, quod חליל non *citharam* vel *lyram*, ſed *tibiam* ſignificet. Varius uſus tibiæ in Sacris Judæorum demonſtratur. Veriſimilitudo affertur, uſum tibiarum antiquiſſimo jam tempore apud Hebræos fuiſſe familiarem, cauſa cantus feralis apud Judæos exhibetur. IX. In rationem inquiritur, quare Chriſtus in domo præfecti tibiam invenerit, cum puella modo eſſet mortua, & tandem demonſtratur, quæ in his ædibus fuerit *turba tumultum faciens*.

§. I.

§. I.

Cum noviſſime in eo eſſemus, ut Obſervationes noſtras Philologico-Criticas in libros N. Teſtamenti ulterius profligaremus, obvenit & hic locus, ad quem pro inſtituti noſtri ratione ea diximus, quæ ad breviorem illuſtrationem ſpectare videbantur. Cum autem res videretur longioris indaginis, quam ut breviores illæ obſervationes omnia ea ferre poſſent, quæ ad hanc rem dilucidandam, præſertim autem ad ſententiam *Spenceri* confutandam ſpectabant, conſtituimus prolixiorem in hanc rem diſquiſitionem ad hæc Miſcellanea Philologica transferre, & in ea argumenta *Spenceri* ita examinare, ut pateat lectori, quis de Origine hujus cultus melius judicaverit, an *Grotius*, cujus ſententiam defendimus, an *Spencerus*, qui data opera, & longo verborum & eruditionis apparatu hoc ſibi demonſtrandum eſſe exiſtimavit, Judæos hanc conſuetudinem etiam cum multis aliis à gentibus accepiſſe.

§. II.

Evangeliſta Matthæus in hoc capite varia recenſet miracula à Chriſto Salvatore noſtro exhibita, quibus & ſuam divinitatem, & miſſionem à Patre, Judæis publice declararet. Inter plurima Scriptor ſacer etiam deſcribit reſuſcitationem filiæ Præfecti Synagogæ, qui ad Chriſtum acceſſerat, eum orans ut filiam modo defunctam ad vitam revocaret. Tot jam inſignis erat Salvator noſter in tota Palæſtina, Galilæis præſertim partibus, miraculis & beneficiis, ut hic Præfectus Synagogæ dubitare neutiquam poſſet, Chriſtum pro ſua in populum Judaicum clementia & bonitate filiam ſuam reſuſcitaturum. Accedit hinc ad divinum Medicum, eum orans Cap. IX: 18. ut in domum ejus

deſcendens, impoſita manu eam ad vitam vellet revocare. Dum hæc geruntur, mulier ſanguinis fluxu laborans à tergo accedit, tangitque fimbriam veſtimenti Domini noſtri, qui ad eam converſus, fidem ejus reſpiciens, benigniſſime illam à morbo liberavit. Dum hæc fiunt, dum Chriſtus hanc pauperculam ſanat, atque cum ea confabulatur, haud dubie in domo præfecti Synagogæ omnia ea geruntur, quæ ad funus pro gentis conſuetudine efferendum requirebantur. Hinc adveniens, in ædibus Præfecti Synagogæ invenit tibicines, atque turbam tumultum ſuſcitantem. Verba Evangeliſtæ hæc ſunt commate 23. Και ἐλθων ὁ Ἰησȣς ἐις την οἰκιαν τȣ ἀρχοντος, καὶ ἰδων τȣς ἀυλητας, καὶ τον ὀχλον θορυβȣμενον, λεγει ἀυτοις; Ἀναχωρειτε, ȣ̓ γαρ ἀπεθανε το κορασιον, ἀλλα καθευδει. Ritum hunc funebrem priſcis & Judæis, & Græcis, & Romanis admodum familiarem & communem nobis deſcribunt Scriptores paſſim. De Judæis nos dubitare non ſinunt Scripta Judæorum, cum apud eos lex eſſet, *ut etiam pauperrimus Iſraelitarum mortuam uxorem efferret ad lamentabilem cantum duarum tibiarum, & lamentatricis unius;* hæc autem prolixius probavit *Ligthfootus in Hor. Hebr. ad h. locum, & Gejerus de luctu Ebræorum cap. 5.* quos jam heic exſcribere nolumus. Græcis etiam antiquioribus hunc ritum fuiſſe communem, plurima Græcorum nos docent teſtimonia. *Artemidor. Lib. I. cap. 58.* ἀυλειν πυθικοις ἀυλοις πενθος. *Pythicis tibiis canere, luctum ſignificat.* Rem eandem nobis probat *Euripid. in Alceſt.*

Ἀυλων δε μη κατ᾽ ἀςυ, μη λυρας κτυπος
Ἐςω σεληνας δωδεκ᾽ ἐκπληρομενας,
Ου γαρ τιν᾽ ἀλλον φιλτερον θαψω νεκρον.

Tibiarum vero per urbem neque lyræ ſit ſtrepitus
Per duodecim menſes integros,
Non enim ullum aliud charius cadaver ſepeliam.

Alia

Alia adhuc teſtimonia congeſta vide apud *Pfeifferum in antiq. Græc. p. 736.* Unde autem Græci hunc morem primitus acceperint, de eo hactenus auctores non conſentiunt, cum *Plutarchus* putet, Lydios funeribus primos ceciniſſe, *Pollux* autem Phrygibus adſcribit inventionem hujus concentus feralis, *Lib. IV. cap. 10. p. m. 390.* λεγεται δε καὶ Φρυγας ἑυρειν ἀυλον θρηνητικον, ῳ κεχρησθαι τυς καρας, παρ ἐκεινων λαβοντας, θρηνωδες γαρ το ἀυλον το καρικον. *Fertur enim Phryges tibiam lugubrem inveniſſe, qua ab ipſis accepta Cares etiam utuntur, tibiæ enim cantus, quo Cares utuntur, lugubris eſt.* Quare vero tibia ad hunc concentum lamentabilem fuerit adhibita, ratio alia dari vix poteſt, quam quod ad muſicam feralem viſa fuerit tibia commodiſſima & maxime apta, ſonum edens acutum admodum; licet ejus uſus priſco tempore fuerit in omnibus fere Deorum Sacris admodum communis, ut hæc omnia prolixius docet illuſtris *Ezech. Spanhemius ad Callimach. p. 294.* Tibiarum autem genera erant diverſa.

§. III.

Tranſiit hic mos à Græcis ad Romanos, quemadmodum plurimæ conſuetudines Romanæ ex variis Græciæ & Orientis partibus Romam translatæ, ut hac de re teſtis eſt *Juvenal. Sat. III. 60.*

- - Non poſſum ferre Quirites
Græcam urbem, quamvis quota portio fæcis Achei?
Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit.

In eandem etiam ſententiam abit *Hyginus. fab. 274. p. m. 329. Pyrrhenus Herculis filius tubam primus invenit, hac ratione, quod cum carne humana comites ejus veſcerentur, ob crudelitatem incolæ circa regionem diffugerunt, tunc ille, quia*

 ex

ex eorum deceſſerat numero, concha pertuſa buccinavit, & pagum convocavit, teſtatique ſunt, ſe mortuum ſepulturæ dare, nec conſumere, unde tuba Tyrrhenum melos dicitur; quod exemplum hodie Romani ſervant, & cum aliquis deceſſit, tubicines cantant, & amici convocantur, teſtandi gratia, eum neque veneno, neque ferro interiiſſe. De hoc vero ritu apud Romanos conſueto plurima occurrunt apud Scriptores teſtimonia, *Propert. Lib. II. Eleg. 7,*

Ah mea tum quales caneret tibi Cinthia ſomnos,
Tibia, funeſta triſtior illa tuba.

Et *Ovid. Faſtor. Lib. VI. verſ. 657.* hunc ritum etiam ad Græcos refert:

Temporibus veterum tibicinis uſus avorum
Magnus, & in magno ſemper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœſtis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor, tempusque ſecutum,
Quod ſubito Graiæ frangeret artis opus.
Adde quod ædilis, pompam qui funeris irent
Artifices ſolos juſſerat eſſe decem.

Alludit his poëta ad effuſam illam Romanorum in funeribus luxuriam, qua inducti ultra facultates ſuas tanta copia tibicinum funera ornabant, ut Decemviri effrenem illam conſuetudinem lege conſtringerent, ut dehinc in funere non plures eſſent tibicines quam decem. Tibia autem utebantur ad omnia plane funera deducenda, nec difficultatem creare poteſt auctoritas quorundam ſcriptorum, qualis eſt *Servii*, *Scholiaſtis Virgilii*, dicentis, quod funera minoris ætatis hominum, qualia ſunt puerorum & puellarum, tibia, majoris autem ætatis, tuba fuerint prolata. In his autem difficultas nulla, cum funera hominum adultæ ætatis tantum fuerint *indictiva;* ea autem dicebantur indictiva, ad quæ per præconem populus convocabatur. Nihilominus tamen

tamen, licet ad indictiva funera tuba fuerit adhibita, etiam tibia in iis cum tuba audiebatur, ut hoc patet ex loco *Senecæ*, de funere Claudii in Ἀποκολοκυντ. *Erat omnium formoſiſſimum Claudii funus, ut ſcires Deum efferri, tibicinum, cornicinumque omnis generis tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire poſſet. Kirchmannus de funerib. Lib. II. cap. 5.* Legibus autem ut jam dictum compreſſa hæc Romanorum in funeribus deducendis luxuria, ne forſan homines eſſent honeſte moriendi facultate deſtituti. Salutariter autem & commode plurimæ Germaniæ urbes, in quibus longe major ad moriendum, quam ad honeſte vivendum ſumtus requiritur, ex his Romanorum legibus exemplum capere poſſent vel regulam, qua ineptos, inſulſos, ridiculos & ab omni plane ratione remotos ritus & nefandis ſumtibus cadavera deducendi conſuetudinem abrogarent & tollerent. Adeo autem nil ſani, nil integri huic mori ineſt, ut ego ſatis mirari non poſſim, homines ſanos & variis literis imbutos, ulterius ſtultam hanc conſuetudinem, qua miſeri ſæpiſſime liberi, non parentum tantummodo, ſed & bonorum hæreditate modica relictorum jacturam faciunt, quaque integræ civitates premuntur & gravantur, ferre poſſe. Nec certe ſanus eſt, quod audacter affirmare poſſum, cui ſtulta hæc luxuria non bilem vel iocum moveat. Tanta autem illa hactenus fuit & inveterata, ut bonæ & ſalutares vel Civitatum vel Principum leges illam domare & compeſcere non potuerint. Maxima autem in egregie veſtiendis defunctorum cadaveribus, & cum togis pictis ſericis &c. ſepeliendis, verſatur dementia, quæ tanta eſt, ut nec rationem vel excuſationem ullam admittere poſſit. O Medici, Medici, huc accurrite, mediamque pertundite venam.

§. IV.

Hæc jam de veterum ritu funebri promiſcuo quantum ſatis eſt. Videndum nunc, undenam hæc

conſuetudo, etiam apud gentem Judaicam recepta, ad illam dimanarit. *Grotius* in Commentario ſuo ad h. c. *Puto inquit falli eos, qui à profanis gentibus morem hunc ad Hebræos putant deductum, recte enim ab aliis demonſtratum eſt, extare in antiquiſſimis Hebræorum ſcriptis ejus moris veſtigia, ſicut & præficarum mentio eſt apud Prophetam Jeremiam cap. 9: 17. Sic dixit Deus Jehovah exercituum, animadvertite, & advocate lamentatrices, ut veniant. Neque in Lege ulla ejus interdictio invenitur.* Hæc ſunt quæ Vir ſummus in patrocinium ſuæ cauſæ attulit, non enim in eo loco hoc egit, ut hanc ſuam ſententiam prolixis verbis & plurimis argumentis defenderet, alias haud dubie etiam attuliſſet & alia adhuc loca, ex quibus & origo & conſuetudo funera cum concentu muſico deportandi potuiſſet evinci. Originem, quantum ego video, hujus moris & auctorem, nobis luculentis verbis deſcribit Scriptor Sacer. 2. Chron. XXXV: 25. *Et lamentatus eſt Jeremiah ſuper Joſiah, & dixerunt* כל השירים והשרות *omnes cantores & cantatrices lamentationes ſuper Joſiah, usque hodie, & dederunt ea in ſtatutum ſuper Iſrael.* Ex his verbis ego colligo. 1. Quod hic mos natus ſit tempore mortis Regis Joſiæ, in cujus memoriam & laudem hymnos compoſitos decantabant, ſive id factum fuerit in funeris depoſitione aut in ejus ædibus. 2. Quod hic mos auctorem habuerit ipſum Jeremiam, cujus exemplum ſequebantur cantores omnes & cantatrices; cum autem id factum fuerit a cantatoribus & cantatricibus omnibus, facile exinde colligitur, hos hymnos funebres non tantum voce ſonora fuiſſe decantatos, ſed accedentibus etiam inſtrumentis muſicis hæc carmina funebria facta fuiſſe auguſtiora. Abiit hoc in *ſtatutum*, per quod ego nihil aliud intelligo, quam continuatam conſuetudinem & celebrandi ſingulis annis memoriam Regni Joſiæ, & in funere regum bene meritorum hunc ritum continuandi edictum; ut autem à magnatibus ex innata mortalibus aut ſuperbia aut imitandi proclivitate, plurimæ conſue-

tudines

tudines ad plebem translatæ, ita etiam haud dubie primitus mos hic ad primores & ſpectatos in gente Judaica viros, & tandem etiam ad populum fuit traductus; eundem hunc ritum etiam probant verba Jeremiæ Prophetæ cap. XLVIII: 36. *Propterea cor meum ob Moabum inſtar tibiarum fremit, & iterum cor meum fremit inſtar tibiarum ob homines Kir-Chereſch.* In his autem videmus manifeſtam admodum alluſionem ad tibiarum cantum in funeribus receptum, quod ita manifeſtum eſt, ut & ipſe *Spencerus* illud negare non poſſit, hinc levi certe perfugio ad hoc argumentum reſpondet, quod per חלילים non *tibiam* tantum, ſed & aliud etiam inſtrumentum muſicum poſſimus intelligere, quod autem argumentum, cujus ponderis ſit, mox videbimus. Muſicam vero jam antiquiſſimo tempore in luctu apud Hebræos fuiſſe adhibitam, nos manifeſte docent filiæ Iſraelitarum, quotannis ad deflendam filiam Jephtæ in montes procedentes, Jud. XI. 42. & David in lamentatione ſua de Saule occiſo 2. Sam. I: 24. *Filiæ Iſraelis plangite de Saule, qui veſtiebat vos dibapho & deliciis.* Ita autem de hoc ritu diſſerit Rev. & Doctiſſ. *Ewald. Emblem. Sacr. Tom. II. exercit. 3. p. 82.* Hunc autem Judæorum ritum etiam poſterioribus temporibus adhuc apud Judæos fuiſſe communem & receptum, nos clariſſimis verbis docet luculentus admodum rerum Judaicarum Scriptor *Joſephus de Bell. Jud. Lib. III. cap. 9. p. m. edit. Havercamp. 252.* Judæorum luctum cum Joſephum necatum crederent ita deſcribens: το δε ἐπι τω ςρατεγω πενθος ἐδημοσιευθη, και οἱ μεν ξενυς, οἱ δε συγγενεις, οἱ δε φιλυς, οἱ δε ἀδελφυς ἐθρηνυν, τον δε Ιοσηπον παντες, ὡς ἐπι τριακοςην μεν ἡμεραν μη διαλιπειν τας ὀλοφυρσεις ἐν τη πολει, πλειςυς δε μισθυσθαι τυς ἀυλητας, οἱ θρηνων ἐξηρχον ἀυτοις. *Luctus vero ducis publicus erat, & hi quidem hoſpites, alii propinquos, alii amicos, nonnulli etiam fratres plorabant, Joſephum autem univerſi, adeo ut per triginta dies fletus & lamentatio in civitate non ceſſaverint, plurimosque conduxerint tibicines, qui ſibi leſſu prairent.*

§. V.

§ V.

Cum Scopus Diſſertationis proprie eo tendat, ut contra *Spencerum* evincamus, Judæos hunc ritum non à Græcis accepiſſe, videndum, quibus utatur Vir doctus rationibus ad hanc ſententiam evincendam. De hujus vero conſuetudinis origine hæc habet *Lib. IV. cap. 9. p. m. 1136. Hic autem haud immerito quæri poſſet, unde mos ille Judaicus originem traxerit, vel qui factum ſit, ut Judæi, nulla lege juſſi, ad familiam funeſtam tibicines advocaverint; Reſpondeo: Veriſimile habeo, moris hujus originem ad Græcos referendam eſſe, eumque à Græcis ad Judæos, ſub Macedonici imperii tempora deveniſſe.* Hujus vero ſententiæ ſuæ rationes *Spencerus* affert ſequentes:

I. Quod in Scriptis V. Teſtamenti ne minimum quidem occurrat hujus conſuetudinis veſtigium, cum tamen de luctu ſeptemdiali, comeſtione panis hominum & miſerorum, conventu in domo luctus, cantu lugubri &c. apud Scriptores fiat mentio. Sed ad hæc facile reſpondetur, primo quidem quod ex ſilentio Scriptorum Sacrorum in rebus ad Salutem non ſpectantibus nihil concludi poſſit, cum plurimi ritus apud Judæos fuerint in uſu, quorum nec vola nec veſtigium in Sacra pagina compareт, & qui ideo vel ex libris exoticorum vel Judæorum ſcriptis erui debent, ut hoc ita notum, ut ne quidem probatione ulla opus ſit: Nullum autem occurrere in Scriptis V. Teſtamenti hujus conſuetudinis teſtimonium gratis ſupponit doctiſſimus *Spencerus*, cum ex allatis modo teſtimoniis ſatis pateat, Scriptores Sacros ad hanc conſuetudinem reſpexiſſe, hinc *Schikardus de Jure Reg. Hebræor. cap. VI. p. 162* quem in patrocinium ſuæ cauſæ citat, quorſum ſe vertat in re dubia neſcius, tandem hæc habet: *An Siticines adhibuerint Veteres Hebræi, equidem ignoro, inquiſivi curioſe, ſed nondum reperi, niſi forſan* המקוננות *lamentatrices fœminæ Jer. IX: 17. huc referri debeant, quæ anus precio conductæ, ululatu ſuo lugentibus lacrimas eliciebant, ut apud*

apud Romanos præficæ. Cum ergo hymnos lugubres decantaverint, cum præficas eo plane modo quo Græci & Romani adhibuerint, cum tibiarum tanquam inſtrumenti lugubris ipſe propheta mentionem faciat, facile concluditur, Judæis omnino jam priſco tempore in more poſitum fuiſſe, demortuos ſuos cantu tibiarum & præficarum deflere eo plane modo, quo id tempore Chriſti & Apoſtolorum factum fuiſſe legimus, cum tempus nullum poſſit determinari, quo ad imitationem gentilium præficis tibiarum uſus fuiſſet adjectus; & cum ipſe fateatur Vir doctus, cantus lugubres apud Hebræos tempore Prophetarum jam fuiſſe receptos, nulla adferri poteſt ratio, quare crederemus, illos ſola voce, non autem adhibitis inſtrumentis muſicis, fuiſſe celebratos.

§. VI.

II. Ad ſecundum jam *Spenceri* argumentum procedendum eſt, quo ſe probaturum contendit, hunc Judæorum morem antiquiore tempore non fuiſſe receptum, ideoque poſteriore demum ætate à Græcis ad Judæos translatum, *quia gentilium ruditatem & ſuperſtitionem ſapiat.* Ad quam theſin probandam tribus utitur argumentis: *1. Quod uſus muſices in funeribus ſapiat rudem & indoctam ſententiam veterum Ethnicorum de Muſica cœlorum, & defunctorum ſtatu. 2. Quod ex hoc ritu pateat, Veteres gentiles deflere voluiſſe defunctos, quia nullam habuerint immortalitatis ſpem, nec vitæ futuræ vel reſurrectionis cognitionem. 3. Quod gentiles exiſtimaverint, Sicinniſtas iſtos & præficas ſpectra & malos genios, defuncto vel familiæ funeſtæ inimicos, cantu ſuo abigere.* Quid autem ad hæc Viri doctiſſimi argumenta reſpondendum ſit, modo videbimus. Ante omnia autem notandum, Virum celeberrimum ſibi non conſtare, vel dictorum non eſſe memorem; ſæpius enim tantum in eo eſt, ut probet, Judæos hunc ritum à Gentibus accepiſſe, mox poſtea negat hanc conſuetudinem priſco Judæorum tempore ob-

obtinuiſſe. Licet autem concedamus, illum ſuam tantum probare ſententiam, quam primo propoſuerat, *quod hic ritus à Græcis ad Judæos tempore imperii Macedonici tranſierit*, nihilominus tamen facile videbimus, & in hac probatione talia afferre Virum doctum argumenta, quæ modicam admodum vim ſecum ferunt, ad ſuam hypotheſin rite probandam. Quæ enim profert ad demonſtrandum, cantum tibiarum in funeribus ideo *gentilium ruditatem & ſuperſtitionem ſapere, quia gentilium myſtæ crediderint, animas defunctorum ad dulcedinis Muſicæ originem, nempe in Cœlum redire*, plane non evincunt, hunc ritum gentiliſmum aut ineptam fidem idololatricam redolere, cum potius ex his probare poſſemus, Gentiles Muſicam Sacris intuliſſe ad exemplum Judæorum, cum Deus etiam Muſicam tanquam partem ſui cultus in canticis eſſe voluerit, ut devotio, gaudium ſpirituale, aliique cultum Sacrum promoventes affectus excitarentur; tum etiam ut hoc ſuavi modulamine Levitarum & Sacerdotum in templo præludium exhiberetur cantici novi in diebus Meſſiæ decinendi, Pſalm. XXXIII: 3. XCVI: 1. Et quid tum: Ponamus gentiles hoc modo indicare voluiſſe, animas defunctorum jam muſicam celebrare in Cœlo, an à vera doctrina, an à Scripturæ dictamine aliena & remota hæc fuiſſet opinio, cum inter illuſtres æternæ gloriæ & lætitiæ deſcriptiones Spiritus Sanctus cantum recenſeat, hinc cœlo cantus tribuitur Eſaj. XLII: 10. & ſtantes illi victores ad mare vitreum & pellucidum, dicuntur *cantare cantum Moſis & agni*. Apoc. XV: 3. Sed in ſecundo ſuo argumento Vir doctus primum plane evertit, dicens, *quod gentiles cantum tibiarum ad deducenda funera adhibuerint, quia futuræ vitæ cognitione deſtituti, neceſſarios ſuos, hac vita mortali defunctos quaſi jam penitus amiſſos crediderint*. Quomodo ergo verum eſſe poteſt, quod gentiles crediderint, defunctos gaudere Muſica in cœlo, ſi nullam futuræ vitæ cognitionem

tionem habuerunt, ſi crediderent, mortem omnibus finem imponere? Noverat autem Vir eruditiſſimus aliam longeque diverſam habuiſſe gentiles, pauciſſimis tantum exceptis, de anima & ſtatu defunctorum ſententiam, hinc jam poëtarum antiquiſſimus *Heſiod. in* Ἐργ. καὶ ἡμερ. *verſ. 121.* Præmia bonorum recenſens ait:

Αὐταρ ἐπει κεν τουτο γενος κατα γαια καλυψεν
Τοι μεν δαιμονες εἰσι, Διος μεγαλου δια βουλας.

Verum poſtquam boc genus terra abſcondit,
Ii quidem dæmones facti ſunt, Jovis magni conſilio.

Imo certe tota Græcorum Romanorumque Philoſophorum turba ubique id egit, Epicurum ſi excipiamus, ut probet immortalitatem animæ, præmia bonorum poſt hanc vitam, pœnasque malorum, ut id innumeris teſtimoniis declaravit *Tobias Pfannerus in Syſtemate Theol. gentil. purioris. p. 460. & ſeqq.* Notandum præterea, quod inter ipſos Scriptores gentiles non conſtet, quem in uſum, & quam ob rationem & præficæ & cantus tibiarum in funeribus fuerit adhibitus. *Macrobius Lib. II. Som. Scip. cap. 3.* equidem tradit, quod hic ritus natus ſit ex *perſuaſione, qua poſt corpus, animæ ad originem dulcedinis Muſicæ, id eſt ad cælum redire credantur.* Solus *Scholiaſtes Theocriti* tradit, quod cantus tibiarum fuerit adhibitus ad avertenda ſpectra & dæmonum ludibria, ut hæc probat *Hadr. Junius in animadverſ. Lib. III. cap. 9. p. m. 178.* Mihi vero admodum videtur veritati conſentaneum, tibiarum cantum adhibitum in funere, ut præficarum ejulatum hoc modo adjuvarent, ſicque & alios ad luctum & lachrimas commoverent. Occaſio haud dubie inde nata, quia priſcis uſus Muſices in omnibus fere ſolennitatibus communis, ut nos docet *Mart. Capella de Nup. Philolog. Lib. IX. Cretes ad citharam dimicabant; Lacedæmonii ad tibias; nec ante adgrediebantur fata præliorum; priusquam illis contingeret litare Muſis; & Lacedæmonios in Græcia, in Italia Sibaritas tibicines ad prælia præire, quis*

neſciat? Ebrios juvenes perindeque improbius petulantes, Damon, unus è ſectatoribus meis, modulorum gravitate perdomuit, quippe tibicini Spondæum canere jubens, temulentæ dementiam perturbationis infregit. Apud Judæos hic mos haud dubie inde tantum natus, ut hoc modo etiam luctum augerent, cum nulla vere fuerit natio, quæ majore ſolennitate mortuos ſuos fuerit proſequuta, ut hoc jam Patriarcharum exemplis plurimis conſtat.

§. VII.

III. Tertium argumentum *Spenceri* tale eſt, ut ex illo contra ſententiam Grotii nihil poſſimus elicere, putat enim, *credibile eſſe, hunc ritum à Græcis ad Judæos ideo translatum exiſtimandum eſſe, quia cum moribus Gentilium in omnibus conveniat.* Ad quod facile reſpondetur, quod nobis hoc tantum in hac conſuetudine cognitum ſit, & Judæos & Græcos tibiis in funeribus adducendis fuiſſe uſos, quæ autem alia plura erant in hoc ritu funebri, in iis plane erant diverſi, hinc nulla tubæ, nulla aliarum ceremoniarum Gentilium in funere Judaico mentio, imo etiam in tibiis magna erat inter Gentiles & Judæos differentia, quod facile cognoſcimus ex verbis Maimonidis, Judæorum doctiſſimi, qui expreſſiſſimis verbis ait, quod licitum non fuerit Judæis lugubre carmen canere tibiis idololatrarum. *De Idololatr. cap. IX. Sect. 10. p. m. 66.* Sed ponamus, eandem deducendi funeris rationem fuiſſe & apud Græcos, & apud Judæos, an non eadem plane veriſimilitudine poſſemus concludere, ritum hunc eſſe origine Judaicum & ad Græcos translatum, quia in omnibus Græci cum Judæis hac in re conſentiant, cum plurima Sacra, ritus, dogmata, conſuetudines à Judæis ad gentes fuerint delata, ut hoc ab Huetio, aliisque viris doctis dudum probatum & evictum; Nec certe ex teſtimonio Plutarchi, aſſerentis, quod priſco tempore tibia ad luctum tantummodo fuerit adhibita, quid-

quidquam efficiet, cum plane contrarium appareat ex loco *Ovidii* jam ſuperius citato. *Faſtor. Lib. VI. verſ. 657.*

Temporibus veterum tibicinis uſus avorum
Magnus, & in magno ſemper honore fuit,
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis. &c.

Tibiis autem in ſolennitatibus in lætitiæ teſtimonium & Judæos fuiſſe uſos, nos docet Eſaias cap. V. 12. *in quorum conviviis eſt Cithara, ac nablium & tympanum, tibiaque ac vinum, opus autem Jehovæ non intuentur, & factum manuum ejus non conſiderant.* & Eſaj. XXX: 29. *canticum erit vobis nocte ſanctificatæ ſolennitatis & lætitia ſicut cordis euntis cum tibia.* Alia inſuper exempla hoc firmantia vide 1. Reg. 1: 40. & Judith. 3: 10. Plura vero de his lege in Doctiſſ. *Zornii Biblioth. antiquaria & exegetica p. 581. & Salom. van Till. Lib. de Muſica Vet. Hebræor. p. 65. & p. 469.*

§. VIII.

Pergit porro doctiſſimus *Spencerus* in probationibus ſuis, quas certe ſæpius obtorto collo in forum ſuum producit, atque inde argumentum petit, *quod Lydii & Phryges primi fuerint, qui tibiam ad luctum feralem traduxerint.* Ad hæc facile occurritur dicendo, quod forſan inter gentes Lydii & Phryges primi fuerint, qui tibiam ad luctum adhibuerint; ſed quæ inde conſequentia, Phryges introduxerunt uſum tibiæ apud gentes, ergo & apud Judæos. Ut autem omnem moveat lapidem, ad ſententiam ſuam probandam Spencerus, pergit tandem ad ea loca V. Teſtamenti, quæ ſuperius à nobis fuere producta, ad demonſtrandum, quod uſus Muſicæ & tibiarum jam tempore Prophetarum adhibitus fuerit, & primo quidem producit locum Jer. XLVIII: 36. quem equidem Judæi & tota fere caterva interpretum & veterum & recentiorum ita explicat, ut ad noſtram theſin probandam nihil

hil inveniatur convenientius, ipſe autem Vir doctus magno conatu id agit, ut probet per חליל Prophetam intelligere non *tibiam*, ſed *citharam*, vel *lyram*. Hæc autem interpretatio à mente Virorum eruditiſſimorum adeo eſt remota, ut vix vel unum inventurus ſit, qui in ejus abire velit ſententiam. Ita vero ad hanc vocem *Buxtorfius in Lex. Talmud p. 766.* חליל *tibia, ſic dicta, quod excavata ſit, & perforata; Judæi Germanice reddunt* eine Schalmeye, *hoc eſt tibia longa; & harum tibiarum uſus apud Hebræos duplex erat, in hilaritate & gaudio, & in luctu, & de duplici hoc uſu frequens mentio apud Talmudicos. Uſus tibiarum ad lætitiam erat quoque in templo, in feſto Tabernaculorum, de quo vide Talm. Succa cap. 5. quod* החליל *incipit*, החליל של בית השואבה *Tibia domus Schoabah non pellit, neque Sabbatum, neque diem bonum. Uſus erat tibiarum in oblationibus, unde in Talm. Erchin. cap. 2.* אין פוחתין משני חלילין ולא מוסיפין על שנים עשר *Non utuntur paucioribus quam duabus tibiis in ſanctuario, & non pluribus quam duodecim, & in die duodecimo anni tibia pulſatur coram altari, hæc vocatur* חליל הקרבן *Tibia oblationis.* Ex his facile videmus, quam inane ſit Viri doctiſſimi hac in re effugium. Hinc etiam certe fruſtra pugnat contra omnium interpretum & Judæorum & Chriſtianorum circa hanc vocem ſententiam; & ex dictis modo ex Buxtorffio allatis etiam colligimus, quod uſus tibiarum apud Judæos etiam fuerit & antiquiſſimus & communiſſimus, adeo ut non neceſſe ſit tibiarum uſum à Græcis ad uſum ſacrum & lugubrem ad Judæos transferre. Ratio vero, quare uſus tibiarum apud omnes gentes ſit antiquiſſimus, haud dubie ex eo peti debet, quia nullum inſtrumentum muſicum minorem requirit artem, facile enim ex ligno excavato & ex oſſibus tibia paratur. Addendum & hoc, quod tibiæ artificiales non Lydorum aut Phrygum ſit inventum, ſed Phœnicum, quæ omnia prolixius probat Illuſtris *Spanhemius in not. ad Callimach. p. 294.* Ex his

his jam contra Spencerum concludimus, nullum adeſſe argumentum, quo moti credere poſſemus, uſum tibiarum apud Judæos non priſco tempore invaluiſſe, illumque poſteriori demum ætate à Græcis tranſiiſſe ad Hebræos, nec ullum etiam determinari poſſe tempus, quo uſus hic à Gentibus ad Judaicum populum fuiſſet translatus. Addendum tandem & hoc; quod nullo plane modo veritati ſit conſentaneum, quod Judæi poſteriore ætate hunc ritum à gentibus idololatricis recepturi fuiſſent, cum probe conſtet, quanto horrore ritus gentium, imo & eorum amicitiam & familiaritatem fuerint averſati, ne forte ab ipſis polluerentur, omnis ergo aberat idololatriæ vel ſuperſtitioſitatis ſuſpicio apud Judæos in præficis conducendis, & in cantu tibiarum ferali, faciebant enim hæc, ut ipſi Judæi dicunt, לכבוד המת *in honorem defuncti*, hinc qui ad defunctum plangendum conducebatur, hac utebatur formula, *accedite ad me, omnes vos, quorum cor amarum & languidum eſt, ad plangendum ſuper proximum veſtrum.*

§. IX.

Dum autem in hoc veterum ritu explanando, & ab omni imitatione gentilium liberando verſamur, occurrendum adhuc quæſtioni, quare jam in hoc loco mentio fiat tibicinum, cum ex omnibus compareat, filiam præfecti Synagogæ modo vita defunctam fuiſſe, cum non credibile ſit, quod illam ſtatim terræ mandare voluerint? Ad hoc autem notandum, quod certo determinare non poſſimus, quantum temporis effluxerit, ab eo momento, quo Jairus Chriſtum convenerat, ut eum ad filiam reſuſcitandam exoret, usque dum ad domum, in qua erat defuncta, accederet, cum miraculum ſanatæ mulieris a profluvio ſanguinis interceſſerit; obſervandum autem, quod Judæi in mortuo ſepeliendo non moras fecerint, ſed quod funera acceleraverint, niſi forte Sabbathum inſtaret, aut pluviæ

viæ locum ſepulchri aqua impleverint, aut mortuus eſſet aut pater aut mater, quia in honorem parentum ſepulturam retardabant, in reliquis vero caſibus, qui mortuum per unicam noctem inſepultum relinquebat, habebatur tanquam transgreſſor legis affirmativæ. *Otho in Lex. Rabb. Philolog. p. 342.* Videtur etiam probabile, Chriſtum tardaſſe per aliquod tempus, antequam defunctam vitæ redderet, ut id etiam fecit in reſuſcitatione Lazari, ut ejus divinitas & potentia eo magis eluceſceret, & ne Judæi forſan calumniandi haberent anſam, cum eorum malitia iis facile occaſionem ſuggerere potuiſſet dicendi, illam revera non fuiſſe mortuam; ut ergo omnis cavillandi occaſio iis præcideretur, conſultius Salvator Sanctiſſimus putabat expectare illud tempus, quo cadaver nunc ad ſepulchrum debebat efferri. Teſtem vero hujus miraculi Chriſtus habebat ὄχλον θορυβούμενον *turbam tumultuantem*, quod de præficis accipit *Bartholinus*, quod equidem ineptum, cum duæ præficæ turbam non faciant, turba autem illa fuit tum præficarum & tibicinum, tum maxime aliorum Judæorum, qui ad hoc funus concurrebant, præſertim cum eſſet filia præfecti Synagogæ. Nam hæc officia humanitatis exactius obſervabant Judæi, ſecundum illam legem Judæorum. *Quicunque mortuum videt, atque eum ad funus non comitatur, æque reus eſt ac ille, qui deridet pauperem, & ita convitiatur Creatori, cum defuncto nemo ſit pauperior. Ligthfootus in Hor. Hebr. ad Matth. cap. IX. 23.*

II.

II.

JO. JACOBI SYRBII
DISSERTATIO
DE
SABBATHO GENTILI*.

ARGUMENTUM.

Multa in Gentilium ſcriptis occurrere, quæ de veritate divina teſtari poſſint. An in his reperiatur Sabbathum, diſputari. §. I. Sabbathi etymologia ignominioſa a Moeragene apud Plutarch. itemque alia hujus generis ab Apione apud Joſephum indicata. Patribus eccleſiæ, a numero ſeptenario vocem derivantibus, ignoſcendum. Vera origo, quæ? Cur eadem vox per ſeptenarium ſubinde exprimatur. Ἑβδόμη. Septimum feſtum & ſeptima ſacra. Sabbathum pro ſeptimana, item pro feſtis. §. II. Sabbathum quo ſenſu obſervarint Gentiles. Quiete etiam eos uſos eſſe, ex Strabone & Xenophonte. Mortis reum non potuiſſe interfici die feſto.

* Publice fuit habita hæc Diſſertatio *JENÆ* d. 31. Mart. 1700. Reſpondente *Samuele Friſio*, *Altenburgenſi*, ac plus ſemel hactenus recuſa, digna autem viſa, quæ & noſtræ Collectioni insereretur.

ſto. εὐφημεῖν, σιγᾷν. blaſphemiæ exſecrabiles. Romanos etiam a litibus, jurgiis, operibus & laboribus abſtinuiſſe, idque publica auctoritate indictum. Quænam licuerint in feſtis. Opera religionis, neceſſitatis, recreationis, reverentiæ apud paganos. §. III. An etiam ſeptimum diem celebrarint Gentiles. Quid ſtatuat Seldenus. item, quomodo ſeptimum diem obſervaverint pagani. §. IV. Cyclum hebdomadicum gentilibus fuiſſe notum & receptum. Dies a planetis denominati. Cujus rei antiquitas. §. V. Septimum diem gentilibus atrum fuiſſe. Id inventum aſtrologorum fuiſſe; atros dies multis de cauſis dictos eſſe, modo a triſti omine, publice, modo a malo privatim obſervato & adnotato, modo ex principiis aſtrologicis. hos Ægyptiacos adpellatos eſſe, itemque religioſos. quid ea de re tradiderint Aſtrologi. Saturnus cur adpelletur maleficus & inimicus. §. VI. Atris diebus a faciendis operibus feriis abſtinuiſſe veteres. Loca, quæ de Sabbatho agunt, & primo quidem Patrum eccleſiæ, Clementis Alexandrini ex Heſiodo, Homero & Callimacho, Tertulliani, Theophili Antiocheni. Loca Judæorum, Joſephi, Philonis. Quid ea de re Rabbini, ſpeciatim locus R. Gedaliæ. Loca Gentilium, Ovidii, Suetonii, Luciani, Vulcatii Gallicani, Cenſorini, Lampridii, Senecæ. §. VII. Sabbatho Gentili, peculiariter ſic dicto, non ſolum allata non favere loca, ſed ei opponi poſſe ſilentium eorum, qui de ſacris ex inſtituto egerint, item-

itemque faſtorum & Kalendariorum, & teſtimonia contraria. Locus Juliani. De recentiorum paganorum Sabbatho. §. VIII. An gentiles Sabbathum obſervare potuerint ex lumine naturæ. §. IX. Rationes, quæ probare videntur, Sabbathum eſſe juris naturæ. §. X. Ad eas reſponſio. §. XI.

§. I.

INfelices pagani, etſi faſtidioſe nimis Iſraelitarum quondam mores ac inſtituta neglexerunt plerumque & adſpernati ſunt: Non pauca tamen in eorum monumentis occurrunt, quæ vel inuito & ringente Satana, perpetua divinam veritatem teſtificatione commendant. Equidem naturaliter multa apud eos manifeſta fuerunt, veluti τὸ γνωςὸν τȢ Θεȣ͂, quod inſinuat gentium Doctor, *a)* & ſi quæ de moribus vitaque civili egregie ab iis tradita accepimus. *b)* Quæ ſi contuemur, non poſſumus non indignari cum eodem divino Apoſtolo, vecordiam illorum & ignaviam plane exitioſam, qua, prudentes cetera & ſagaces, non indagarunt, ceu par erat, veritatis æternæ propriæque ſalutis tramitem, nec Deo gloriam debitam gratiamque tribuerunt, ſed potius naturalem, quam habebant, notitiam putidiſſimis deliramentis obſcurarunt ac deturparunt. Sed præterea conſideratione inprimis dignum eſt, quando myſteriorum etiam, in quæ ſe nunquam penetrare intellectus humanus poteſt, deprehenduntur indicia. Ita de Sacroſancta Trinitate Ægyptiorum Sarapin, *c)* apud Romanos vero Apollinem de Salvatore recens nato *d)* reſponſa de-

 diſſe

a) Rom. I: 19. *b)* Vide tamen collationem legum Moſaicarum & Romanarum ex Petri Pithœi bibliotheca cum notis ejusd. editam. *c)* Suid. in Thulis. *d)* Id. in Auguſto.

diſſe memoriæ proditum eſt. De angelis item, *a*) duratione mundi, & futura conflagratione, *b*) immo etiam de reſurrectione carnis *c*) varia veterum extant loca, *d*) Quod ſi hæc partim in dubium voces, partim in vulgus nunquam emanaſſe contendas, nonne univerſam ſuperſtitioſi cultus cærimoniarumque pompam Iſraelitarum religionem æmulatam fuiſſe, fatebimur? Quod de Diis ſuis tradiderunt, quod in altaribus eorum victimarunt & longe plura, in fabulis obvia, ex alio fonte vix defluxerunt quam κακοζηλία Diaboli, deſertoris nequiſſimi & archimimi ac impoſtoris verſutiſſimi. *e*) De *Sabbathi lege*, quam tanta ſeveritate ſciſcere DEO O. M. placuit, non ignobilis inter eruditos concertatio eſt: *Utrum ſcilicet inter Gentiles etiam obſervata illa fuerit?* itemque, *an naturaliter innotuerit, an vero ex traditione, vel cacozelia, quam dixi, fuerit adſumta?* Quam, dum in præſenti pro ingenii modulo explicare adgredior, operam dabo, ut modeſte, perſpicue &, quantum poteſt, breviter id fiat. Adſpiret ſummum Numen cœptis & me deducat in omnem veritatem!

§. II.

Quum autem ipſum Sabbathi nomen aliqua ſuggerere queat, quorum in proceſſu uſus erit, id, quantum ſatis, enucleare non prætermittam. Ubi tamen non

a) Vid. Clem. Alexandrin. lib. V. ſtrom. p. m. 591. ſeqq. & ex eo Euſeb. præp. Evang. lib. XIII, c. 13. *b*) Th. Burnet theor. tellur. ſacr. lib. III, cap. 2. ſeqq. *c*) Diſſertat. Georg. Calixti de immortalit. anim. & reſurr. carnis. cap. VIII, § 11. 12. *d*) Conf. Diſſert. Dilherrian. de notitia Dei modo non uno cum gentilibus communicata. *e*) Vid. Diſſert. *Joan. Fabricii* de Simia Diabolo vel cacozelia Gentilium, ſub præſidio Dilherriano habit. *Auguſti Buchneri* fragmentum de mimica Diaboli, *Huetii* Demonſtr. Evang. propoſ. IV. cap. III. XI.

non morabor multis illepidam iſtam Mœragenis apud Plutarchum *a)* cavillationem, qui a Sabbo, hoc eſt Baccho, id nominis deducit. quippe ea pertinet ad quæſtionem de cultu Bacchi apud Judæos. *b)* Ejusdem farinæ eſt Apionis Grammatici φλυαρία, *c)* quaſi a voce Ægyptiaca σαββὼ, τὸ βυβῶνος ἄλγος *inguinum ulcus* denotante, Sabbathum formatum fuerit, quam graviter proinde & merito reprehendit Joſephus. Sed quod veterum aliqui eccleſiæ Doctorum *d)* a numero Sabbathum accepiſſe nomen ſcripſerunt, condonandum eſt ſæculo, quo paucis in penitiorem linguæ Ebrææ notitiam venire dabatur, quum præſertim majorem iſta ſententia ſpeciem præ ſe ferat, neque ad obtrectationem ſit proclivis. Hodie vocis origo fere in vulgus nota eſt, nimirum שבת *quieſcere, ceſſare*, quo ſignificatu apud cognatas etiam linguas, Chaldæam veluti, Syriacam & Arabicam, idem verbum obvium eſt. Inde Sabbathum nihil aliud notat proprie, quam *quietem.* Ceterum, quando interpretes, Græci imprimis & Orientales alii, eandem hanc vocem per ſeptenarium numerum ſubinde expreſſerunt, *e)* ſemper requiem, ſeptimo vel die, vel anno, divinitus præceptam, in animo habuerunt & ſuppoſuerunt. Hinc notemus, τὴν ἑβδόμην haut raro pro Sabbatho uſurpari, ſicut etiam *ſeptimum feſtum* & *ſeptima ſacra* ab Ovidio vocari conſtat, partimque videbimus deinceps. Sed præ-

a) Sympoſiac. IV; q. 5. *b)* Interim vid. Voſſ. lib. II. Theolog. Gentil. cap. 3. Hottingerus, tract. de Sabbatho. cap. I, §. 1. Huet. demonſtr. Evang. propoſ. IV. c. 11. *c)* Joſeph. lib. II. contra Apionem non longe ab init. adde Bœcl. in Tacit. hiſtor. lib. V. c. 4. *d)* Ut Lactant. Divin. inſt. lib. VII. cap. 14. it. Theoph. Antiochenus contra Autol. lib. II. *e)* Quorſum plura exempla collegit Seldenus de jure nat. & gent. juxta diſc. Ebr. lib. III. cap. 17. p. m. 400.

præterquam, quod *ſeptimus ſemper hebdomadis dies* voce iſta indigitatur: per ſynecdochen partis *integram* etiam ea notat *ſeptimanam.* Quo pertinet inprimis Phariſaicum illud ſingularis ſanctitatis λάπισμα *a)* νηςεύω δὶς τοῦ σαββάτου, diebus Lunæ ſcilicet & Jovis, quorum alteterutro Moſes montem adſcendiſſe credebatur. *b)* Porro *ſeptimum annum* Sabbathum aliquando adpellari, ex Scripturis Divinis itidem notiſſimum eſt. *c)* Propius vero huc ſpectat, quod *& aliæ feriæ ſeu feſta Ebræorum* eandem nominationem ſint conſequuta. Unde *dies expiationum* יום הכפרים expreſſis a Deo ipſo verbis vocatur שבת שבתון *d)* & obſervatum eſt a Joſepho Scaligero, *e)* ideo nunquam Judæos menſem תשרי ſive איתנים partim ſeptembri, partim octobri noſtro reſpondentem, *f)* inchoare a feria *prima*, *quarta* vel *ſexta*, *ne duo Sabbatha continuentur.* Nempe decimo hujus menſis celebrandus erat expiationum dies, qui in diem Veneris incidiſſet, ſi a quarta: in diem ſolis vero, ſi a ſexta feria incepiſſet תשרי. primus autem ejusdem menſis buccinarum feſto deſtinatus erat dies. *g)* Sed de his viderit ipſe Scaliger. Alias feſtorum, quæ per plures dies agitabantur, *primus* ſaltim & *ultimus* dies κατ' ἐξοχὴν Sabbatha cluent. Sed & ipſos Gentiles feſta Judæorum quælibet Sabbatha vocaſſe, compertum eſt. Ita Juvenalis. *h)*

- - adamas notiſſimus & Berenices
in digito factus pretioſior, hunc dedit olim
barbarus inceſtu, dedit hunc Agrippa ſorori,
obſervant ubi Feſta mero pede Sabbatha Reges. i)

Ho-

a) Luc. XVIII: 12. adde Levit. XXIII: 15. *b)* Hotting. l. c. *c)* Vid. Levit. XXV: 4 *d)* Levit. XXIII: 32. vid. tamen Thom. Lydyat. de var. ann. form. c. 5. *e)* Lib. III: de emend. tempp. p. 223. *f)* Juxta Godvvin. Moſ. & Aaron. lib. III: cap. 1. *g)* Lev. XXIII: v. 24. *h)* Satyr. VI. *i)* Hiſtoriam habes apud Joſephum lib. II. belli Judaici cap. XV.

Horatius vero τὴν τριακάδα ſive ἱερομηνίαν Judæorum innuens:

> *Certe neſcio*, inquit, *quid ſecreto velle loqui te aiebas, mecum. Memini bene: ſed meliori tempore dicam, hodie triceſima ſabbatha. Vin tu curtis Judæis oppedere?*

Atque hæc de nomine ejusque qualicunque ἀμφιβολίᾳ ſufficiant. Nam ut de Sabbathi diſtinctione dicam, qua modo in Sabbathum *creationis, redemtionis*, modo in *externum, internum, æternum* diſpeſcitur, cauſſam omnino habeo nullam. Neque enim volupe nunc eſt θεολογεῖν. Sed ut certi tandem deſignemus quid, *diem* mihi notat Sabbathum, *quieti, propter cultum religioſum, ſeu*, ubi de paganis ſermo eſt, *ſuperſtitioſum potius, datum.* Et quum hoc tam de feſtis quibusvis, quam præciſe de ſeptimo cujusvis hebdomadis die intelligi queat: ſatis diſtincte & perſpicue rem explicabo in ſequentibus. Quamvis vero de hebdomadum obſervatione non dicturus ſim nihil, adeoque tropicus ille ſignificatus, quo ſeptimanam Sabbathum notat, non plane ſit negligendus: Sabbathum annorum tamen ſive terræ *a)* ab inſtituto hoc plane removeo.

§. III.

Quod ſi nunc quæras in genere, utrum Sabbatha obſervaverint Gentiles, id eſt, utrum certis diebus religioſa, ſi ita loqui licet, vacatione fuerint uſi? id certe negari haut quaquam poteſt. Ut taceam, quæ de Ægyptiis refert Herodotus: *b)* quotusquisque tam rudis eſt & litterarum, tam græcarum, quam Romanarum, plane expers, ut de Romanorum ſacris epulis, ludis, feriis, Græcorum νεμηνίαις, καθαρσίοις, Olympiis, Dionyſiacis, Κορείοις, Κρονίοις, Eleuſiniis, multisque aliis

a) De quo vide Levit. XXV. 2. *b)* In Euterpe cap. 59. adde Marsham. can. Chron. ad ſæc. IX: p. m. 193.

aliis nihil inaudiverit unquam? Non immerito dubitaveris, an cæca Papicolarum hodie natio, paganæ ſuperſtitionis hæres & æmula, tot feſta agitet, quot gentibus iſtis fuerunt celebria. Certe in multis rebuspublicis adeo ſucceſſu temporis excreviſſe feſtorum numerum conſtat, ut plures aliquando voluptatibus dicati, quam negotioſi & juridici reperti fuerint anni dies. Unde etiam factum, ut Romanorum Imperatorum quidam multos ſubinde rebus agendis litibusque diſceptandis reſtituerent *a*). Nomina, numerum & rationem ſingulorum feſtorum tum in Kalendariis, paſſim obviis, tum integris doctorum operibus reperies *b*). Atque certa quiete tranſiiſſe feſta ſua paganos, auctores habeo profecto luculentos. Ita Strabo *c*) teſtatur, diebus feſtis, Græcis juxta & Barbaris, commune fuiſſe τὸ τὰς ἱεροποιίας μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι, *ſacra facere cum intermiſſione ſolemni*, ſeu feſta. Et in ſpecie de Plynteriis, Athenienſium feſto, commemorat Xenophon, *d*) neminem eodem auſum fuiſſe quidquam operari ſerio, Ἀθηναίων γὰρ ὐδεὶς ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ὐδενὸς σπυδαίυ ἔργυ τολμῆσαι ἅψασθαι. Et ne putes, in uno alterove feſto id locum habuiſſe tantum, en aliud ejusdem ſcriptoris teſtimonium: *e*) ἐν ταῖς ἑορταῖς ἧττόν τινα δυνατόν ἐςι διαπράττεσθαι τῶν τῆς πόλεως. *In feſtis minus poſſunt negotia civitatis curari.* quod, quomodo intelligendum, paullo poſt declaratur: πρὸς δὲ τύτοις δεῖσθαι χρὴ καὶ ἑορτὰς ἄγειν χρῆναι ἀθηναίυς, ἐν αἷς ὐχ οἷόν τε δικάζειν. *Præterea exiſtimandum eſt, feſtos quoque dies agen-*

a) Vid. Caſaub. ad Sueton. Aug. cap. XXXII. p. m. 187. *b*) Vid. Ovid. in faſt. Auſon. in Eclog. Petr. Caſtellan. Eortolog. Meurſium Græcia feriat. Hoſpin. de feſt. origin. Gyrald. de annis & menſib. Siccam. faſt. Kalend. Rom. Carol. Neap. ad faſt. Ovid. adde quos Grævius collegit Tom. VIII. antiquit. Rom. *c*) Geograph. lib. X. p. 322. *d*) Lib. I. rer. græc. p. m 300. *e*) de rep. Athenienſ. p. m. 677.

agendos eſſe Athenienſibus, in quibus judicia exercere nefas. Unde neque mortis reus ac ſecundum leges damnatus feſtis interfici poterat ordinarie. Κἂν νόμῳ τὶς καταγνωσθῇ, ut idem rurſus loquitur *a*) ὐκ ἀποκτιννύυσιν ἐν ἑορτῇ. Ipſe Ariſtoteles de iſta laborum abſtinentia teſtatur. *b*) Αἱ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται μετὰ τὰς των καρπῶν συγκομιδὰς, οἷον ἀπαρχαί. μάλιστα γὰρ ἐν τύτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς. *Priſca ſacrificia & conventus poſt fructuum collectionem fieri videntur, ut primitiæ. His enim temporibus maxime ceſſabant a labore.* Inter ipſa ſacra, ne quid temere aut præpoſtere effutiretur, cautum erat, quod ex formulis iſtis εὐφημεῖτε, σιγᾶτε, hinc inde obviis, ſatis eſt perſpicuum. *c*) βλασφημῆσαι vero plane fuiſſe execrabile, Theophraſtus docet *d*). Neque minus Romanis hujusmodi abſtinentiam in feſtis curæ fuiſſe, novimus. Quid enim aliud ſibi volunt verba Tullii *e*): *Feriarum feſtorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum, in ſervis operum & laborum.* Quibus conſentanea ſunt iſta Ovidii *f*) de Kalendis Januariis, quibus Janual cum mola ſalſa, palma item, caria & mel offerebatur Jano:

Proſpera lux oritur: linguis animisque favete:
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.
Lite vacent aures inſanaque protinus abſint
Jurgia: differ opus livida lingua tuum.

& Tibulli, de agrorum luſtratione: *g*)

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator,
Et grave ſuſpenſo vomere ceſſet opus.
Soluite vincla jugis: nunc ad præſepia debent
Plena coronato ſtare boves capite.

Omnia

a) Lib. IV. de rep. Ath. p. 355. *b*) Lib. VIII. ad Nicomach. c. 11. *c*) Vid. Briſſon. de form. lib. I. p. 8. *d*) περὶ δυσχερείας. *e*) Lib. II. de LL. c. 29. *f*) Lib. I faſtor. *g*) Lib. II. eleg. I.

Omnia ſint operata Deo: non audeat ulla
Lanificam penſis impoſuiſſe manum.

& Claudiani: *a*)

Mandemusne noti flabris, quoscunque timores
Pertulimus, feſtæ doleant ne triſtibus aures?

Huc pertinent loca Livii, *b*) Taciti, *c*) Plinii, *d*) Senecæ, *e*) aliorum, quæ hanc rem vel tradunt uberius, vel exemplis inſuper confirmant evidentibus. Horum tamen nuda nomina & loca adſciſcere contentus ſum in præſenti, ne, ſi & verba adſcribam, nimiæ prolixitatis incurram tædium. Hoc vero ſilentio hautquaquam involvendum, quod etiam publica auctoritate laborum intermiſſio indicta fuerit, ut teſtatur Macrobius, optimus harum rerum Interpres: *f*) *Adfirmabant autem ſacerdotes, pollui ferias, ſi indictis conceptisque opus aliquod fieret. Præterea regem Sacrorum flaminesque non licebat videre feriis opus fieri, & ideo per præconem denunciabatur, ne quid tale ageretur & præcepti negligens mulctabatur. Præter mulctam vero affirmabatur, eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egiſſet, porco piaculum dare debere: prudentem expiare non poſſe, Scævola Pontifex adfirmabat.* Similia habet Feſtus: *Præclamitatores dicuntur, qui flaminibus, Diali, Quirinali, Martiali antecedentes exclamant feriis publicis, ut homines abſtineant ſe opere, quia his opus facientem videre, irreligioſum eſt.* Conſentit etiam Servius: *g*) *Sunt aliqua*, inquiens, *quæ ſi feſtis diebus fiant, ferias polluunt. Quapropter & pontifices ſacrificaturi præmittere Kalatores ſuos ſolent, ut ſicubi viderent opifices adſidentes, opus fieri prohibeant, ne pro negotio ſuo & ipſorum oculos & Deorum ferias contaminent.* Quænam vero ſint illa, quæ ferias polluant minime, ſed impune potius poſſint fieri, ipſe tradit Virgilius: *h*

Quippe

a) Bello Getico p. m. 370. *b*) Lib. V. c. 13. *c*) Annal. IV, 70. 4. *d*) H. N. Lib. XXVIII, c. 2. *e*) Epit. controverſ. Lib. V. controv. 4. *f*) Saturnal. Lib. I. §. XVI. *g*) Ad Virg. Lib. I. Georg. *h*) Lib. cit.

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt. Rivos deducere nulla
Religio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.
Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli
Vilibus aut onerat pomis: lapidemque revertens
Incuſum, aut atræ maſſam picis urbe reportat.

& plenius Columella, *a*) qui ipſe quoque adduxit iſtos Virgilii verſus, ſequentia addens: *Quanquam Pontifices negent, ſegetem feriis ſepiri debere, vetent quoque lanarum cauſſa lavari oves, niſi propter medicinam, Virgilius, quod liceat feriis flumine abluere gregem, præcepit, & idcirco adjecit, fluvio* merſare ſalubri. *Sunt enim vitia, quorum cauſſa pecus utile ſit lavare. Feriis autem ritus majorum etiam illa permittit, far pinſere, faces incidere, candelas ſebare, vineam conductam colere, piſcinas, lacus, foſſas veteres tergere & purgare, prata ſicilire, ſtercora æquare, fœnum in tabulata componere, fructus oliveti conductos cogere, mala, pyra, ficus pandere, caſeum facere, arbores ſerendi cauſſa, collo vel mulo clitellario adferre: Sed juncto advehere non permittitur, nec adportata ſerere, neque terram aperire, neque arborem collucare: ſed ne ſementem quidem adminiſtrare, niſi prius catulo feceris b): nec fœnum ſecare, aut vincire, aut vehere, ac ne vindemiam quidem cogi per religiones Pontificum feriis licet: nec oves tondere, niſi prius catulo feceris. Defrutum quoque facere & defrutare vinum licet. Uvas itemque olivas conditui legere licet. Pellibus oves veſtiri non licet. In horto quidquid olerum cauſſa facias, omne licet. Feriis publicis hominem mortuum ſepelire non licet. M. Portius Cato c) mulis,* Mm *equis*

a) Lib. II. de re ruſt. c. 22. *b*) i. e. ſacrificaveris caniculæ, ad quod ſidus placandum, frugibus inimicum, canis immolabatur. Facere enim ſacrificare. Ita Georg. Alexandrin. in explicat. *c*) de re ruſt. c. 13.

equis, aſinis nullas eſſe ferias dixit. Idemque boves permittit conjungere lignorum & frumentorum advehendorum cauſſa. Nos apud Pontifices legimus, feriis tantum denicalibus mulos jungere non licere, ceteris licere. Præterea, quemadmodum Judæi ipſi magni faciunt opera religionis, neceſſitatis, recreationis & reverentiæ, ut diſtinguit Hottingerus, *a)* ita iisdem feſta honorare Gentiles nulli dubitarunt. Ac de operibus *religionis* & *neceſſitatis* Umbronis & Scævolæ ſententias Macrobius refert: *b) Umbro negat eum pollui, qui opus vel ad Deos pertinens ſacrorumque cauſſa feciſſet, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem reſpiciens actitaſſet. Scævola denique conſultus, quid feriis agi liceret, reſpondit: quod prætermiſſum noceret. Si bos in ſpecum decidiſſet eumque paterfamilias adhibitis operis liberaſſet, non eſt viſus ferias polluiſſe, nec ille, qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruina.* Id nempe dicit Scævola Pontifex, quod & inter Judæorum Doctores venditabatur, iisque adeo obvertebatur a Salvatore noſtro *c)*, quum aliquando ad urgentem vitæ utilitatem reſpiciens ipſius opus improbarent malevolis & inſidioſis animis. *Τίνος ὑμῶν ὄνος ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται, καὶ οὐκ εὐθέως ἀνασπάσει αὐτὸν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου;* Porro inter opera *recreationis* a Judæis numerabantur convivia, lautiores cœnæ & opipari adparatus. Ita apud paganos feſtis inerant ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ, ut rurſus docet Macrobius, *d)* qui ſacram celebritatem vocat, *quum vel ſacrificia Diis offeruntur, vel quum dies divinis epulationibus celebratur, vel quum ludi in honorem aguntur Deorum, vel quum feriæ obſervantur*, quæ erat feſtorum apud Romanos diviſio. Et quis neſcit, Babylonem eo feſto captam eſſe a Cyro, quo *πάντες Βαβυλώνιοι ὅλην τὴν νύκτα πίνουσι καὶ κωμάζουσι: e)* quod

a) De Sabb. Jud. §. VIII. *b)* Saturn. lib. 1. c. 16. *c)* Luc. 14: 5. conf. c. 13: 15. *d)* Loc. cit. *e)* Xenoph. lib. 7. de pæd. Cyri. conf. Herodot. Clio.

quod eadem occaſione Syracuſis quoque obtigiſſe, ex Livio conſtat. *a)* Tandem *reverentia* opera Judæis inprimis cenſentur mutatio veſtium & lucernarum ſplendor: paganis non minus. De veſtimentis ita canit Ovidius: *b)*

Veſtibus intactis Tarpeias itur ad arces,
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.

itemque Flaccus: *c)*

Ille repotia, natales, aliosque dierum
Feſtos albatus celebret.

De lucernis vero habemus Juvenalis locum, ubi de aliis ſimul ritibus huc ſpectantibus nos docet: *d)*

Heic noſtrum placabo Jovem, laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores,
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos
Et matutinis operitur feſta lucernis.

Eodem quoque Tertullianus videtur reſpicere: *e) Cur die læto*, quærens, *non laureis poſtes adumbrantur, nec lucernis diem infringimus? Honeſta res eſt, ſolennitate publica exigente, induere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris.* Poſſent utique longe plura de feſtorum ratione congeri, ſi operæ pretium foret. Ad præſens inſtitutum noſſe ſatis eſt, feſta celebraſſe paganos, iisque vacationes valuiſſe, quod ex hactenus dictis plus ſatis liquet.

§. IV.

Sed altioris indaginis merito putatur ea quæſtio, an & Gentiles ſeptimum quemque diem feſtum habuerint, ſive, an coluerint Sabbathum peculiariter ſic dictum Judæis. Non ignota ſunt, quæ hac de re in utramque partem commentati ſunt eruditi viri. Nemo

a) Liv. lib. 25, c. 23. *b)* Lib. 1. faſt. *c)* Lib. 1 ſat. 2. *d)* Sat. 12. v. 89. ſeqq. *e)* Apologet. c. 35. conf. de idololat. c. 15.

tamen majori cura majorique adparatu ad eam acceſſit Joanne Seldeno, *a)* qui fere in unum diligenter conduxit, quidquid huic materiæ illuſtrandæ conquiri poterat, ut non fruſtra judicat Vir undiquaque ſummus, B. Joannes Henricus Bœclerus. *b)* Quod ſi vero conſulas Seldenum, ille ita explicat loca veterum, quæ adfirmantem ſententiam abſolute videbantur juvare primo intuitu, ut quidvis aliud potius admittendum putet, quam ſeptimi diei apud Gentiles cultum, feſtum nempe & qualem habuerunt Judæi. Equidem adquieſcere poteram in plerisque, niſi adhuc titubare quosdam ſentirem, quaſi non admodum feliciter rem egiſſet Seldenus. At is in profliganda obſoleta illa opinione, quæ neſcio quam publicam ſeptimi diei celebritatem inter paganos conabatur nobis perſuadere, & tantum non obtrudere, occupatus fuit. Veniam igitur, ſi non adſenſum, fortaſſis merebor, ſi aliam paullo rationem ineam, &, quatenus admitti poſſit Sabbathum illud, inveſtigem, quo & res ipſa pateat clare, & teſtimonia facile intelligantur & inter ſe concilientur. Ut vero, quæ mihi mens ſit, tribus explicem verbis: Septimum diem Gentilibus non feſtum aut publico cultu celebrem, ſed atrum, ſed Ægyptiacum fuiſſe, approbo: Ut adeo nihil aliud de Sabbatho in eum conveniat, præterquam laborum intermiſſio & quies, quam tamen illi non ob divinum cultum, ſed vanum illum ac ſuperſtitioſum, quem incuſſerant Aſtrologi, timorem, amplectebantur. Facile autem apparet, quæ mihi proinde probanda ſint, primo nempe, cyclum hebdomadicum Gentilibus fuiſſe notum & receptum, hic enim fundamentum eſt: deinde ſeptimum hebdomadis diem fuiſſe atrum, adeo-

a) De jure nat. & gent. juxta diſciplin. Ebræor. Lib. III. c. 9. ſeqq. *b)* Annotat. polit. in Tacit. V. hiſt. c. 4. p. m. 801.

adeoque Gentiles ab operibus in eo ſe fere abſtinuiſſe: Et huc denique quadrare loca veterum, quæ in hanc rem adducuntur & quoddam nobis paganorum Sabbathum videntur inculcare. De ſingulis ſeorſim, ſed breviter.

§. V.

Primum, quod probandum ſuſcepi, ex eo luculentiſſime patet, quod ab antiquiſſimis temporibus dies a ſeptem planetis, quos ſtatuerunt veteres Aſtrologi, quamquam non publico ſemper inſtituto, communiter tamen, tenuerint. Audiamus Dionem Caſſium: *a)* τὸ δὲ δὴ ἐις τὺς ἀςέρας τὺς ἑπτὰ τὺς πλανήτας ὠνομασμένυς, τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι, κατέςη μὲν ὑπ᾽ Αἰγυπτίων, πάρεσι δὲ καὶ ἐπὶ πάντας ἀνθρώπυς, ὐ πάλαι ποτὲ, ὡς λόγῳ ἐιπεῖν, ἀρξάμενον. οἱ γῦν ἀρχαῖοι Ἕλληνες ὐδαμῆ αὐτὸ, ὅσαγε ἐμέ εἰδέναι, ἠπίςαντο. καὶ πάνυ νῦν τοῖς τε ἄλλοις ἅπασι καὶ αὐτοῖς καὶ τοῖς Ρωμαίοις ἐπιχωριάζει, καὶ ἤδη καὶ τῦτο σφίσε πάτριος τρόπον τινὰ ἐςί. *Quod vero ſeptem ſtellis, quæ planetæ vocantur, dies adſignare receptum eſt, inventum quidem putatur Ægyptiorum. Sed in omnes tamen homines, haut ita pridem* (non olim aliquando) *ut ſic dixerim, vulgari cæptum. Certe Græci veteres, quantum ego quidem ſcio, nullo prorſus eam rem pacto cognitam habuere. Et nunc ubique fere, apud omnes alios, etiam & ipſos Romanos, in uſu eſt, & veluti mos ipſis patrius habetur.* Videri poterat, ac ſi ea de re tamquam nova plane, apud Græcos & Romanos, loqueretur Dio. Sed id ex verbis ejus firmiter ſatis oſtendi nequit. Fallor enim valde, aut iſtud ὐ πάλαι ποτὲ ita intelligi poteſt, quaſi non ſemper, ut forte quidam contendebant, iſtum obtinuiſſe morem, *ſed aliquando non fuiſſe antiquum* dicat. Præterea ipſe fluctuat quodammodo, & limitat, ὅσαγε ἐμὲ εἰδέναι, ac fatetur aperte, alios veluti patrium iſtum crediſiſſe morem. Unde non eſt, ut cum Beroaldo *b)* eum nimis

a) Hiſt. lib. XXXV. p. m. 37. *b)* Chronic. lib. I. c. 4. p. m. 31.

mis recentem ex hoc loco colligamus. Certe teſtes habemus antiquiores Dione, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Juſtinum Martyrem, Plutarchum, Tacitum, Tibullum, quorum loca, quia jam a Seldeno *a*) adducta ſunt, partimque infra a me citabuntur, huc transferre ſuperſedeo. Sed & ipſius Herodoti, quem nihil tale commemoraſſe putat Beroaldus, huc pertinet locus: *b*) καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισι ἐςὶ ἐξευρημένα. μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάςη θεῶν ὅτευ ἐςὶ, καὶ τῇ ἕκαςος ἡμέρῃ γενόμενος, ὁτέοισι ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει, καὶ ὁκοῖός τις ἔςαι. καὶ τούτοισι τῶν Ἑλλήνων οἱ ἐν ποιήσει γινόμενοι ἐχρήσαντο. *Alia etiam ſunt ab Ægyptiis excogitata; quis menſis diesve cujusque deorum ſit* (i. e. planetarum) *& quo quis die genitus, quibus rebus potiturus, quomodo moriturus, & qualis futurus ſit? Quibus rebus ii, qui in poeſi verſabantur, uſi ſunt.* Ubi τὰς ἡμέρας τῶν θεῶν dies ſeptimanæ a ſeptem planetis denominatos interpretatur Marshamus, *c*) plane ad mentem veterum. Quod ſi non ſatisfaciat Herodotus, en vetuſtiſſimum Apollinis oraculum: *d*)

Κληΐζειν Ερμῆν, ἠδ' Ηέλιον, κατὰ ταῦτα
Ημέρη Ηελίου. μήνην, δ' ὅτε τῆς δὲ παρείη
Ημέρη, ἠδὲ Κρόνον, ἠδ' ἐξείης Αφροδίτην
Κλήσεσιν ἀφθέγκτοις, ἃς εὗρε Μάγων ὄχ' ἄριςος
Τῆς ἑπταφθόγγου βασιλεὺς, ὃν πάντες ἴσασιν.

Mercurium ac Solem ſimul adpellare memento
Luce ſacra ſoli: tum lunam, ubi venerit ejus
Nota dies, Saturnum exin, natamque Dione
Vocibus arcanis, quas maximus ille Magorum
Septiſonæ Dominus reperit notiſſimus idem

omni-

a) Lib. cit. c. 19. *b*) In Euterp. c. 82. *c*) Can. chron. ſæc. 9. §. 7. p. m. 197. *d*) Apud Euſeb. L. V. præpar. Evang. 14. p. 202.

omnibus. Hinc non miraberis, ſi modo priſca quædam hæreſis nomina planetarum ab origine mundi divinitus impoſita fuiſſe, ſtatuerit, modo ſeptenariam iſtam dierum periodum ab Ada inceptam & in poſteros propagatam dixerit Judæus in libro Coſri *a*). Antiquiſſimam fuiſſe denominationem iſtam & minimum ad Moſi confinia tempora referendam, ex eo patet, quod alii ſimpliciter ab Ægyptiis, quos primos mortalium habuiſſe veteres, ex Diodoro Siculo novimus *b*), emanaſſe eam dicant, *c*) alii Hermeti Ægyptio, *d*) Zoroaſtri *e*) alii, inventam adſcribant. Quidquid ſit de antiquitate, Flavii Joſephi ætate pervulgatum iſtum fuiſſe morem, ex his verbis ipſius *f*) recte colligas: οὐδ᾽ ἐστιν οὐ πόλις ἑλλήνων οὐδητισοῦν οὐδὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἓν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαφοίτηκεν. *Neque eſt civitas Græcorum usquam, aut barbarorum nec ulla gens, ad quam ſeptimanæ, in qua vacamus, conſuetudo minime pervenerit.* &c.

§. VI.

Jam porro oſtendendum, ſeptimum, ſive Saturni, diem *atrum* habitum fuiſſe. Non ignoro, aliquando ordinem dierum immutatum reperiri, ita, ut Saturnus non ſeptimum, ſed quartum locum teneat. Sed hanc diſpoſitionem ex Judæorum quorundam commento ridiculo & plusquam anili, de ſolis & lunæ, die creationis quarto, nata controverſia, quam heic referre operæ pretium non eſt, originem duxiſſe, pulcre monſtrat Seldenus. *g*) Nempe ſine iſta diſpoſitione

a) Part. II. c. 20. p. 88. ſeqq. edit. Buxtorff. Add. Selden. Lib. III, c. 11. & 19. *b*) Lib. I. Biblioth. Hiſt. *c*) Vid. præter Dion. & Herodot. Beroald. in Chronic. Lib. I: cap. 4. p. 29. *d*) Philaſtrius de hæreſ. num. 111. *e*) Scriptor vetuſtus Græcus ἀνέκδοτος ap. Selden. c. 19. *f*) Lib. II: contra Apion. p. m. 1081. *g*) Lib. cit. c. 20. p. m. 434. ſeq.

ſitione explicari fabula non poterat, unde binos cuilibet diei planetas adſignari, duplicemque adeo diſpoſitionem fingi, conſultum videbatur. Majus dubium obverti conſuevit, quod nempe inter veteres de ſerie planetarum in cœlo ſeu de ἑπταζώνῳ, quam tamen denominationis dierum a planetis fundamentum eſſe dicunt aliqui, conſenſus non ſit perpetuus. Id argumento fuit Hoſpiniano, ut dies quondam non a planetis, ut hodie, ſed a numero ſolum, quo ſe invicem in menſe ſequuntur, eſſe denominatos usque ad tempora Ptolomæi demum, ſtatuerit. *a)* Sed & hunc falſa niti hypotheſi, Seldenus oſtendit liquido, quaſi nimirum ordinem heptazoni vulgarem invenerit Ptolemæus demum, quem tamen longe vetuſtiorem eſſe, non ex aliorum ſolum, ſed & ipſius Ptolemæi teſtimoniis, haut obſcure pateat. Hæc inquam, Seldenus perſequitur, ſimulque de ratione iſtius ordinis, antiquitate, uſu & origine, unde in homines defluxerit dierum denominatio a planetis, copioſe & eleganter diſſerit. Quod ſi omnino aliqua inter veteres deprehendatur diſcrepantia, illud utique tenendum eſt, omni ævo inter eruditos exiſtere, qui res ſuas ſibi habeant ſeorſim, & a receptis ſententiis diſcedant, idque etiam hac in re veniſſe uſu. Quod tamen non poteſt obſtare, quo minus veterrimorum Aſtrologorum ſcita adprobata ſtatuamus plerisque & propagata per ſæcula. Horum igitur inventum erat, non Magiſtratus publici, quod Saturni dies, quem ſeptimum in hebdomade fuiſſe, jam ſupponamus, ater, hoc eſt infauſtus & inauſpicatus credebatur. Nota eſt dierum apud veteres diſtributio in feſtos, profeſtos & atros, ſive Græcorum ſtilo in ἑορτασίμους, ἐργασίμους καὶ ἀποφράδες. Interciſos enim modo ad feſtos modo ad profeſtos referas. Atri vero ſeu ἀποφράδες non una de cauſſa

a) De origine feſt. c. 5. p. 47. ſeqq.

cauſſa dicebantur. *a)* Alii enim a triſti aliquo omine talem notam contraxerant publice, veluti poſtriduani Romanorum, quibus perſuaſum erat, ideo male aliquando per aliquot annos adflictam fuiſſe remp. quod Q. Sulpicius quidam, militum tribunus, ad Alliam adverſus Gallos pugnaturus, rem Divinam dimicandi gratia feciſſet poſtridie idus Quinctiles: item, apud Cremeram multisque aliis temporibus ac locis poſt ſacrificium die poſtero celebratum, male ceſſiſſe pugnas. Itaque poſtriduani omnes atri erant, ut eſt apud Macrobium *b)* & Noctium Atticarum conditorem. *c)* Alii vero non publico quidem inſtituto, ſed privata præſumtione atri vocabantur & inauſpicati, iterumque ob duplicem ferme rationem. Vel enim inſigne aliquod malum, quod in iis contigiſſet, adnotaverant, vel ex aſtrologicis principiis periculorum portendebant metum. Atque poſterioris generis dies omnes Ægyptiaci, niſi me fallunt omnia, adpellati ſunt. Licet enim bini tantum a quibusdam in quolibet menſe adſignentur ejusmodi, nunquam tamen ea de re conſentiunt Scriptores. Unde credibile eſt, ab origine eos inveniſſe nomina, quia nempe Aſtrologi Ægyptii primi ita docuerant: Antiquiores autem Scriptores eos tantum annotare voluiſſe, quos memoria tenere non adeo erat facile. Quidquid hujus ſit, dies atros etiam religioſos vocari, heic monendum eſt ex Gellio *d)* *Religioſi dies dicuntur triſti omine infames impeditique, in quibus & res Divinas facere & rem quampiam novam exordiri temperandum eſt: quos multitudo imperitorum prave & perperam nefaſtos adpellant.* Ceterum ut, quid ſibi tandem voluerint Aſtrologi priſci, cognoſcamus: illi quemlibet diem a planeta ſuo, qui & nomen dederat, poſſideri & adminiſtrari ſciſcebant.

a) Vid. heic Luciani Pſeudologiſta Tom. I. opp. p. 431. edit. Græv. *b)* l. c. *c)* A. Gell. N. A. Lib. V, c. 17. *d)* Lib. IV, c. 9.

Et quamvis horæ quoque ſuos haberent planetas, dominium tamen per ſingulas horas totumque adeo diem obtinere dicebatur planeta πολέυων qui opponi ſolebat τῷ διέποντι. Huc ſpectat locus inſignis, quem ſæpius laudatus Seldenus *a*), quamvis non eodem plane fine, ex celebri Mathematico, Petro Alexandrino, affert. Is agit de die Saturni, quo, ajebant veteres, ὁ αὐτὸς ἀςὴρ κύριος τῆς ἡμέρας γίνεται καὶ πολέυει ὅλην τὴν ἡμέραν. τὴν α ὥραν αὐτὸς πολέυων καὶ διέπων, τὴν β παραδίδωσι τῷ ♃, καὶ λέγομεν, τὴν β ὥραν ♄ πολέυοντος καὶ ♃ διέποντος, *Ipſe*, Saturnus, *Dominus eſt diei, poſſidet integrum diem. Quin & horam primam non ſolum ut Dominus poſſidet, verum etiam ſibi ipſi regiminis miniſteria præſtat. Secundam vero horam tradit Jovi. Et dicimus horam ſecundam poſſidente quidem ſeu dominante Saturno, ſed miniſterium præſtante aut procurante Jove.* Hiſce plane conſentanea ſunt, quæ R. Gedalia Ben Jechai ex priſca illa & abſtruſa diſciplina Kabbaliſtica, quam ipſi Abrahamo aliquando attribuere non dubitant Judæi, affert. Verba videas apud Seldenum. Unde patere arbitror, hanc doctrinam ſatis communem & antiquam fuiſſe, ab Ægyptiis nempe in varias gentes & regiones diſſeminatam. Nec vero dies ſolum ſed & horæ parteſque dierum ſuperſtitioſa iſta ac febriculoſa vanitate æſtimari ſueverunt. De horis ex jam dictis res videtur manifeſta: de partibus vero diei obſervat Joannes Georgius Grævius, *b*) veriſſima Germanorum gloria, diis dicatam meridiem, heroibus autem tempus pomeridianum, ideoque inauſpicatum priſcis fuiſſe, auſpicatiſſimum vero creditum matutinum & veſpertinum. Jam de integris diebus ſermo eſt, quorum ſeptimo quum Saturnum tamquam gubernatorem & dominum præfeciſſent Aſtrologi, non poterant non infauſtum & atrum ominari, qui ad minaces eorum voculas tremulo pavore marcebant. Licet enim Saturnus

a) c. 21. p. 444. *b*) Lection. Heſiodear. c. 17.

nus contemplationibus & meditationibus ſublimioribus crederetur favere, rebus agendis tamen ineptiſſimus habebatur. Inde malefici & inimici nomen paſſim gerit, non apud veteres ſolum, *a)* ſed & recentiores quosdam. *b)* Ratio peti ſolet a tarditate curſus, quem in Zodiaco annis demum XXIX, diebus CLV, horis VII, abſolvere creditur. Natam hinc fabulam de vinculis a Jove Saturno injectis eleganter docet Lucianus *c)*: οὐδὲ τὸν Κρόνον ὁ Ζεὺς ἔδησεν οὐδὲ ἐς τάρταρον ἔῤῥιψεν, οὐδὲ τὰ ἄλλα ἐμήσατο, ὁκόσα ἄνθρωποι νομίζουσιν. ἀλλὰ φέρεται γὰρ ὁ Κρόνος τὴν ἐξωφορὴν, πολλὸν ἀφ᾽ ἡμέων. καὶ οἱ νωθρή τε ἡ κίνησις καὶ οὐ ῥηϊδίη τοῖσι ἀνθρώποισι ὁράασθαι, διὸ δήμιν ἑστάναι λέγουσιν, ὅκως πεπεδημένον. τὸ δὲ βάθος τὸ πολλὸν τοῦ ἠέρος τάρταρος καλέεται. μάλιστα ἔκ τε Ὁμήρου τοῦ ποιητέω, καὶ τῶν Ἡσιόδου ἐπέων μάθοι ἄντις τὰ πάλαι τοῖς ἀστρολογέουσι ὁμοφωνέοντα. *Nec Saturnum Jupiter conjecit in vincula, nec in tartara præcipitem dedit, neque cetera machinatus eſt, quæ putant homines: verum Saturnus extremus movetur proculque a nobis ſemotus eſt. Segnis illi motus neque facilis animadverſus mortalibus: atque hanc ob cauſſam illum ſtare dicunt, ceu vinculis alligatum. Ceterum ingens aëris multitudo tartarus adpellatur. Sed potiſſimum ex Homeri poetæ Heſiodique carminibus liceat intelligere, priſcorum fabulas cum Aſtrologia conſentire. &c.* Sed nondum ſatis expedita videtur fabulæ ratio, niſi addatur, quod Jovis ſalutare ſidus inhibeat & retardet Saturninam malignitatem. Quomodo autem ex tarditate iſta pleraque veteres collegerint omnia, quæcunque de Saturni ſidere circumferebantur, Voſſius docet. *d)* Mihi reliqua non magnopere curæ ſunt in præſenti, dum de malignitate ſolum, quæ atrum veteribus diem peperit, agere propoſitum

a) Macrob. ſomn. Scipion. Lib. I. c. 19. Conf. Cœl. Rhodigin. lect. antiquar. Lib. XIII. c. 21. Lipſ. Saturnal. ſerm. Lib. I. c. V. Voſſ. Theol. gentil. lib. 2. c. 34. *b)* v. g. Alſted. Vranoſcop. part. IV. c. 2. §. 3. *c)* De Aſtrolog. Tom. I. opp. p. m. 853. edit. Grævian. *d)* Loc. cit.

poſitum eſt. De hac paſſim loquuntur etiam poetæ. Veriſſimum enim eſt, quod modo a Luciano accepimus, Poetarum fabulas cum Aſtrologia conſentire. Ita Orpheus *a)* Κρόνον ἀεὶ μελαίνας ἔχειν ἐπὶ τῷ γενεῖῳ τρίχας. *Saturnum nigricantem ſemper habere barbam*, *voluit.* A Virgilio *b)* vero frigida vocatur Saturni ſtella:

- - cœli menſes & ſidera ſerva,
Frigida Saturni ſeſe quo ſtella receptet.

ubi Servius: *frigida ſtella, id eſt nocens, ut:*

Frigidus, o pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Propius multo huc ſpectant, quæ ſuppeditantur a pari Poetarum, nobili quidem & facundo, ſed nimis interdum faceto, immo ſpurcidico, Ovidio nempe & Tibullo, quorum ille ad amaſium, quem variis artibus inſtruit: *c)*

Tunc licet incipias, qua flebilis Allia luce
Vulneribus Latiis ſanguinolenta fuit.
Quaque die redeunt REBUS MINUS APTA GERENDIS
Culta Palæſtino ſeptima feſta viro.
Magna ſuperſtitio tibi ſit natalis amicæ:
Quaque aliquid dandum eſt, illa ſit atra dies.

Nihil evidentius pro ſententia noſtra afferri poterat, dum non ſolum illum diem, quem Judæis feſtum eſſe dicit, inter atros collocat, ſed & expreſſim rebus gerendis minus aptum pronuntiat. Hic vero, Tibullus: *d)*

Aut ego ſum cauſſatus aves, aut omnia dira
Saturni, aut ſacrum me tenuiſſe diem.

Iſta communis eſt lectio, quam & probam ac germanam

a) De dieb. *b)* Lib. I. Georg. *c)* Lib. I. de art. amandi. v. 413. ſeqq. *d)* Lib. I. Eleg. III.

nam vocat Janus Douſa, *a)* Joſephus Scaliger *b)* tamen melius ita legi contendit:

- - Aut omnia dira
Saturni ſacra me tenuiſſe die.

Quæcunque lectio placeat, Saturno dira & infauſta multa tribui, adparet. Quamvis autem meditationibus non infauſtum eſſe dixerint Saturnum, ex Platonicorum tamen diſciplina obſervat Cœlius Rhodiginus *c)*, in ipſa ſecretiore nimisque adſidua contemplativæ mentis delectatione cavendum inprimis eſſe ſenem iſtum. Frequenter enim contingere, ut, quos ſublimiorum contemplationum traxerit illecebris, agnoſceret filios, &, quæ tetra ejus ferocitas eſt & immanitas, devoraret. Itaque certum omnino eſt, quod hebdomadis ſeptimus dies, ob Saturni noxam, ater ſeu Ægyptiacus habitus fuerit priſcis. Qua in re gaudeo, tum ab aliis doctiſſimis viris, tum inprimis a Joanne Marſhamo, antiquitatum intimiorum peritiſſimo theſaurario, *d)* benignum mihi calculum mitti. Ita enim ille: *Saturni ſidus, apud aſtrologos, triſte eſt & malevolum: Ideo dies ſeptimus, ex eorum diſciplina, ater habetur, & inauſpicatus, & rebus agendis inidoneus. Ejusmodi ſuperſtitionem docuerunt Orpheus & Heſiodus. Quam & Tacitus e) de Judæis agens reſpexiſſe videtur: Septimo die otium placuiſſe ferunt: quia is finem laborum tulerit. -- Alii honorem eum Saturno haberi: ſeu quod e ſeptem ſideribus, quis mortales reguntur, altiſſimo orbe, & præcipua potentia, ſtella Saturni feratur: ac pleraque cœleſtium vim ſuam & curſum ſeptenos per numeros conficiant.* Ceterum non immerito mirari jubeat, quid Rogerio Baconi, homini Chriſtiano, in mentem venerit, quando ſeptimum ſeptimanæ diem poſtliminio quaſi, Judæorum more, feriandum ſuadere

a) In præcedan. cap. II. p. 431. edit. Grævian. *b)* In not. ad h. l. *c)* Antiq. Lect. loc. cit. *d)* Can. Chron. ad ſec. IX: p. m. 197. *e)* Hiſt. V. 4. 5.

ſuadere auſus eſt, quod ſegne ac tardum Saturni ſidus parum ſit felix ac idoneum rebus agendis. *a)*

§. VII.

Ita vero ſeſe habebat paganorum Sabbathum, quod non alio, quam ſuperſtitioſæ iſtius ab operibus abſtinentiæ reſpectu, licet vocare. Atris enim & infauſtis diebus à faciendis operibus ſeriis temperatum eſſe antiquitus, ſatis, ut puto, in aprico eſt. ἰδὺ μεμάθηκας, inquit Lucianus *c)* ἤδη ὁδῦ πάρεργον τί βύλεται αὐτοῖς ἡ ἀποφρὰς ἡμέρα. ὅταν μήτε αἱ ἀρχαὶ χρηματίζωσι, μήτε εἰσαγώγιμοι αἱ δίκαι ὦσι, μήτε τὰ ἱερὰ ἱερυργῆται, μήθ᾽ ὅλως τι τῶν αἰσίων τελῆται, ἄυτη ἀποφρὰς ἡμέρα. *Ecce didiciſti jam obiter quoque ſignificationem Apophradis, & quis dies ater vocetur: quando videlicet neque Magiſtratus de rebus conſultant publice, neque lites in foro diſceptantur, neque ſacrificia peraguntur, neque quidquam eorum, quæ more & auſpicato ſolent, tractatur: is dies Apophras ſive ater dicitur.* Sed hæc de iis potiſſimum diebus intelligenda videntur, quæ publico juſſu atram acceperant maculam. De Ægyptiacis vero quomodo ſentiendum, ex modo dictis patet. Et quorſum atros adpellaſſent rebusque agendis minus idoneos, absque illa ſuperſtitione ſi fuiſſent? Jam pergendum ad ipſa loca, quæ de Sabbatho paganorum agere viſa ſunt eruditis. *c)* Primo autem merito Patres nominabo loco. Ita Clemens Alexandrinus: *d)* ἀλλὰ καὶ τὴν ἑβδόμην ἱερὰν ὐ μόνον οἱ Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι, καθ᾽ ἣν ὁ πᾶς κόσμος κυκλεῖται τῶν ζωογονυμένων καὶ φυομένων ἁπάντων. Ησίοδος μὲν ὕτως περὶ αὐτῆς λέγει.

πρῶτον

a) Voſſ. theolog. gent. lib. & cap. cit. *b)* Pſeudologiſt. Tom. I. p. 438. ſeq. opp. pag. add. Sibrand. Siccam. de faſtis Kalendar. Rom. cap. V. *c)* Grot. Lib. I. de verit. relig. Chriſt. Huet. dem. Evangel. propoſ. IV. c. 11. aliis. *d)* Lib. V. Strom. p. m. 600. Conf. Euſeb. ex Ariſtobulo Lib. III. dem. Evang. c. 12, 667.

πρῶτον ἔνη, τετράς τε καὶ ἕβδομον ἱερὸν ἦμαρ.

Καὶ πάλιν. Εβδομάτη δ' αὖθις λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.
Ὁμήρος δέ. Εβδομάτη δ' ἤπειτα κατήλυθεν ἱερὸν ἦμαρ.
Καὶ. Εβδόμη ἦν ἱερή.
Καὶ πάλιν. Εβδομον ἦμαρ ἔην καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα.
Καὶ αὖθις. Εβδομάτη δ' ἠοῖ λίπομεν ῥόον ἐξ Αχέροντος.
ναὶ μὴν καὶ Καλλίμαχος ὁ ποιητὴς, (Ariſtobulus & ex eo Euſebius Linum heic nominant pro Callimacho) γράφει.

Εβδομάτη δ' ἠοῖ καὶ οἱ τετύκοντο ἅπαντα.
Καὶ πάλιν. Εβδόμη εἰν ἀγαθοῖσι καὶ ἑβδόμη ἐστὶ γενέθλη.
Καὶ. Εβδόμη ἐν πρώτοισι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ τελείη.
Καὶ. Επτὰ δὲ πάντα τέτυκτο ἐν οὐρανῷ ἀστερόεντι
Εν κύκλοισι φανέντ' ἐπιτελλομένοις ἐνιαυτοῖς.

Quinetiam ſeptimum diem eſſe ſacrum, non ſolum ſciunt Hebræi, verum etiam Græci, per quem univerſus mundus circumagitur eorum, quæ vivagignuntur, & omnium, quæ producuntur a natura. Heſiodus quidem ſic de eo dicit:

Primum luna nova, & quarta eſt & ſeptima ſacra.

Et rurſus:

Septimo erit rurſus lux vel clariſſima ſolis.

Homerus autem:

Sacra dies vero poſt hæc tum ſeptima venit.

Et:

Septima ſacra fuit.

Et rurſus:

Septenusque dies fuit, in quo cuncta peracta.

Et rurſus:

Luceque ſeptena ex ripis Acherontis abimus.

Quin etiam Callimachus Poeta ſcribit:

Omnia ſeptenaque die perfecta fuere.

Et rurſus:

Septimus inque bonis natalis ſeptimus illi eſt.

Et:

Et:

Septimus inprimis, perfectus ſeptimus exſtat.

Et:

Sidereo in cœlo ſeptem perfecta fuere
Orbibus, omnia quæ adparent volventibus annis.

Equidem locorum, qui ex poetis heic adducuntur, minimum aliqua non adeo ſtricte ad ſeptimum diem hebdomadis attinere, omnino fatendum eſt. Sane Heſiodum de ſeptimo menſis, qui Apollini ſacer fuit, loqui, expreſſiſſimis ipſe verbis innuit, *a*) quin & pergit numerare octavam, nonam, decimam, & ſic deinceps. Nemo autem dixerit duodecimam ſeptimanæ diem. Sed Clemens Ariſtobulum forte ſequutus eſt, quem non multo ante citaverat. Ipſius igitur mens & verba attendenda ſunt potiſſimum, quæ, ſi quid judico, huc recidunt: Græcis non minus ſeptimum ſeptimanæ diem ſacrum, non tamen feſtum, fuiſſe, quam Ebræis: rationem peti à ſeptenarii numeri perfectione, quo cuncta gubernari credidiſſent. Quis autem non videt, ſeptem planetas indigitari, quos κοσμοκράτορας nuncuparunt Aſtrologi veteres? Hanc ob cauſſam ſeptimam diem ἱερὰν ait creditam, *ſacram* ſeu *religioſam*, eo ferme ſenſu, quo A. Gellium eam vocem explicare vidimus. *b*) Quod autem Seldenus heic contendit, per ἑβδόμην non tam diem, quam numerum, ſeptenarium in communi indigitari, id quidem ſatis mihi perſuadere nequeo. Quo enim exemplo, aut qua ratione probabitur, per adjectivum, nam ita habendum eſt, in genere fœminino elliptice poſitum, rem deſignari, quæ aut maſculinum poſtulabat, aut neutrum, indefinite ſumendum? Ad hæc Ariſtobulus, quem ſequi heic Clemens videtur, clare

a) Heſiod. de dieb. ſtatim ab init. Vid. quoque Menag. ad Diogen. Laert. Lib. III. ſegm. 2. p. m. 134. ſeq.
b) Vid. §. præced.

clare Sabbathi mentionem facit: Δι' ἑβδομάδων δὲ, inquit, καὶ πᾶς ὁ κόσμος κυκλεῖται τῶν ζωογονουμένων ἁπάντων. τῷ δὲ ΣΑ'ΒΒΑΤΟΝ αὐτὴν προσαγορεύεσθαι, διερμηνεύεται ἀνάπαυσις οὖσα. *Hebdomadum enim orbe, ipſa quoque tam animantium quam plantarum omnium univerſitas volvitur. Illum autem Sabbathum, hoc eſt requietem adpellamus.* Succedat nunc Tertullianus, cujus duo egregia loca in hanc rem exſtant. Unus eſt in apologetico *a*): *plerique veſtrum in adfectatione aliquando ut cæleſtia adorandi ad ſolis ortum labia vibratis. Aeque ſi diem ſolis lætitiæ indulgemus, alia longe ratione, quam religione ſolis, ſecundo loco ab eis ſumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipſi à Judaico more, quem ignorant.* Alter vero in opere adverſus nationes *b*), a Jacobo Gottofredo primum edito, ubi: *Qui ſolem*, inquit, *& diem ejus nobis exprobratis, agnoſcite vicinitatem. Non longe a Saturno & Sabbathis veſtris abſumus.* Sabbathum tribuitur heic Judæis, tempus definitur, dies Saturni, &, quod notabile, celebratio ipſa deſcribitur, quod otio & victui operam dederint, ſi hiſce forte characteribus Sabbathi cultum metiri quis velit. Nemo tamen feſtivitatem quandam inde exſculpat. Nam & diebus atris tale quid ſibi permittebant cultores iſti. Pigris ſemper feſtum eſt. Sed neque Theophilus Antiochenus *c*) adverſatur mihi περὶ τῆς ἑβδόμης ἡμέρας loquens, ἣν πάντες ἄνθρωποι ὀνομάζουσι, *de ſeptima die, quam omnes homines celebrant*, ea nempe, quam dixi, ratione. Patribus iſtis adjungo Judæos, & inter eos primo loco Flavium Joſephum *d*) cujus verba, etſi ſupra adlegaverim ex parte, merentur tamen heic plenius repeti. Ita autem ſe habent illa: Πρῶτον μὲν γὰρ οἱ παρὰ τοῖς Ἕλλησι φιλοσοφήσαντες, τῷ μὲν δοκεῖν τὰ πάτρια διεφύλαττον, ἐν δὲ τοῖς πράγμασι καὶ τῷ φιλοσοφεῖν ἐκείνῳ κατηκολούθησαν, ὅμοια μὲν περὶ Θεοῦ

Nn φρο-

a) Tertullianus Apologetic cap. 16. *b*) Lib. I. c. 13. *c*) Lib. II. adverſ. Autolycum. *d*) Lib. II. adverſ. Apion. p. 1081.

φρονοῦντες, εὐτέλειαν δὲ βίου καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους κοινωνίαν διδάσκοντες. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πλήθεσιν ἤδη πολὺς ζῆλος γέγονεν ἐκ μακροῦ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας. οὐδ' ἔστιν οὐ πόλις ἑλλήνων οὐδητισοῦν, οὐδὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἓν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν, καὶ αἱ νηστεῖαι, καὶ λύχνων ἀνακαύσεις, καὶ πολλὰ τῶν εἰς βρῶσιν ἡμῖν οὐ νενομισμένων παρατετήρηται. μιμεῖσθαι δὲ πειρῶνται καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους ἡμῶν ὁμόνοιαν, καὶ τὴν τῶν ὄντων ἀνάδοσιν, καὶ τὸ φιλεργὸν ἐν ταῖς τέχναις καὶ τὸ καρτερικὸν ἐν ταῖς ὑπὲρ τῶν νόμων ἀνάγκαις *Primum quidem Græcorum Philoſophi in ſpeciem quidem jura patriæ conſervabant: in negotiis vero & ipſius philoſophiæ tractatione illum*, de Moſe loquitur, *ſequuti ſunt, de Deo ſimilia ſapientes, frugalitatemque vitæ & communionem inter ſe invicem docentes. Quin & jam pridem multi noſtram pietatem æmulati ſunt. Neque eſt civitas Græcorum uſquam, aut barbarorum, nec ulla gens, ad quam ſeptimanæ, in qua vacamus, conſuetudo minime pervenerit, jejuniaque, lucernarum accenſiones & multa alia circa cibum, legibus noſtris non ſtatuta, non obſerventur. Conantur autem mutuam noſtram imitari concordiam & bonorum largitionem & in artibus exercendis ſedulitatem & tolerantiam in tormentis, quæ pro legibus noſtris ſuſtinemus.* Plana heic ſunt omnia & cum ſententia mea amice conſpirant, præſertim quæ de imitatione Ebræorum profert Joſephus. Neque repugnat Seldenus, qui tantum huic loco explicando inſumſit operæ; ſed fuſe potius, quæ huc pertinent, confirmat, dum de antiquitate denominationis dierum a ſeptem planetis more ſuo, hoc eſt, eleganter & ex fundamento diſſerit. Sed ita non erat, ut rejiceret eorum verſionem, qui τὸ ἐκ μακροῦ per *jampridem* vel *a longo tempore* exprimunt, & ſuam *a longe* ſubſtitueret, qua rituum & morum Judaicorum inanem veluti umbram & ſimulacrum exhibuiſſe Gentiles diceret. Iſtud quidem non negatur Joſepho, ſed plus tamen videtur voluiſſe,

luiſſe, nempe, nihil novum eſſe hujuſmodi, ſed a primis Græcorum philoſophis, ad quos ſane provocat, introductum veluti & adprobatum. Sed & ſatis clarum ex ſupra dictis eſſe arbitror, quod per τὸ τῆς ἑβδομάδος ἔθος non ratio ſolum hebdomadico cyclo tempus deſcribendi, ſed laborum etiam intermiſſio, quæ die Saturni recepta fuit paganis, intelligenda ſit. Addit enim Joſephus: ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς. Quid vero fiet de Philonis loco, qui, ſi præſertim verſionem intuearis tantum, feſtum potius, quam atrum Saturni diem vocat? *a*) Ita enim de eo loquitur: ἑορτὴ γὰρ οὐ μιᾶς πόλεως ἢ χώρας ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ παντὸς, ἣν κυρίως ἄξιον καὶ μόνην πάνδημον ὀνομάζει καὶ τοῦ κόσμου γενέσιον. *Eſt enim feſtus non unius populi, ſed in univerſum omnium, qui ſolus dignus eſt, ut dicatur popularis feſtivitas & mundi natalis.* Sed commode heic monet Seldenus *b*): non dici, quod omnibus regionibus populisve feſtus ſit in plurali, ſed in ſingulari tantum, τοῦ παντὸς, quod ipſe mundum ſeu univerſum interpretatur, adeoque nequaquam verba iſta ad peculiarem gentium feſtivitatem, & prærogativam pertinere, contendit. Quod ſi hæc minus placeant, laxiori ſenſu, per me licet, verba capias, ut ἑορτὴ idem notet, quod abſtinentia religioſa, victu lautiori notabilis. Alias ipſe Philo *c*) fatetur, quod civitates quædam Sabbathum ſemel in menſe, numerando a novilunio, celebrent, quod de feſtivitate peculiariter ſic dicta utique ſumendum eſt. Unde nec illud in contrarium mihi ſenſum rapi debet, quod alibi dicit Philo: *d*) τίς γὰρ τὴν ἱερὰν ἐκείνην ἑβδόμην οὐκ ἐκτετίμηκεν, ἄνεσιν πόνων, καὶ ῥᾳστώνην αὑτῷ τε καὶ τοῖς πλησιάζουσιν οὐκ ἐλευθέροις μόνον, ἀλλὰ καὶ δούλοις μᾶλλον καὶ ὑποζυγίοις διδούς; *quis ſacrum illum ſeptimum diem non honorat, remiſſionem laborum feriasque adferentem patri familias cum domeſticis, non ingenuis tantum, ſed & mancipiis & jumentis?*

 Quem

a) Lib. de opificio mundi. *b*) cap. 14. *c*) de Decalogo. *d*) Lib. II. de vit. Moſ.

Quem locum de eo honore intelligit Seldenus, quem gentes peregrinis & exteris, alienos ritus ſuis in territoriis concedendo, exhibere olim ſolebant. Sed quid vetat, quo minus ad diei Saturni obſervationem eum trahamus? Proximum nunc eſſet, ut & Rabbinorum placita colligerem. Sed illi fere de obligatione loquuntur tantum, ubi communis ſententia: eo præcepto, quod in Mara intra menſem ab exitu ex Ægypto, adeoque ante Decalogum, a Deo promulgatum eſſe contendunt, ſolos Judæos & proſelytos juſtitiæ teneri, non vero Gentes & domicilii proſelytos. Hinc rationem & cauſſam inſtitutionis ex hiſce Dei ipſius verbis adſignant *a)* אך את שבתותי תשמרו כי אות הוא ביני וביניכם לדורותיכם לדעת כי אני יהוה מקדשכם ושמרתם את השבת כי קודש הוא לכם *Tantummodo*, ſeu, ut volunt Junius & Tremellius, *veruntamen Sabbatha mea obſervate, quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris: ut conſtet, quod ego ſim Dominus ſanctificans vos. Obſervetis igitur Sabbathum, quia ſanctum eſt vobis.* Judæi itaque communiter Sabbathum ad ſe pertinere volunt. Quæ vero ab aliis nonnullis de obligatione univerſali & Sabbatho in ipſo inferno a Gentibus, quæ id neglexerint in vita, ſervando, jactantur, portenta ſunt & monſtra, nullam promerentia fidem. Sed neque ad hiſtoriam de Gentilium Sabbatho quidquam faciunt iſta. Doctiſſimus tamen Huetius *b)* inſignem quendam R. Gedaliæ *c)* locum laudat, quaſi is omnes confiteri ethnicos diceret, univerſum orbem Sabbathum celebrare. Verba quæ nec ipſe, nec Seldenus recitavit, niſi fallor, hæc ſunt: אומרים האומות שכל העולם שמר יום השבת מלעבור בו עד ימו מתן תורה מרכתיב ויברך אלהים את יום השביעי וגו *Dicunt gentes, quod univerſus mundus obſervaverit diem Sabbathi,*

a) Exod. 31, 13. 14. *b)* Dem. Evang. prop. IV, cap. 11. §. 1. *c)* Ex שלשלת הקבלה fol. 90. p. 6. in med.

bathi, ne quidquam in eo operati fuerint, uſque ad promulgationem legis, ex eo, quod ſcriptum ſit: Et benedixit Deus diei ſeptimo. &c. At vero heic de paganis ſeu ethnicis plane non eſt ſermo apellæ, ſed Chriſtianorum tantum, quos verbis proxime præcedentibus נוצרים appellarat, nunc vero *generali* hoc titulo האומות cenſet, ſententiam refert. Et notum ſatis eſt, quod multi inter Chriſtianos Sabbathi præceptum ex verbis illis *a)* ויברך אלהים את יום השביעי ויקדש אותו: elicere ſatagant, quaſi in ipſo Paradiſo illud traditum, & a Patriarchis, uſque ad ipſam Decalogi promulgationem, conſtantiſſime obſervatum fuerit. Neque repugnant Judæi omnes, quamvis multi plane diverſum ſentire videantur, mira de benedictione, ibi memorata, ſomniantes. Sed ſatis de Judæis, quos nunc ipſa Gentilium promiſcua turba excipiat. De Tibullo & Ovidio paullo ante dictum eſt. At ex hoc alius locus ſupereſt, *b)* qui non inepte ad rem præſentem poteſt attemperari:

Sed quanto minus ire voles, magis ire memento.
Perfer, & invitos currere coge pedes.
Nec pluvias vita: nec te peregrina morentur
Sabbatha: nec damnis Allia nota ſuis.

Duplicis ferme generis erant peregrina Sacra. Vel enim ex aliis regionibus adſumta publicaque auctoritate introducta, vel peregrinis Romæ degentibus conceſſa ita adpellabantur. Et hæc poſterioris generis heic indigitantur ſine dubio. Quid vero? anne peregrina ſabbatha morari poterant amaſium illum defetiſcentem, quo minus procul iret longasque vias pergeret carpere, quod ibi monet Naſo? Non magis id crediderim, quam ſi quis hodie Lutheranum quendam a Pontificiorum, vel ipſorum Judæorum

 etiam,

a) Geneſ. 2, 3. *b)* de remed. amor. v. 217. ſeqq.

etiam, eadem forte urbe degentium, ſacris impeditum velit dicere, quo minus exſequutus fuerit, quæ voluiſſet. Ergo iterum adparet, diem, quo Sabbathum Judæis colebatur, atrum fuiſſe & inauſpicatum, ut & Allienſem illum. Porro nec repudiandus Suetonii locus eſt: a) *Diogenes Grammaticus diſputare Sabbathis Rhodi ſolitus, venientem* Tiberium, *ut extra ordinem audiret, non admiſerat: Ac per ſervulum ſuum in ſeptimum diem diſtulerat. Hunc Romæ ſalutandi ſui cauſſa pro foribus adſtantem, nihil amplius, quam ut poſt ſeptimum annum rediret, admonuit.* Ubi pulcre Caſaubonus: *Etſi obſervatio hebdomadum*, publica nempe & ex inſtituto civili, *ante tempora Theodoſii vulgo recepta non fuit, annotare tamen licet, multo ante tale aliquid Græcos præſertim & Aſiaticos in functionibus vitæ quotidianæ ſolitos obſervare. Quod, quia imitatione Judæorum, qui jam tum per orbem ſparſi erant, inſtitutum eſt, etiam nomen Sabbathi multi retinuerunt.* Non alium igitur, quam atrum illum Saturni diem intelligo per Sabbathum. Neque enim ſatis probari poteſt, Sabbathum pro quolibet ſeptimo die recurrente ſumi, quod vult Seldenus. Cujus longa de hoc loco diſputatio nihil evincit aliud, quam quod ſupra dixi, Sabbathum haut raro per ſeptimum diem, quem colunt Judæi, per ſeptimum quoque annum, ſi id ratio poſtulet, deſcribi, itemque pro ſeptimana quandoque ſumi. Nec cauſſa eſt, quare non ſatis, quæ de Diogene narrat Suetonius, diei Saturni, ut atro, convenire timeat. Saturnum enim hujusmodi actionibus non admodum inimicum & iniquum credebant veteres, niſi modum excederent, uti ſupra adnotavi. Præterea non facile dixerim, pari omnes ſuperſtitione æſtimaſſe illum diem. Singulare aliquid Lucianus in Pſeudologiſta habet, b) ubi dicterium illud excuſaturus, quo perditum & malitioſum hominem ἀποφράδι ſeu diei atro & inauſpicato comparaverat, inter alia, hoc quoque

a) Tiber. cap. 32. b) p. m. 440.

que narrat exemplum: *ὁ δὲ Ἑβδόμην, ὅτι ὥσπερ οἱ παῖδες ἐν ταῖς ἑβδόμαις, κἀκεῖνος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἔπαιζε καὶ διεγέλα καὶ παιδίαν ἐποιεῖτο τὴν σπουδὴν τοῦ δήμου. Alius Hebdomadam*, vocavit alium, *quod, perinde ut pueri ſeptimanis diebus ſolent, etiam ille in concionibus luderet & rideret, & ſerium ſtudium populi pro ludo haberet.* Quem locum Gellius quodammodo videtur explicare *a*), de ebrioſo quodam philoſophaſtro in græcæ facundiæ gloria jactabundo, interim tamen Platonici nomen ambitioſe præferente, agens: *Is*, inquit, *in conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus lunæ ſolemne nobis fuit, ſimul atque modus epulis factus, & utiles delectabilesque ſermones cœperant, tum ſilentio ad audiendum petito, loqui cœptabat.* Sicut autem Luciani verba firmatæ ſupra ſententiæ nil detrahunt quidquam: ita Gellius non Saturni, ſed Lunæ diem ſacrum Athenis referre videtur nonnullis. Aſt rectiſſime ſentire videntur mihi, qui heic non ſeptimanarum, ſed menſium dies ſeptimas intelligunt *b*), quæ hebdomades Lunæ vocantur Gellio. Vulcatii Gallicani, quocunque ſenſu tandem accipias locum, mea parum refert. Ita enim ille: *c*) *Arma militum ſeptima die ſemper reſpexit, veſtimenta etiam & calceamenta & ocreas.* Et paucis interjectis: *Exercitium ſeptimi diei fuit omnium militum, ita ut & ſagittas mitterent & armis luderent.* Quæ ſane, uti nihil probant, dum non minus de Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, aliisve, quam Saturni, diebus capi poſſunt, ita nec quidquam adverſantur mihi. Exercitum enim luſtrare, ſagittis certare, armis ludere, non ſolius Sabbathi aut feſti opera ſunt. Ad eundem quoque cenſum Cenſorini quoque locus pertinet *d*): *Alter ille partus qui major eſt, majori numero continetur, ſeptenario ſcilicet, quo tota*

 vita

a) N. A. Lib. XV. 102. *b*) Meurſ. Græc. feriat. voce ἑβδόμη. Samuel Petit. eclog chron. Lib. IV. c. 4 & Selden. cap. 17. *c*) de Avidio Caſſio cap. 6. Tom. I. hiſt. Auguſt. *d*) de die natali, c. 11.

vita humana : ut & Solon ſcribit, & Judæi in dierum numeris ſequuntur, & Etruſcorum libri rituales videntur indicare. Septenarium enim numerum perfectum & ſanctum credidiſſe veteres, nemo dubitat. Quæ Lampridius habet de Alexandro Severo *a*), *quod ſeptimo die, quum in urbe fuiſſet, aſcenderit capitolium, templa frequentaverit,* non ſine ratione vel Chriſtianiſmum, ad quem propenſum fuiſſe Alexandrum, ex eo conſtat liquido, quod templum Domino noſtro dedicare paraverit,ut ibidem narrat Lampridius, vel Judaiſmum videntur ſapere. Sic plane de Judæis, quorum tum multi vivebant Romæ, Seneca loqui videtur *b*): *quomodo ſint Dii colendi*, inquiens, *ſolet præcipi. Accendere aliquem lucernam Sabbathis prohibeamus : quoniam nec lumine dii egent, nec fuligine.* Si quis tamen pertinaciter pro hoc loco pugnet, quaſi feſtivitas aliqua Sabbathis inter Gentiles etiam obſervata inde probari queat : Age tantillum concedamus, eo præſertim tempore, aliquos exſtitiſſe, qui, etſi nec Judæi, nec proſelyti fuerint, Judaicos tamen mores ac ritus adfectaverint, ut de Aurelia Soteria quadam & Seneca ipſo oſtendit Seldenus *c*). At horum exempla rariora ſunt, neque ad hanc quæſtionem adeo pertinent.

§. VIII.

Atque ex his adparet, quatenus Sabbathum Gentile admittendum vel negandum ſit. Si nempe feſta paganorum reſpicias, aut omnino Saturni diem, ob otium, quod pavidis placuit, hoc titulo gaudere velis, rationes, quibus id probes, non deerunt. Neque timendum eſt, ut varia convicia, quæ in Judæorum Sabbathum profuderunt paganorum quidam, opponi nobis queant. Quippe ea cultum ipſum, rationem ejus, ignaviam, ſeu nimiam, ut videbatur, laborum abſtinentiam, & ſi quæ his ſunt ſimilia, peculiaria

a) Cap. 43. Tom. I. hiſt. Aug. *b*) Epiſt. XCV.
c) Cap. 18.

culiaria Judæis, taxant, ipſorumque conviciatorum perverſitatem & impudentiam nimis patefaciunt. Ideo nec illis diluendis quidquam operæ impendam. Quod ſi vero ſeptimum quis diem, feſtum & tamquam ex inſtituto publico celebrem, venditare velit; ille viderit, quomodo id, non dicam ex antiquitate probare, ſed omnino contra eam defendere velit. Ex locis certe modo adductis nihil hujusmodi poterit confici. Silent quoque, qui de Sacris antiquorum cum cura & luculenter egerunt. In faſtis autem & Kalendariis, quæ alia feſta affatim exhibent omnia, hujus feſtivitatis nec volam deprehendimus nec veſtigium. Quamvis enim ſeptem priores litteras aliquando in iis deprehendamus revolvi: Id tamen novum eſt & adhuc minus hebdomadas probat, quam ſi quis ex eo, quod in ſplendidiſſimo illo Kalendario, quod ſub Imperatore Conſtantio, circa annum O. R. CCCLIV. compoſitum, & Valentino cuidam dedicatum, in Theſauro Græviano exhibetur *a*), ad decimam ſemper excurrant dies, decades velit colligere. Quin immo ſunt, qui haut obſcure negant, eo more, quo Judæi ſolent, ſeptimum diem a paganis eſſe cultum. Inter alios famoſus ille veritatis divinæ deſertor & perſequutor, Julianus *b*): ποῖον ἔθνος, quærit, ἐϛὶ πρὸς τῶν Θεῶν ἔξω τȣ̃, ȣ̓ προσκυνήσεις θεοῖς ἑτέροις, καὶ τȣ̃ μνήσθητι τῶν σαββάτων, ὃ μὴ τὰς ἄλλας οἴεται χρῆναι φυλάττειν ἐντολάς; *Quænam gens eſt per Deos, ſi hæc demſeris: non adorabis Deos alios & memento Sabbathorum, quæ mandata cetera ſervanda non putet?* Temerarium autem fuerit, ſine idoneo teſtimonio, immo renitente & reclamante antiquitate, quidquam adfirmare. Ceterum, ſi de recentiorum temporum idololatris quæratur, alia plane deciſione opus eſt, quum præſertim non ignota ſint eruditis, quæ de Ormutinis referat Caſpar

a) Tom. VIII. cum notis Petri Lambecii. *b*) apud Cyrill. contra Julian. Lib. V. ſtatim ab init. p. m. 152.

Belga *a*): *ſingularum hebdomadarum quatuor dies feſti ac ſolemnes aguntur: Solis, ſive Dominicus a Chriſtianis: Lunæ ab Ethnicis: Veneris a Mauris, qui ſub veſperam a negotiis & laboribus feriati ſacra illa exſecranda obeunt. Sabbathum demum a Judæis celebratur.* Quibus addi poſſunt, quæ ex rerum Indicarum ſcriptoribus de Mexicanis refert Huetius: *b*) *Jubilæum celebrant quinquageſimo quoque recurrente anno & Sabbathum ſeptimo quoque die.* Sed ex his & ſimilibus quid tandem aliud probari poteſt, quam κακοζηλία Diabolica, in feſtis etiam Veterum & omnibus eorum Sacris nimis obvia? Quemadmodum ergo ſanctis myſteriis impoſtor ille perverſiſſimus ſemper illuſit, ita quidem, ut, quod ſine horrore cogitare non poſſum, loco propitiatorii, quod in ſanctiſſimis olim penetralibus, ſoli Pontifici per annum patentibus ſemel, redemtionis noſtræ adumbrabat negotium, in Eleuſiniis ſuis verendorum ſeu viriliùm *c*), ſeu muliebrium *d*), ſubſtituerit ſimulacrum: ita nec mirum, ſi & in ſabbathi ignominiam multa effinxerit.

§. IX.

Quod ſi jam quæras, an ex lumine naturæ Sabbathum cognoverint Gentiles, negari equidem non poteſt, rectam hominis rationem, quam primum Sabbathum a Deo præſcriptum, ex revelatione divina intelligat, debitum quoque & officium ſuum cognoſcat; quod non ſolum æquum, pium & neceſſarium ſtatuat, obedire Creatori, ſed & Sabbathum nulla ſibi ratione inconveniens judicare queat. At, ſi ea ſola de obligatione conſulatur, huc forte numquam perveniet.

a) In epiſt. Ormutina, quæ exſtat inter Indic. Jeſuitar. & ſcripta eſt de ann. CIↃ IↃ CLIX. *b*) Dem. Evang. prop. IV cap. VII. *c*) ut vult Tertullian. adverſus. Valent. cap. I. *d*) ſecundum Theodoret. Lib. III. Græcar. affect. Conf. Meurſ. de Eleuſiniis. Caſtellan. in Eortolog. alii.

niet. Procedamus ordine & ſingula quæſtionis momenta breviter, hoc eſt, pro ratione inſtituti, expendamus. Ac primo quidem *de ſeptimo die* res ex jam dictis clariſſima eſt. Eum enim, quum numquam ut feſtum coluerint publice Gentiles, quomodo ad ejus cultum ex lumine naturæ ſeſe obligatos ſenſiſſe, probabitur? Neque adeo illud dici poteſt, quod Gentiles *certum per ſeptimanas ſingulas diem*, quicunque ille fuerit, indidem agnoverint. Tametſi enim probari quiret, ſingulis ſeptimanis aliquando agitata eſſe feſta, id tamen caſu, minime vero, quod hebdomadicam illam dierum periodum reſpexerint, contigiſſe putabis. Quod vero de obſervatione diei Saturni, ut atri & Ægyptiaci, dictum eſt, nihil aliud quam meram ſuperſtitionem & κληδονισμὸν, rem inviſam Deo, redolet. At de feſtis, ac iis quidem inprimis, quæ per ſingulos menſes recurrebant, quid pronunciandum? An quidquam ex eorum obſervatione aliud confici poſſe putabimus, præterquam deteſtabilem maligni Spiritus κακοζηλίαν: Contorta, perverſa, ac depravata ibi omnia, quæcunque ex vera religione improba illa æmulatione adſumta erant, ſive tempus conſideres, ſive ritus: niſi forte epulas & ludos a recta ratione præcipi contendas. Verum animus jam præſagit, fore, ut mihi diſtinctio inter rem & rei modum ingeratur. Sic ſequeretur tantum, certos & ſelectos dies Divino cultui adſignaſſe paganos, non attendendo, an verus ſit ille cultus, an ſuperſtitione & impia idololatria rejiculus. An vero & hoc pacto ex lumine naturali Sabbathum ſibi neceſſarium cognoverint pagani, valde adhuc dubito. Si omnibus diebus, immo horis ac momentis ſingulis, Deum coli debere diceres, id utraque largirer & approbarem magnopere, etiamſi de naturali præcepto loquereris. At ubi de peculiaribus diebus peculiari quoque cultui ſeligendis, ſermo eſt, probari prius ex lumine naturali debet, quisnam ſit ille cultus, quibuscunque tandem abſtractionibus utaris.

utaris. Is forte, qui precibus, gratiarum actionibus, laudibus abſolvitur? At hic omnibus diebus æque convenit. Fiducia, ſpes, amor, potiſſima divini cultus momenta, nullam admittere intercapedinem, ſed perpetua eſſe debebant. Ritus vero peculiares ac cærimonias ignorat ratio naturalis, *a)* aut, ſi ex ſe fingat, temeraria eſt & limites migrat impudenti auſu. Ita vero patet, nihil heic injungere naturam ut neceſſarium de tempore, ſed liberum relinquere, an alium diem colere præ alio, an pari omnes ratione obſervare libeat, modo pietas & religio nullum detrimentum capiat. Videamus tamen, quæ forte contra iſta jactari queant. Non autem ſic vel aliter ſentientium recenſere nomina ſuſtineo, ne ſplendor & numerus junctæque umbone phalanges liberum fortaſſis judicium intercipiant & obturbent. Ipſe potius adverſarii cujusdam perſonam induam, quæ aliquam ſpeciem videntur habere, diligenter indicaturus.

§. X.

Ante omnia vero ſupponendum, colendum eſſe Deum non privato ſolum ac interno, ſed publico etiam externoque cultu. Iniquam enim & plane obſcuram oportet eſſe eam religionem, quæ inter arctas tantum pectoris anguſtias deliteſcat, nunquam vero exeat foras, nec de Deo, ſummo Bono, quam voluptatem ac delectationem percipit, expromat ac inter alios celebret publice & cum fructu. Accedit, quod Deo, ob ſummam, qua valet, potentiam, ſummam bonitatem, juſtitiam & ſanctitatem, uno verbo, ob ſummam perfectionem, cultum quoque, quam humana conditio præſtare poteſt, ſummum debeamus. Si ſummum, eccur tu publice de propria devo-

a) In quam rem elegans locus exſtat ap. Platon. LL. appendic. Vid. etiam Diſſert. modo laudata de Simia Dei part. II. c. 1. p. m. 199. ſeq.

devotione teſtari aliosque exemplo tuo incitare erubeſcas? Deinde etiam quiete opus eſt. Cui enim mortalium tam continua & pertinax laborum perfunctio, ut numquam a laſſitud ne adquieſcere & reſpirare optet? Certe non tam ſuadere aut præcipere, quam cogere natura quietem videtur Porro & concedendum, tempus illud, quod vacat nobis, cultui divino eſſe aptiſſimum. Dum enim in iſtam rerum divinarum magnitudinem injicere ſeſe animus & intendere cupit, ab aliis curis incongrue urgetur. Ergo hæc jungenda ſunt: cultus Divinus & laborum intermiſſio. De tempore adhuc quæritur. Quum vero Deum bonum ordinem amare conſtet: Homo vero otio ſemper indulgere nec debeat, nec poſſit, ſi ſibi quidem ſuſtentare vitam, ſuisque de victu & amictu proſpicere velit honeſte: certos ac definitos dies ex certis temporum periodis ſeligere cultui divino, ſufficiat. Verendum tamen, ne, ſi longiores conſtituamus periodos, quales ſunt anni & menſes, ſegniores videamur in religione. Præterea, quia Deus undiquaque perfectiſſimus eſt, conveniens erit & æquum, ſi perfecto iſtæ periodi dierum numero abſolvantur. Quod ſi numeros omnes tranſcurras, profecto ſeptenarius, ſi quis alius, perfectus, immo ſanctus erit, Multa paſſim in hanc rem extant, ſed præ ceteris notabilia ſunt, quæ Clemens Alexandrinus, *a)* alio tamen, quam ut naturale probaret Sabbathum, propoſito, congeſſit, veluti: quod neque matrem neque prolem agnoſcat ſeptenarius numerus, hoc eſt, quod neque ex alio per multiplicationem natus ſit, neque alium, qui quidem intra duodenarium ſit, gignat; quod ſeptem ſint primogeniti angelorum principes, ſeptem

a) Lib. VI. Strom p. m. 683 - 687. Add. *A. Gell.* N. A. Lib. III. cap. 10. *Macrob.* Lib. I. ſomn. Scipionis cap. 6. *Meurſius* in decad. Pythagor. & plures alii.

ſeptem planetæ, ſeptem pleiades, ſeptem ſoni in lyra, ſeptem in facie ſenſuum inſtrumenta, os nempe, nares, aures & oculi: quod ætatum mutationes fiant per ſeptenarium; ſive, quod ſeptimus quilibet annus homini ſit climactericus, uti ex elegantiſſimis, quas recitat ipſe & laudat Cenſorinus, ut vidimus, *a)* Solonis elegiis patet: quod itidem in morbis dies critici ſint ſeptimus & decimus quartus, & ſic porro. Palmarium autem eſt, & ad hanc rem facit egregie quod de luna dicit Clemens: ἡ σελήνη τε δι᾽ ἑπτὰ ἡμερῶν λαμβάνει τοὺς μετασχηματισμούς. κατὰ μὲν οὖν τὴν πρώτην ἑβδομάδα διχότομος γίνεται. κατὰ δὲ τὴν δευτέραν, πανσέληνος. τρίτη δὲ ἀπὸ τῆς ἀποκρούσεως αὖθις διχότομος. καὶ τετάρτη ἀφανίζεται. *Luna vero ſeptimo quoque die mutat figuram. Et in prima quidem hebdomade eſt ſemiplena: in ſecunda eſt plena: Tertia autem ab occaſu rurſus eſt ſemiplena. & quarta non adparet.* Videsne quid de ſeptimanis natura præcipiat? Neque illud inſuper habendum, quod ſeptem ſint planetæ. Ex hoc planetarum numero, quam belle cyclus hebdomadicus demonſtrari queat, accipiamus. *b)* Notiſſimum, etiam in ruſticorum vulgus, eſt, quod quilibet dies, νυχθήμερον inquam, quatuor & viginti abſolvatur horis. Jam vero ab antiquiſſimis temporibus invenerunt viri ſapientes rerumque naturalium periti, iſtis horis præeſſe planetas, eo ordine, quo in cœlo adparent. Incipiendum vero ab eo, a quo dies nomen habet. Sic, quum hodie dies Saturni ſit, primam quoque horam Saturnus habet, ſecundam Jupiter, tertiam Mars, quartam Sol, quintam Venus, ſextam Mercurius, ſeptimam Luna, octavam iterum Saturnus, & ſic deinceps, ſemper in orbem redeuntibus planetis. Hæc obſervatio non ſolum nomina dierum, & ordinem, ſed etiam numerum definit. Ecce hoc ſchema, quod monſtrabit, diem qui cras illuceſcet, Soli eſſe tribuendum:

♄. ♃.

---

a) Vid. §. VII. ſub fin. *b)* Dio. Caſſ. hiſtor. Rom. Lib. XXXVI. p. m. 37.

♄.	♃.	♂.	☉.	♀.	☿.	☽.	♄.	♃.	♂.	☉.	♀.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
☿.	☽.	♄.	♃.	♂.	☉.	♀.	☿.	☽.	♄.	♃.	♂.
13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.	23.	24.

Ultimæ horæ heic præeſt Mars, quem excipit Sol, craſtinæ horæ primæ & totius diei, ut voluerunt veteres, Dominus. Quod ſi cras a Sole numerare inceperis, primam diei perendini horam luna gubernabit. Et ſic de reliquis. Putanti liquebit. Plures autem, quam ſeptem, dies non occurrent. Ergo iterum perfectus eſt cyclus hebdomadicus. Ut jam nihil dicam de harmonia διὰ τεσσάρων, ex qua itidem dierum numerum, ordinem & nomina deduxerunt Ægyptii, *a)* qui ſeptem quaſi tetrachorda in cœlo eſſe dixerunt: Aut de circulari illa demonſtratione, quam refert doctiſſimus Scaliger. *b)* Quæ quum ita ſint, fatendum erit, quod gentiles utique ex lumine naturæ cognoverint, non tantum certos dies cultui divino eſſe tribuendos, ſed & ex ſingulis ſeptimanis ſeligendos: aut, ſi id non fecerint, non leviter in naturæ legem impegerint.

§. XI.

Verum enim vero, ad cultum externum quidem naturaliter obligari homines, nemo, niſi truculento errore inſtinctus, negabit. Quid enim eſt cultus externus? Nonne omnibus tandem actionibus colere Deum tenemur, teſtarique quavis occaſione, nos vereri ſummum Numen, religionemque ac virtutem nobis cordi eſſe? Ita ſane ſtatuendum eſt, quia ſummum Deo debemus cultum. Hoc vero quando fiet, ne iniqua & obſcura ſit religio, periculum erit nullum. Immo publice ea lucebit & honeſtam aliorum æmulationem provocabit efficaciſſime. Plus enim omni-

no

a) Vid. Voſſ. Theol. gentil. Lib. II. c. 34. *b)* Lib. I. de emendat. tempp. p. 8. ſeq.

no valent virtutum documenta, quam nudæ & adfectatæ verborum præſtigiæ. Neque ſic dici poterit, quod Deum etiam publica devotione celebrare erubeſcas. Quantum ad quietem, eam utique neceſſariam homini arbitror, ſed quando fere laſſus eſt, & laboribus confectus. Tunc non optime procedunt meditationes attentiores. Juvabit autem aliquando laborum ordinem interrumpere, etiamſi non laſſitudine deficiant vires, ut eo aptiores ſimus piis meditationibus! Neque omittent hoc, quicunque virtuti & pietati operantur ſerio, ſed ita, ut quandocunque libuerit, ad negotia revertantur, nec præciſe integros dies continua meditatione conſumant, quod & in ſe difficile, immo plane intolerabile videtur humanæ naturæ. Neque Deus hoc requirit adeo, contentus, ſi a creaturarum amore ac ſtudio cor evacuemus ac liberemus; quod vero non ſemel tentare per ſeptimanam ſufficit, ſed continenter eo connitendum. Deus etiam Deus ordinis eſt; Non tamen video, quid inde confuſionis oriri poſſit, ſi jugiter colamus Deum, & vel inter ipſa negotia bonitatem & majeſtatem ejus celebremus, aut meditemur. Vanus ergo timor eſt, ne longiores temporum periodi habeantur. Siquidem, quo minus ſingulis diebus precum, laudum, gratiarum actionum munere, etiam publice, ſi ita libeat, fungaris, nihil vetat. At ſi de ſpirituali cultu quæſtio ſit, ipſi dies nimis erunt longi. Quæ proinde pro adſtruendo cyclo hebdomadico conquiruntur, huc omnino non ſpectant. Ex ſeptenarii tamen numeri perfectione non magis eum conficies, quam ſi forte ſeptem Sacramenta eſſe, inde probare conentur Papiſtæ. Non libet argumenta ipſa perluſtrare. Quod de luna adfertur, non adeo certum eſſe, docebunt menſium dies, ſive de periodico, ſive de ſynodico ejus curſu quæras. Aliam tamen reſponſionem ipſe Clemens *a)* ſubminiſtrat, ex Seleuco Mathematico, qui

a) Loc. cit.

qui ſepties lunam ſingulis menſibus faciem mutare; tradidit. In illo vero argumento, quod a planetarum dominio deſumtum eſt, primo ſupponitur, viginti quatuor ſingulis diebus eſſe horas, quod equidem hodie ſatis receptum eſt, olim vero non item ubique. Romanos certe non ante annum ab V. C. quadringenteſimum ſexageſimum primum, horas & horologia accepiſſe: Apud Græcos vero illarum obſervationem non multo anteceſſiſſe Alexandri Macedonis ætatem, erudite docet Salmaſius. *a*) Neque Judæi antiquiores ejusmodi diei diviſionem & horarum παρατήρησιν vulgo in uſu habuerunt, ſed recentioribus temporibus a Romanis id inſtituti hauſerunt. Res tota tandem ad Aſtrologos Babylonios vel Ægyptios devolvitur, qui ſolos æquinoctiorum dies in XII. partes diſtribuebant primum, noctesque in totidem, diu quidem ante, quam horarum & horologiorum uſus invaluit. Id inſigni exemplo ex Oro Apolline declaravit laudatus Salmaſius. *b*) Refert nempe Orus, Ægyptios, ſi duo æquinoctia ſignificare voluiſſent, pingere conſueviſſe Cynocephalum ſedentem. Eam enim ejus animalis naturam fuiſſe, ut per æquinoctia duodecies in die urinam projeciſſet, æquali ſemper ſpatio ſervato, totiesque clamorem tuliſſet. Egregium naturæ ſcitum! Hinc a Trismegiſto dies æquinoctiales, non vero quosvis, in duodecim partes diviſas eſſe, tradunt aliqui. Alii aliter. Utut ſit, neceſſariam eſſe iſtam diſtributionem, nemo perſuadebit facile. Poterat enim in plures partes diſcerpi dies, ſine flagitio. Et ſcire ego pervelim, num iis olim gentibus, quæ nullas alias diei partes ferme notant, quam mane, meridiem, veſperam, & horarum vice umbram pedibus metiebantur, illa lex fuerit abſcondita? Deinde vero, quid de illis ſentiemus, qui, non dicam,

Oo pau-

a) Not. ad Solin. polyhiſt. p. m. 651. *b*) p. 643.

pauciores olim numerabant planetas, ut de veteribus Chaldæis narrat Diodorus Siculus, *a)* ſed omnino numerum iſtum non ſine ratione auxerunt noſtra memoria? anne & illi everterunt iſtam legem? Et quis denique tantum planetis in horas & dies, immo in corpora & mentes noſtras inde derivatum, conceſſit imperium? quis ab aſtrologia naturæ legem incipiet? nam non omni tempore ars iſta nota fuit nec ubique exculta? *b)* Ex his autem clarum eſt, cujus farinæ ſint reliquæ quoque demonſtrationes a planetis deſumtæ, quibus nemo cedet facile, niſi forte, quod abominor, naturæ legem à dominis iſtis commentitiis ſtatui, ſervili credulitate nugetur. Itaque hebdomadis obſervatio utilis eſt & probabilis, non tamen neceſſaria, ſi ſolam reſpicias naturam.

TANTUM.

---

a) Lib. II. biblioth. hiſt. p. m. 116. *b)* De origine ejus & primis cultoribus vid. præter Voſſium, Menag. ad Diogen. Laert. Lib. I. ſegm. XI. Jo. Scheffer. de natura & conſtitut. philoſophiæ Italicæ. cap. V.

* * * * * * * * *

III.

GERH. HERMANNI MENCKENII,

Oldenburgenſis,

MEDITATIO PHILOLOGICA

Super locum vexatum

ZEPHAN. I, 9.

De

הדולג על המפתן:

h. e.

INSILIENTE SUPER LIMEN.

Argumentum.

Prooem. Ad melius intelligendum locum quendam Scripturæ, opus eſſe docetur, ut Author, tempus, quo ſcripſerit, occaſio & ſcopus notus ſit, hinc vita Zephaniæ breviter deſcribitur. Majores ejus indicantur. Ex qua tribu fuerit, declaratur. Nomen ejus derivatur. Scopus Prophetæ innuitur. Tractationis modi ratio redditur. §. I. Senſus vocis דלג eruitur. Ex variis Scripturæ locis ſtabilitur. Differentia inter hanc vocem & vocem קפץ oſtenditur. §. II. Lexicographi notantur. Principalis ſignificatio particulæ על profertur. Significationes modificatæ ejusdem particulæ indigitantur.

tur. Eæque probantur. §. III. De Radice vocis הםפתן agitur. Significatio ſpecialis affertur. Differre eam à voce משקוף monetur. §. IV. Sententia Paraphraſtis *Jonathanis* Chaldæi, eorumque qui à partibus ejus ſtant, recenſetur. *Gebhardi* expoſitio verborum *Jonathanis* rejicitur. §. V. Sententia præcedenti Paragrapho allata refutatur. Quippe quæ Prophetam ταυτολογον faciat, Phraſeologiæ reique ipſi repugnet. Varia ad cultum Dagonis pertinentia adducuntur. §. VI. Argumenta à *Geamœno* pro jam refutata ſententia in medium producta enervantur. Verſum octavum non modo de ſacerdotibus, ſed de omnibus Judæis agere creditur. Ejusque ſenſus brevibus exponitur verbis. §. VII. Verſio LXX. viralis, in eamque *Cyrilli Alexandrini* Commentatio, itemque Arabica verſio exhibetur. Judicium de iis fertur. §. VIII. Anonymorum quorundam apud *Tarnovium* & *Joh. Schmidium* recenſita trutinatur. Cum nexu eam conjungi non poſſe evincitur. §. IX. *Ruperti Abbatis Tuitienſis* opinio traditur, de eaque ſententia fertur. §. X. *Lucæ Oſiandri* declarata conjectura in eundem cenſum ac priori paragrapho allegata refertur. §. XI. Quid ſenſerint *Marckius*, *Theodoretus*, *Lyra*, *Menochius*, *Hieronymus* & *Coccejus*, docetur, idque refellitur. §. XII. Argumenta, quibus *Marckius* ſententiam ſuam ſtabilire voluit, pondere carere demonſtrantur. §. XIII. *Cornelii à Lapide* ὑποθεσιν carioſo ſuperſtructam eſſe fundamento oſten-

oſtenditur. §. XIV. Sententia vulgatiſſima variorum & Authoris, eam defendentium verbis dilucidatur. §. XV. Argumentis præſidium Authoris ſententiæ fertur, & ab objectionibus vindicatur. §. XVI. Expoſitio *Gebhardi* dijudicatur. Atque Diſſertationi finis imponitur.

PROOEMIUM.

DUm in eo in præſenti ſum, ut difficiliorem loci Prophetici apud Zephaniam, ſacrum Prophetam occurrentis, ſenſum paulo penitius inquiram, non abs re me facturum exiſtimo, ſi ea, quæ ad biographiam hujus Prophetæ pertinere videntur, priusquam ipſum intrare adytum liceat, in atrio aperiam. Quod ſi enim juxta tritam celebriorum Hermeneutarum regulam multo felicius intricatus alicujus loci ſenſus indagatur, ſi de autore ſcripti conſtet, ad tempus, quo vixerit & ſcriptum exaraverit, reſpiciatur, & occaſio, quæ ad ſcribendum ipſum impulerit, non negligatur; res ipſa profecto loquitur, multum ad enucleandum præſentis loci ſenſum conferre, ſi hiſce prolegomenis animus lectoris prius præparetur, quo vivam hujus prophetiæ imaginem animo infigere valeat. Neque vero tam impeditus, & implicatus hic labor eſt, ut vel prorſus, vel ſine ſumma difficultate præſtari nequeat, quemadmodum forte in aliis Prophetis, Obadia, Malachia, qui ſuam ipſius genealogiam ſilentio involverunt, perſpicere licet; ipſe namque Propheta in frontiſpicio vaticinii ſui nonnullam ſui commemorationem injicit, ſuique adeo cognitionem non prorſus ſterilem eſſe voluit. Quod ſi in tempus inquiramus, quo Prophetiam ſuam exaravit, proprium ejus & irrefragrabile teſtimonium, fa-

ctam eam eſſe tempore Joſiæ, filii Amon, Regis Judæ, nos de eo facile convincet. Σύγχρονος itaque fuit Prophetæ Jeremiæ, qui itidem tempore pientiſſimi, religioſiſſimique Regis Judæ, Joſiæ, futuri ævi fata prænunciavit, teſte Jer. 1:2. Imprimis, poſt reformatam a Joſia Eccleſiam, circa annum mundi 3316. prophetaſſe videtur, quem calculum *MARTINIUS in memoriali Biblico* exhibet, *pag. 109.* quamvis *CALVISIUS* uſque ad annum 3324. progrediatur. Iſtorum vero temporum rationem altius perpendentes, non poſſumus, quin cum *B. LUTHERO* flagitioſiſſimum & idololatricum populi Iſraelitici ſtatum ſerio deploremus, qui tot tantisque ſcelerum portentis ſe contaminaverat, ut graviſſimam juſtiſſimi Judicis pœnam incurreret, & comminationes Prophetarum acerbiſſimas de abducendis in captivitatem Babylonicam tribubus perciperet. Quod ſi ulterius ad genealogiam hujus Prophetæ animum attendamus, non prorſus ἀγενεαλόγητον illum eſſe Spiritus S. voluit; dicitur quippe *filius Chuſi*, *filii Gedalia*, *filii HISKIA.* Non curamus incertam Judæorum regulam, qua omnes Prophetarum majores, qui in ſacro Codice enarrantur, pariter Prophetas fuiſſe, aſſerere non dubitant, neque enim univerſali exemplorum inductione hoc demonſtrare invicte valent. Id tamen exinde evinci poſſe, clariſſimum eſt, nobilitatis genere fuiſſe præſtantiſſimos, virosque ſanctiſſimos, hujus Prophetæ majores digniſſimos, quorum ſub initium hujus vaticinii mentio injiciatur. Non incongrue exinde (quandoquidem harmonia temporis de eo nos dubitare non ſinit) cum *ABEN-ESRA* concludit *HUETIUS in demonſtratione Evangelica*, *propoſ. 4. p. 512.* eum Ezechiæ, Regis Juda abnepotem, proindeque de tribu Juda oriundum fuiſſe, quamvis *EPIPHANIUS*, cum eoque *MICRÆLIUS in ſyntagmate hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* eum tribui Simeon ſuos debere natales, aſt procul omni

fun-

ſundamento, aſſerant. Et profecto, elegantiſſimum ſapientiæ divinæ τεκμήριον ex eo eluceſcit, quod majores huius Prophetæ tam ſollicite deſcriptos deprehendamus; eo ipſo quippe ſollicitum Spiritus S. ſtudium apparet, ne ob nomen cum aliis commune Zephanias incaute confunderetur, quam conjecturam *B. JOHANNES SCHMIDIUS in commentario in Prophetas minores, p. 1162.* ſuppeditat: Ita enim negari non poteſt, ſi ſacras debita cum attentione ſcrutemur literas, varia illorum, qui *ZEPHANIÆ* nomine prædita fuerunt, occurrere exempla. Sic ſacerdos quidam, quem Rex Zedekias ad Jeremiam miſit, *Jer. XXI, 1.* & ad quem Babylone adverſus eundem Jeremiam a Semaja Pſeudo-Propheta miſſa fuit epiſtola, *Jer. XXIX, 25.* qui etiam tandem a Rege Babyloniæ ſupplicio affectus eſt, *Jer. LII, 24.* nomine Zephaniæ commemoratur, & pater Joſiæ, *Zach. VI, 10* eodem hoc vocabulo inſignitur. Quæ, niſi me fallunt omnia, ſatis clare evincunt, non deeſſe cauſas, quæ factam hanc majorum Prophetæ noſtri indigitationem minime fuiſſe ſupervacaneam demonſtrent: Omnes ſcilicet iſti a Propheta recenſiti majores ſine dubio autoritate & honoribus apud populum Judaicum tunc temporis fuerunt illuſtres, quo Judæi vatem noſtrum allata majorum ejus denominatione, ab aliis eadem voce appellatis, commode diſcernere potuerint. Quod ipſum hujus Prophetæ munus concernit, non improbabile *SEBASTIANUS SCHMIDIUS in comment. ad 2. Reg. XXIII, 2. p. 268.* exiſtimat, eum fuiſſe ſacerdotem, vel Levitam. Unde vero commoda hujus vocis etymologia petenda ſit, nondum extra omnem controverſiam poſitum eſſe videtur. Nonnulli a radice צָפָה nomen iſtud derivare non dubitant, ea potiſſimum nixi ratione, quod elegantiſſimum hac ratione Prophetarum epitheton inſinuetur. Licet vero Prophetis iſtud in ſacro Codice tribui vocabulum,

ductu *Ezech. III, 17. XXIII, 7.* inficiari non auſim, in eam tamen deſcendere non poſſum ſententiam, ut verum hoc nominis hujus ἔτυμον eſſe aſſeverem. Scriptura enim quodammodo, & punctorum ratio hic repugnare videtur, ut cum *TARNOVIO in Prophetas minores, p. 1184.* loquar. Alii nomen hoc a voce צפון *aquilo*, derivant, idque nomen a vi verbi prædicati Prophetam obtinuiſſe exiſtimant, provocantes ea propter, ne ſine omni veri ſpecie hæc aſſeruiſſe videantur, ad filiorum Zebedæi exemplum, qui βοανεργὲς, ὅ ἐςιν, υἱοὶ βροντῆς, *Marc. III, 17.* eadem de cauſa a Chriſto fuerint appellati. Sed enim vero, nec huic ſubſcribere poſſum ſententiæ, partim, quia diverſa utriusque exempli eſt ratio, partim, quia nimis remota & anxie quæſita iſthæc eſt interpretatio. Propinquiorem igitur atque convenientiorem ſi inveſtigare velimus derivationem, ad naturalem literarum poſitum utroque oculo reſpiciendum eſſe, arbitror. Quod ſi accurate obſervemus, non poſſumus non eorum ambabus manibus amplecti ſententiam, qui a radice צפן *abſcondit*, & יה *Jehova*, nomen Prophetæ deducunt. Facilior etenim atque concinnior hujus deductionis reddi poterit ratio, quandoquidem κεκρυμμένον κυρίε, *Secretarium Dei* inſinuat. Ita namque palam eſt, Dominum hunc Prophetam ad eorum, quæ aliis abſcondita fuerunt & occulta, cognitionem admiſiſſe, ut ea divino inſtinctu populo revelaret, publiceque annuntiaret: Hinc pœnam, quæ ſecuros latebat, prænunciat, & felicitatem Regni Chriſti, per Evangelium declarandi, piis perſpectam reddit; quandoquidem tum contra Judæos, tum contra alias vicinas gentes, Prophetiam ſuam proponit. Scopus enim Prophetæ noſtri in eo reſidet, ut, quomodo ſeveriſſima Dei punientis manus per ſeriam pœnitentiam ſit agnoſcenda, invictis rationibus contra ſceleratos peccatores, qui poſt lau-

laudabiliter ſuſceptam a Joſia reformationem nihilominus variis flagitiis & ſceleribus ſe contaminarunt, oſtendat. Tribus hoc abſolvit capitibus, quæ totidem etiam prophetiæ noſtræ partes exhibent; prima pars eſt comminatoria, continens prædictionem de vocatione gentium, & Eccleſiæ dilatatione, temporibus Meſſiæ exſpectanda. Hinc plurima peccatorum, tum reſultantis exinde pœnæ divinæ, documenta penes hunc Prophetam reperire licet. Inprimis notatu digniſſimus *c. I, 9.* occurrit locus, in quo graviſſimam juſtiſſimi Numinis pœnam etiam in הַדּוֹלֵג עַל הַמִּפְתָּן *inſilientem ſuper limen*, derivandam eſſe perhibetur, quam phraſin primo intuitu non adeo luculentam, pro ingenii mei modulo hac ipſa diſſertatione explanare, animus eſt. Deterrere me quidem a propoſito variæ doctiſſimorum quoque interpretum circa hoc oraculum expoſitiones potuiſſent: Sed hæ ipſæ calcar potius addiderunt, ut qualecunque ingenium in iis exercerem, ſique forte lapſus fuerim, a doctioribus in regiam viam reducerer. Has igitur interpretationes inter ſe conferre, quæque in iſto ſententiarum divortio intentioni Spiritus S. potiſſimum conformis eſſe videatur, aperire decrevi, quo ex collatis inter ſe ſententiis veritas theſeos noſtræ eo clarius pateſcat. Priusquam vero ad ipſam hujus commatis interpretationem me accingam, vocabulorum Hebraicorum, in rubro occurrentium, explanatio erit ſuſcipienda. Quanti enim a juſta & accurata vocum authenticarum expoſitione in exegeſi ſacra dependeant montes, neminem, niſi qui ſolem in meridie negare audeat, inficias iturum crediderim: Quotidiana iſtud comprobant exempla, & vel unicus iſte, quem jam præ manibus habemus, locus ſatis ſuperque demonſtrare poteſt; præpoſteras quippe & incongruas locorum ſcripturæ explicationes, male intellectæ vocum Hebraicarum emphaſi ſuam ſæpiſſime debere originem, penitior hujus oraculi

conſideratio clarius edocebit. Quo itaque eo planior ſecuturæ expoſitioni via ſternatur, operæ pretium me facturum ſperavi, ſi ad uberiorem harum vocum declarationem propius me convertam, & in genuinam illarum emphaſin paulo ſollicitius inquiram, ut vel hac ratione, quænam alteri præferri mereatur ſententia, ex dextra verborum acceptione eluceſcat. Quod opus dum jamjam in me ſuſcipio, præſentiſſimum divini Numinis auxilium devotiſſimis & ſupplicibus precibus humillime mihi exoro.

§. I.

AD ipſam commatis Prophetici tractationem dum pedem ulterius promovemus, quo juſto ſingula ordine perſequamur, de voce הַדּוֹלֵג, quæ primo omnium ſe nobis conſiderandam offert, ſepoſitis tantiſper reliquis, diſpiciendum erit. A radice deſcendit דָּלַג, quæ tum in Kal, tum in Piel, notionem *ſaliendi*, *ſaltandi*, *inſiliendi*, *tranſiliendi*, obtinet; vel, ut *R. NATHAN in Concordantiis* loquitur, הלוך ורקוד, *ambulare aut ſilire* denotat, & hoc ipſo in oraculo, (quod vel tironibus linguæ Hebrææ conſtat) in conjugatione Kal uſurpatur, cum è contrario in Piel *Pſal. XVIII. 30.* reperiatur. Omnis ſaltus, qui in rebus humanis concipitur, partim velocitatem, partim facilitatem involvit; ſcilicet in eo vis oppoſitionis inter ambulationem & ſaltum latet, quod illa tardo ſæpius & lento greſſu ſuſcipiatur, hic vero mira celeritate, & ultra conſuetum naturæ curſum fiat; quæ ipſa celeritas neceſſario quodam nexu facilitatem ſecum conjunctam habet, & absque apta membrorum corporis diſpoſitione, & facili illorum motu commode perfici nequit. Sigillatim, quod emphaſin Hebræi verbi concernit, notari meretur, quod inſignem aliquam vi notionis ſuæ importet alacritatem, adeoque non *ex metu non audere tangere*, verum potius

præ

præ lætitia, magna cum fiducia atque potentia ſubſilire, denotat. Apparebit illud ſole meridiano clarius, ſi ſacras ſtudioſius evolvere velimus literas, & juſtum locorum Biblicorum, in quibus hoc verbum reperitur, examen inſtituamus. Ut fidem dictis faciam, provoco ad *2. Sam. XXII, 30. & Pſal. XVIII: 30.* quibus in oraculis fortiſſimus heros Davides luculentum ſummæ in Deum fiduciæ ſignum exhibiturus, intimam ſuam tribus hiſce verbis lætitiam declarat: באלהַי אֲדַלֶּג-שׁוּר *in Deo meo transſiliam murum.* In eo ſcilicet erat pientiſſimus Davides, ut pro egregiis illis, quas pro inexhauſta Dei gratia adverſus longam potentiſſimorum hoſtium catervam nactus fuerat, victoriis, devotiſſimis Divinum Numen laudibus celebraret, quod tanta utique perficiebat lætitia, tantaque animi ſui fiducia, ut mirum quantum a ſcopo Sacri ſcriptoris aberrare oporteat, qui ulla timoris alicujus veſtigia hic deprehendiſſe, ſibi perſuadeat: Ita quippe hoc verbo *ſaliendi* indigitabat, non modo plenam a ſe virtute Divini Numinis reportatam eſſe adverſus hoſtes crudeliſſimos victoriam, ſed & inopinata victoriæ celeritate, quaſi per ſaltum hoſtem eſſe diffugatum, atque animo ſtrenuo, & corpore agili ac expedito munitiſſimas urbes feliciter eſſe expugnatas. Quid vero? nonne & hic Davidem præ tripudio ſubſiliiſſe exiſtimemus, eumque ſaltu ſuo luculenta tenerrimi gaudii indicia edidiſſe credamus? Liquet illud ulterius ex *Cant. II, 8.* quo in loco de ſponſo fidelium, Jeſu Chriſto, perhibetur, quod iter ad ſponſam, ſcilicet ad deſponſatam ſibi Eccleſiam acceleret מְדַלֵּג עַל הֶהָרִים *ſaliens ſuper iſtos montes.* Ipſe profecto verborum poſitus hoc in loco de inſigni animi lætitia nos certiores reddit, quod tam planum, tamque apertum eſt, ut ſi quis vel minima metus aut timoris indicia hic quærere auſit, admodum eum ſuo abundare ſenſu dixerim. Nihil quippe in Codice ſacro frequentius eſt, quam

quam ut intima, & ab omní timore vacua cordis noſtri lætitia, ſub eleganti ſponſi ſponſæque ſimili nobis repræſentetur. Et quæſo, ipſam hujus oraculi *συνάφειαν* paulo penitius inſpiciamus, eamque cum aliis ſcripturæ locis conferamus, tum, quantus Servatoris noſtri erga Eccleſiam ſuam ſit amor, perſpicue intelligemus. Ipſe ſcilicet Meſſiæ in carnem adventus hiſce verbis proponitur, de quo nullum penes eos, qui Chriſti nomen gerunt, dubium eſſe poteſt, eum ſpontanea voluntate legi ſe ſubjeciſſe, quo eos qui ſub lege erant liberaret, & hilari prorſus animo admirandum redemtionis opus perfeciſſe: Quidni ergo & hoc in loco lætum animi ſaltum innui, ſtatuamus? Notabilis præterea hoc ipſo in loco eſt, duorum verborum, eorundemque ſynonymicorum דַּלֵּג & קַפֵּץ conjunctio, quare, ut Hebræorum Magiſtri Codicem ſacrum a *ταυτολογίας* vitio liberent, commodumque horum verborum diſcrimen inſinuent, דלג eſſe, *ſaltare, uno pede terræ impoſito, altero elevato*; קפץ vero, *utroque pede ſublato ſaltare*, perhibent, docente *BUXTORFIO in Lexico Talmudico-Rabbinico, p. 542.* denique non obſcure noſtra confirmari poterit ſententia ex *Jeſ. XXXV, 6.* quo in loco divinus ſcriptor feliciſſimum exoptatiſſimumque Eccleſiæ N. T. ſtatum deſcripturus, reliquis ſolatii generibus & iſtud annumerat: אָז יְדַלֵּג כָּאַיָּל פִּסֵּחַ *tunc ſaliet claudus, velut cervus*; quæ ſane verba luculenta inſignis gaudii documenta eſſe quis non videt? Præclariſſima utique, quæ tempore N. T. ſe exſerent, beneficia nobis oſtendunt, quæ tum in corpore, tum in anima atque ſpiritu pateſient; tum enim miraculorum divinorum pelagus ſe aperiet, & omni bonorum plenitudine affatim ſatiabuntur. Et quidni tum etiam claudi, qui pedibus hactenus graviſſime laborarunt, nunc vero miraculoſa Meſſiæ virtute firmos receperunt talos, præ tripudio ſalirent, ſuæque lætitiæ teſtimonia ederent? Ex his in medium

adductis

adductis ſole meridiano clarius, judicio noſtro, elucet, vehementer eos falli, qui actum transſiliendi præ metu ſuſceptum, verbo huic tribuere, & vindicare, non dubitant: Perſevero potius in mea, quam ipſius Scripturæ S. autoritate tueor, ſententia, qua *ſummam animi lætitiam, alacritatem, atque fiduciam, animum etiam ſtrenuum, corpus agile ac expeditum*, hoc verbum inſinuare, cum *B. GEIERO ad Pſal. XVIII, 30. p. 228.* ſtatuo. Conf. *B. GLASSIUS in* Philologia Sacra, p. 2055. *VATABLUS in h. l. MARCKIUS in h. l. p. 847. MERCERUS in Lexico, p. 420. FORSTERUS in dictionario Hebræo, p. 193.*

§. II.

Magna particularum in lingua ſancta vis eſt, uberiorque illarum conſideratio, & accuratior inveſtigatio ad eruendum genuinum Spiritus Sancti ſenſum apprime facit, hinc ſicco pede particula על prætereunda non eſt, ſed in proprium ejus ſignificatum ſtrenue jam erit inquirendum. Si Lexicographos vocumque diribitores audire libet, innumeros ferme, eosque ſe mutuo tollentes particulæ huic vindicatos eſſe ſignificatus, videbimus. Ita namque incerto atque confuſo ordine variæ iſtæ digeſtæ ſunt ſignificationes, ut dubium atque ſuſpenſum nonnunquam hærere lectorem, quam ſignificationem huic vel iſti loco tribuere conveniens ſit, mirum videri nemini debeat. Sic hanc particulam per *ſuper, ſupra, contra, adverſus, coram, propter, eo quod, ad, apud, juxta, ſecundum*, transferre conſueverunt. Sed quam feliciſſime ex intricato hoc negotio nos expediemus, ſi duce *B. PFEIFFERO in theſauro Hermeneutico, p. 299. 556. & 557.* primum abſtractam & generalem hujus particulæ ſignificationem perpendamus, & deinceps reliquos ſignificatus materiales, modificatos, & analogicos, judicioſe atque methodice digeramus, ut adeo

& hæc

& hæc explicandi ratio adminiculum quoddam ad faciliorem locorum ſcripturæ explicationem afferre queat. Principalis igitur, & prædominans particulæ עַל ſignificatio eſt *ſuper*, ad quam ceteræ omnes facillimo reduci poſſunt negotio. Scilicet, conſideratur iſta ſignificatio *ſuper, vel ratione loci, vel dignitatis, vel dominii, vel curæ, vel victoriæ, h. e. contra, ita ut involvatur conatus emergendi ſuper aliquem.* His obſervatis & præſtructis, nullum eſt dubium, quin omnia divini Codicis oracula quam commodiſſime una eademque generali unius particulæ ſignificatione explicari poſſint. Quænam autem ſignificatio modificata noſtro in oraculo obtineat, non obſcure ex ipſis textus viſceribus colligi poſſe crediderim, cum enim *de inſiliente ſuper limen* ſermo Sacro Scriptori inſtituatur, *ſuper, ratione loci*, h. l. intelligi, in propatulo eſt. Neque vero exiſtimandum eſt, ac ſi hæc explicatio, qua varii hujus particulæ ſignificatus ad unum generalem referuntur, meris atque incertis nitatur conjecturis, quæ firmum extorquere aſſenſum minime queant; ipſa enim hujus particulæ origo nos de veritate hujus explicationis palam convincit. Deſcendit quippe particula עַל omnium confeſſione a radice עָלָה *aſcendit*, adeoque recte exinde infertur a *KOERBERO in Lexico particularum Ebræarum p. 89.* particulam עַל proprie denotare (1) *partem eminentem, ſuperiorem, ſuperficiem, verticem*, (2) *ſublime, ſummitatem, eminentiam, excellentiam*, (3) *incumbentiam, imminentiam*, (4) *vicinitatem.* Neque ab hac ſententia alienum ſe ſiſtit *Summe Venerandus Dresdenſium Antiſtes*, *VALENTINUS ERNESTUS LOESCHERUS*, quin potius ex hac ipſa origine genuinum particulæ עַל ſenſum deducere videtur: Ita namque *in Cauſis Linguæ Ebrææ, p. 419.* animi ſui ſenſa explicat: עַל denotare *actum mentis, qui unius rei excellentiam præ alia, vel vim ejus prævalentem, & in aliam*

aliam rem agentem concipit, quod ſine contrarietate, & cum ea fieri poteſt.

§. III.

Quod ultimam vocem הַמִּפְתָּן concernit, derivatur illa a radice deperdita פתן quam ſi reſtituere ex lingua Arabica, atque Æthiopica velimus, denotabit: *Scrutatus eſt, probavit, tentavit*, docente *OPITIO in Lexico, p. 894.* Ab iſta radice nomen hocce cum præfixo מ auctum deſcendit. Si ſpecialiorem hujus vocis ſignificatum eruere velimus, proprie *limen inferius, quod calcari ſolet*, denotat. Patet illud tum ex præſenti noſtro oraculo, tum ex loco *1. Sam. V, 5.* ubi ſacerdotes non calcare perhibentur limen Dagon. Minime ergo confundendum eſt hoc vocabulum cum vocabuio מַשְׁקוֹף quod non limen inferius, ſed *ſuperliminare* notat, & *Exod. XII, 7.* occurrit. Nomen iſtud *ab aſpectu* (quia radix שקף unde derivatur, hoc ſignificatu gaudet) ita appellatum eſſe, *BUXTORFIUS in Lexico Hebraico, p. 845.* opinatur. Conferatur *ROBERTSON in theſauro linguæ ſanctæ, p. 856. SCHINDLERUS in Lexico Pentaglotto, p. 1506. MERCERUS in Lexico, p. 2281.*

§. IV.

Abſolutis iis, quæ ad neceſſariam vocum declarationem facere quodammodo videbantur, ad ipſam textus expoſitionem progredior, in qua, ut certa tractationi conſtet methodus, ita me geram, ut primum rejiculas removeam hypotheſes, deinceps meam recenſeam ſententiam, eandemque argumentis ex ipſis textus viſcetibus deſumtis ſtabiliam, atque corroborem. Primum itaque locum occupet *interpres Chaldæus, JONATHAN*, qui hæc verba : על כל הדולג על המפתן ita παραφράζει: על כל דמהלכין בנימוסי פלשתאי h. e. *ſuper omnes, qui ambulant in legibus Philiſtæorum.* Rabbini, He-

Hebræorum Magiſtri, quo lucem his verbis quodammodo obſcuris affundant, hoc commentario ea illuſtrare ſolent: ופירושו כמו שאמר על כן לא ידרכו כהני דגון על מפתן דגון: h. e. *Et ſenſus borum verborum eſt: ſicut dicitur: (1. Sam. V, 5.) Propterea non calcabunt ſacerdotes Dagon ſuper limen Dagon.* Sic *R. SALOMON JARCHI ad h. l.* qui iisdem plane verbis utitur. Non diſſimili ratione *R. DAVID KIMCHI* loquitur *in h. l.* וי"ת כל דמהלכין כזימוסי פלשתאי' ר"ל שלא היו דורכים על המפתן של בית ע"ז כמו הפלשתים שנאמר בהם על כן לא ידרכו כהני דגון על המפתן דגון: h. e. *Et Jonathan interpretatur: Super omnes qui ambulant in legibus Philiſtæorum, vult dicere, quod non calcaverint ſuper limen domus cultus alieni; ſicut & Philiſtæi, quoniam dicitur de illis (1. Sam. V, 5.) propterea non calcant ſacerdotes Dagon ſuper limen Dagon.* Conſentit *GROTIUS*, in translatione ſua verba Hebræa primum vertens: *Qui arroganter ingreditur ſuper limen;* & deinceps: *Qui limen templi transſiliunt;* atque porro in explicatione ſua ſubjungens: *Hic ab antiquo mos Philiſtinorum, 1. Sam. V, 5. ſicut apud Romanos domuum limina transſiliebant novæ nuptæ; ſic ſumſit hunc locum & Chaldæus.* Subſcribunt quoque *VINARIENSES in h. l.* **So über die Schwelle ſpringen, wie die Philiſter, die nicht auf die Schwelle ihres Abgottes** *Dagon* **traten, denen ſie in ihrer Abgötterey nachfolgen.** Iisdem verbis oraculum præſens explicat *B. CALOVIUS in Bibliis Germanicis ad h. l.* Non abludere ab hac ſententia *BOCHARTUM* in libro *de animalibus Scripturæ Sacræ*, ex *POLO in Synopſi Criticorum, Vol. III, p. 1924.* diſpaleſcit. Neque diſſentire *HIERONYMUM, ex Tomo VI. opp. p. 168.* perſpicere licet. Quamvis enim aliam, quam in ſequentibus recenſebo, explicationem jamjam in medium attuliſſet, deinceps tamen palinodiam quaſi canit, & ſecundum textum Hebræum *transſilientes limen* ita deſcribit: *Qui juxta regnorum primum*

mum librum non calcant limen idolorum, ſuperſtitionibus ſervientes; qui repleverunt domum Domini Dei ſui non ſolum idolorum cultu, ſed iniquitate & ſcelere & omni mendacio, ut ad errorem religionis iniquitas quoque in ſubjectos, & in proximos mendacium jungeretur. Jungendus his eſt *SCHINDLERUS in Lexico, p. 470.* Ut igitur adverſariorum, qui interpretem Chaldæum ſequuntur, mentem in compendio ſiſtam, huc ea redit: Locum hunc agere de idololatris, qui, ſuperſtitione quadam limen idolorum ſuorum attingere non audentes, tranſcendebant ipſum, intraturi ædes illorum, idque exemplo Philiſtæorum, *1. Sam. V, 5.* Dubitat tamen *DN. D. GEBHARDI in vindiciis Zephaniæ a Pſeud-hermenia Abarbanelis aliorumque, ad h. l. p. 35.* an hac ratione mens Jonathæ accurate ſit percepta? *Comparari enim in verbis Chaldaicis Jonathanis Miniſtros Regis, & Philiſtæos in eo, quod alienas opes, vi & dolo ablatas, vel Regum, vel Deorum ſuorum ædibus importent.* Non equidem judicem me interpono, num ſententia Chaldæi interpretis ab Hebræorum Magiſtris dextre ſit expreſſa, id tamen diffiteri non poſſum, longius petitam mihi videri *DN. D. GEBHARDI* ſententiam, quam ut ad conciſam Chaldæi interpretis ſimplicitatem eam accommodare liceat; adeoque hactenus reliquis jam adductis interpretibus aſſurgo, qui de idololatria hæc verba exponunt.

§. V.

Sed multis hæc ſententia premitur difficultatibus, quæ obſtant, quo minus calculum eidem addere poſſim. Initio iſtud nego & pernego, ſermonem h. l. divino vati eſſe de idololatris; quodſi enim huic ſubſcribere hypotheſi velimus, inſignem atque Sacro Scriptore indignam in hoc capite ταυτολογίαν admittamus neceſſe eſt. Namque jam *v. 5.* idololatrarum mentio injecta eſt, qui turpi inſtituto ſtellas & ſidera cœli adorabant. Poſtea vero Propheta novam exorſus

periodum, ab uno ſcelere progreditur ad alterum, quo horrendam populi Judaici malitiam eo luculentius manifeſtare queat. Ad oculum illud patebit, dummodo ipſos inſpiciamus fontes: Juſta ſcilicet ſerie per particulam connectendi Vau Sacer Propheta varia Iſraelitarum ſcelera recenſet, & juſtas divini Numinis comminationes iisdem ob oculos ponit. Nulla vero ratione æternæ Dei Sapientiæ conveniens fuiſſe, exiſtimandum eſt, ſi unum idemque ſcelus iisdem, & quidem obſcurioribus verbis repetere ſaltem voluiſſet. Deinceps nullam perſpicio connectendi rationem, cur craſſa Philiſtæorum ſuperſtitio, quæ *1. Sam. V, 5.* commemoratur, ad populum Iſraeliticum debeat applicari; quod ſi enim libere, quid ſentiam, dicere licet, ne minimum quidem paralleliſmum in hiſce locis deprehendere licet. Erat utique Dagon Philiſtæorum & ſpeciatim Asdodæorum, qui ad mare mediterraneum habitabant, idolum, quod juxta communem Hebræorum deſcriptionem ab umbilico in piſcem deſiit, ſed a fronte ad umbilicum hominem retulit, nam

Frons hominem præfert, in piſcem deſinit alvus.

Hi quippe Philiſtæi fanum in ejus honorem exſtructum habebant, & inſuper ſacerdotes quoque alebant, ne promiſcue ab omnibus illi miniſterium exhiberetur. Quanto hoc idolum proſecuti ſint honore, quantaque illud adoraverint veneratione, ex eo facile conjicere licet, quod incolæ Asdodæorum frequenter in mari degebant, & ingentes exinde divitias conquirebant; imo vero clariſſima ſuperſtitionis ſuæ dederunt indicia, dum Dagoni cumulatiſſima obtulerunt ſacrificia, quem invictum alias heroem in manus ſuas tradidiſſe, exiſtimabant, *Jud. XVI, 23.* Aſt abſciſſo per miraculum divinum hujus idoli capite, & truncatis ambabus manuum palmis, quæ in limine templi idololatrici Dagonitici reperiebantur, limen

iſtud iterum calcare nolebant. Diverſæ ſunt interpretum ſententiæ, quæ cauſa fuerit, quare ſacerdotes Dagonis limen ædis ejus poſt truncationem ejus non amplius calcaverint? Nonnulli honoris cauſa hoc factum fuiſſe exiſtimant, caviſſe illos ſcilicet ſibi a calcando ſuper limen Dagonis, quia putarunt, locum eſſe ſanctum, propterea quod inveniſſent ibi caput Dagonis, & duas palmas manuum ejus; quam ſententiam nonnulli tum Hebræi, tum Chriſtiani interpretes exoſculantur: Aſt alii rectius cum *B. SEB. SCHMIDIO ad h. l.* ad timorem & ſuperſtitionem hoc factum referunt, dum infelix limen judicarunt, in quo infelici caſu caput & manus Dagonis abſciſſa jacuiſſent, unde infelix omen eſſe credebant, ſi quis etiam tantum ſuper limen calcaret, eo quod res aliqua mala, ſi maxime non ſtatim obtingeret, poſtea tamen ſit ſecutura. Quomodo autem hæc Philiſtæorum ſuperſtitio probabili quadam ratione ad locum præſentem, in quo Iſraelitarum ſceleta reprehenduntur, poſſit applicari, fateor me non perſpicere: Repugnat quippe phraſeologia; repugnat res ipſa. Quodſi ad phraſeologiam reſpiciamus, duplici ratione eam repugnare deprehendemus; primo enim vel ſola radix דלג huic opinioni contrariatur, quæ (quod in antecedentibus jam obſervatum) non notat, *ex metu non audere tangere*, ut illi ſacrificuli faciebant, id quod ipſe contextus palam evincit, verum potius præ ſumma animi lætitia ſubſilire, inſinuat. Deinceps etiam quoad phraſeologiam horum locorum, plane diverſa ſunt: *Non calcare limen*, & *tranſilire limen*; neque enim ſequitur: Qui limen non calcant, illi idem tranſiliunt, quandoquidem facili & commoda quadam ratione iſtud pedibus tranſcendere poſſunt. Sed & res ipſa obſtat, quo minus factum Philiſtæorum cum facto Iſraelitarum conjungere queam. Initio certe ſuperſtitio Philiſtæorum erat particularis & ex ſpeciali cauſa in

in Aſdod obtigerat, nam ſolos hoc feciſſe Aſdodæos in codice ſacro legimus, utpote quorum Deus Dagon erat; nulla autem poteſt dari ratio, cur ſola nominaretur hæc ſuperſtitio, aut alias omnes idololatriæ ſpecies ſub ſe complecteretur, uti perquam erudite monet *MARCKIUS in Comment. ad h. l. p. 848.* conf. *GLASSIUS* in Philologia ſacra, p. 2055. Accedit, quod Judæi a Philiſtæis ſummopere abhorruerint, & nunquam eos, Philiſtæorum exemplo incitatos, Dagon coluiſſe, reperiamus. Denique & ſcopus refragatur, quandoquidem immediate ſubſequentia verba, in quibus diſerta doli atque rapinæ, non vero idololatriæ mentio injicitur, aliam interpretationem imperant. Appoſite hoc docet *DAVID MARTIN in Bibliis Gallicanis ad h. l. Quelques interpretes croyent*, inquiens, *que le Prophete marquoit par ces mots une ſorte de ſuperſtition, ſemblable à celle des Philiſtins, qui entrant dans le temple de Dagon ſe gardoient ſcrupuleuſement, de mettre le pied ſur le ſeuil de la porte 1. Sam. V, 5. Mais outre, que cette ſuperſtition étoit particuliere à ces peuples pour le temple de Dagon, & que ni eux, ni les autres idolatres n'ont jamais eu, du moins que l'on ſache, cette ſuperſtition pour les autres temples, les mots ſuivans ne permettent pas, qu'on explique ceux-ci en cette maniere.*

§. VI.

Noviſſime tamen hanc ſententiam ulterius propugnavit, qui ſub *GEAMOENI* nomine deliteſcere voluit, ſuasque meditationes ſuper hunc locum in *Miſcellaneis Lipſienſibus, Tom. 3. p. 298. 299.* publicæ luci expoſuit. Id namque extra controverſiam poſitum eſſe exiſtimat, ſaltum ſuper limen inſignem redolere ſuperſtitionem, miniſtris idololatricis iſtarum regionum perquam familiarem, poſtquam Dagon, Philiſtæorum idolum, in limine templi, truncato capite, coram arca fœderis, martyrium quaſi, ex mente illorum paſſum fuit, atque hoc pacto cuncta templorum

limina

limina ſanctificavit, ut inpoſterum ſacrificuli, aliique, ingredientes vel egredientes limen templi pedibus attingere, religioni ſibi ducerent: Quam conſuetudinem, cum de miniſtris Dagoniticis diſerte Scriptura affirmet, deinde etiam apud ceteros invaluiſſe ſibi perſuadet. Sed enim vero meris totus hic diſcurſus conſtat conjecturis, qui ad certitudinem Exegeticam nondum pertingit. Tam acerba, tamque immanis inter Philiſtæos atque Iſraelitas regnabat inimicitia, ut neutiquam mihi perſuadere poſſim, eos ſuperſtitionum gentis Philiſteæ adeo fuiſſe tenaces. Et ſane, ſi penitius verba Prophetæ introſpiciamus, majorem peccati gradum penes Iſraelitas, quam Philiſtæos, perſpiciemus. Philiſtæi ſaltem limen Dagonis *tangere* non audebant, tantus timor, tantaque triſtitia animum eorum occupaverat; aſt Judæi ulterius progrediebantur, dum limen *tranſilire* non dubitabant, & hoc ipſo, quanto perfuſi ſint gaudio, declarabant. Neque vero eſt, quod in connexione textus præſidium quærat *GEAMOENUS*, & partim antecedentia, partim conſequentia ſibi favere exiſtimet. Provocat nimirum ad antecedentia, & parum abeſt, quin juſtam hujus capitis delineationem, in quantum ſcopo ſuo inſervire poteſt, exhibeat. Oſtendit enim, quomodo juſta ſerie omnia cohæreant, dum v. 4. ſacrificulis ſeductoribus, & verſ. 5. 6. populo ſeducto pœna denunciatur. verſ. 7. tempus horrendæ pœnæ determinatur, verſ. 8. Magnates ac Principes, populum ſcandalizantes, & omnes peregrinum veſtitum gerentes, h. e. Sacerdotes impii, qui neglectis ſacris veſtibus, a Deo *Exod. XXVIII, 2.* demandatis, peregrino habitu ſacrificabant, ſpeciatim maxime puniendi denominantur, & denique v. 9. hi ipſi porro a more quodam ſuperſtitioſo, atque malitia deſcribuntur. Neque ego prorſus in data connexione diſſentio; id ſaltem a me impetrare non poſſum, ut univerſalem Prophetæ propoſitionem abſque ulla neceſſitate reſtringam, ſoliſque

ſacerdotibus tribuam; me enim judice per כָּל־הַלֹּבְשִׁים מַלְבּוּשׁ נָכְרִי *omnes indutos veſte aliena*, non Sacerdotes ſoli redarguuntur, ſed zelus Prophetæ ad omnes omnino extendi debet Judæos, qui veſtimentis lege vetitis induebantur, & ſexum in mutatione veſtium mentiebantur, vel, qui vicinis gentibus in veſtitu ſe conformabant, & hac ratione illarum favorem captabant, imo & religionem ethnicam in veſtitu ſimulabant: Jam vero in præſenti, quod hac vice ſub examen vocamus, oraculo ulterius progreditur, & *eo ipſo tempore*, etiam illis graviſſimam divini Numinis iram minatur, qui limen tranſiliunt, quod certe de idololatris, quorum jam antea mentionem fecerat, niſi admodum coacte, accipi nequit; totus quippe contextus gradationem Prophetæ in taxandis vitiis manifeſto arguit. Provocat quoque ad conſequentia, in iisque ſententiam ſuam fundari putat *GEAMOENUS*, quandoquidem *optime eadem huc quadrare* perhibet, nam hoc proprium falſorum Prophetarum erat, ut rapinis & impoſturis variis præpoſitorum ſuorum domus implerent, ſic enim de Phariſæis Servator ipſe loquitur *Matth. XXIII, 14.* Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, ὑποκριταὶ, ὅτι κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι. Sed quod pace ejus dixerim, nimium à ſenſu literali recedit, ſuisque accommodationibus indulget. Dolus atque rapina non certe in ſolis falſis Prophetis reperitur, ſed proh dolor! per totum terrarum orbem ſe expandit. Quæ ergo nos cogit neceſſitas, ut ea, quæ univerſali locutione a Propheta proponuntur, particulariter & ſingulariter de ſolis Sacerdotibus accipiamus? Tutiſſimum ergo in explicandis Scripturæ dictis eſſe exiſtimo, ſi a ſenſu Scripturæ literali nunquam recedatur, donec ſumma nos urgeat neceſſitas.

§. VII.

Singularis, & plane longius a fontibus recedens

mihi videtur *Græca LXX. viralis verſio*: καὶ ἐκδικήσω ἐμφανῶς ἐπὶ τὰ πρόπυλα (vel, ut exemplar Complutenſe habet, τοὺς ἐπὶ τὰ πρόπυλα) ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, τοὺς πληροῦντας τὸν οἶκον κυρίου θεοῦ αὐτῶν ἀσεβείας καὶ δόλου, h. e. *Ulciſcar aperte ſuper veſtibula* (vel *eos, qui ſunt in veſtibulis*) *in die illo, qui implent domum Domini Dei ſui impietate & dolo.* Paraphraſin horum verborum ſuppeditat *Cyrillus Alexandrinus, Tomo III, p. 585. 586. ex edit. JOH. AUBERTI, Pariſ.* Νυνὶ δὲ, φησὶν, ἐκδικήσω ἐμφανῶς ἐπὶ τὰ πρόπυλα, τουτέστιν, οὐ λεληθότως ἐποίσω τὰ ἐξ ὀργῆς, οὐ βροῦχος ἔσται, καὶ ἐρυσίβη, τὰ καθ᾽ ὑμῶν, οὐκ ἀῤῥωστία σωματική. ἀλλὰ γυμνῶς ἀποστίλβον τῶν πολεμίων τὸ ξίφος, καὶ τοῖς εἰς ἐμὲ δεδυσσεβηκόσιν ἀπειλοῦν τὸν ὄλεθρον, καὶ εἰς αὐτὰ τοῦ ναοῦ τὰ πρόπυλα καταφθεῖρον ὠμῶς τοὺς πληροῦντας τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἀσεβείας, καὶ δόλου, h. e. *At nunc, inquit, ulciſcar aperte ſuper veſtibula, hoc eſt, non occulte puniam iratus: Non erunt bruchus & rubigo, quæ nocebunt vobis, non morbus corporis, ſed ſtrictus & coruſcus hoſtium gladius, impietatis in me reis exitium minitans, & usque ad ipſa templi veſtibula interficiens crudeliter, qui domum Dei ſui impietate & dolo repleverunt.* Difficillima ſane, ſi quæ inſtituenda, hujus verſionis cum textu authentico futura eſt conciliatio, quandoquidem nativa phraſeos Hebrææ ſignificatio plane remota, eaque in alienum ſenſum detorta eſt; Ne quid de eo addam, quod *liminis* quidem in hac verſione mentio injiciatur, *de inſiliente* ſuper limen autem prorſus nihil commemoretur. Ex aſſe cum hac translatione convenit *verſio Arabica*, quæ ob defectum literarum Arabicarum hic ſaltem in verſione latina exhibetur. *Et judicem ſuper omnes eos, qui ſunt ſuper porticibus, publice eo die, qui domum Domini Dei ſui impietate fraudeque replent.* Sed enim vero, cum hæ translationes ſenſum a fontibus prorſus alienum inferant, atque a συναφείᾳ textus maxime neceſſaria recedant, miſſas iſtas facio, meumque iisdem calculum ob rationes ſuppeditatas addere merito dubito.

§. VIII.

Sed nec illorum amplecti poſſum ſententiam, qui teſtibus *Tarnovio*, atque *JOHANNE SCHMIDIO*, Principum h. l. deſignari moriones arbitrantur, qui ludicris ſuis ſaltationibus ac miris geſticulationibus in ædium ingreſſu ac egreſſu dominis ſuis placere, ac voluptati eſſe, iisque delicias facere ſtudebant. Quandoquidem enim illud omni dubio caret, quod ex antecedentium & conſequentium collatione optimum circa difficilioris textus interpretationem ferri poſſit judicium, res ipſa utique loquitur, hanc oraculi noſtri expoſitionem ſcopo Spiritus S. e diametro eſſe oppoſitam. Certe ne γρῦ quidem in tota textus ſerie de morionibus & ludicris ſaltatoribus reperitur, quin potius *omnium* Judæorum, qui profecto omnes morionibus annumerari non potuerunt, flagitia in hoc capite reprehendi, & hinc univerſale quoddam exitium illis imminere, ex ſingulis propemodum verbis elucescit. Quodſi vero & ſequentia ſaltem verba: *Implentes domum Dominorum ſuorum*, accuratiori mentis trutina perpendamus, iſta cum hac interpretatione conjungere impoſſibile videtur. Nemo quippe de ludicris ſaltatoribus aſſerere atque pronunciare poteſt, quod *violentia & dolo*, i. e. opibus per vim & fraudes partis, ædes Dominorum ſuorum impleant; plane enim diverſa ſunt, violentia & dolo aliena bona ad ſe pertrahere, & ludicris ſaltationibus alicui delicias facere, quæ ut ἰσοδυναμοῦντα nunquam accipi poſſunt. Ex quo hanc expoſitionem ſuis relinquendam eſſe autoribus, ſole meridiano clarius apparet.

§. IX.

Incongrua quoque, & fontes ſenſumque a Spiritu S. intentum deſerens explicatio eſt *RUPERTI*, *Abbatis Tuitienſis*, qui *T. I. in h. l. p. 975. 976.* hæc ſubjicit: *Deinde & viſitabo, ait, ſuper omnem, qui arroganter in-*

ingreditur ſuper limen, in die illa, qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate & dolo. Et quis eſt, de quo verius dicas, quod arroganter ingreditur ſuper limen, quam ille, qui non exſpectat, ut oſtiarius illi aperiat, ſed violenter intrat in ovile ovium? Tales & hoc tempore multi ſunt, & illo tempore Annas & Caiphas Pontifices fuerunt, qui infelici commercio coëmtum lacerabant ſummum ſacerdotium, alternatim per annuas vices inter ſe dividendo pontificium. Et quis de illis dubitet hoc dictum, quod compleverint domum Dei ſui iniquitate & dolo, quos ipſe Dominus Deus ore proprio redarguens, vos, inquit, Patris mei domum, quæ debuit eſſe domus orationis, feciſtis ſpeluncam latronum. Hæc dicens nonne etiam facto ſignificavit viſitationem, quæ in his ſonat verbis Propheticis? Fecit enim quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, per hoc terribiliter innuens, eos de regno Dei fore protinus ejiciendos, imo nihil habere in illo templo, vel regno, cujus ſe gloriabantur filios. Quodſi namque brevibus meam de hac expoſitione ἐπίκρισιν afferre liceat, non tam acroamatice, quam homiletice illa eſt propoſita, & ita præterea comparata, ut myſticam magis applicationem, quam genuinum ſenſum literalem inſinuet. Longe vero a ſcopo aberraret accuratus divini Codicis interpres, ſi ingenio ſaltem ſuo indulgere, varias textus applicationes inveſtigare, easque pro intento a Spiritu S. ſenſu venditare velit, cum verum potius ſibi commendatiſſimum habere ſenſum literalem, boni interpretis officium requirat.

§. X.

Hinc idem ferendum eſſe judicium exiſtimo de ſententia *LUCÆ OSIANDRI in h. l.* quæ ex ſequentibus ejus verbis dilucide poterit colligi: *Puniam illos aulicos, qui, cum vitam ducant multis flagitiis contaminatam, jure ab omnibus ſacris arcendi eſſent, at illi ſeſe ſacris ingerunt, & quaſi limen tranſiliunt, ne ab aliquo prohiberi poſſint; illos dico, qui fiſcum & theſaurum, atque poſſeſſiones Regis ſui augent & amplificant, non juſtitia & fidelitate atque frugalitate,*

litate, ſed violentia, qua tenuioribus ſua eripiunt, & variis dolis, ita ut juris etiam prætextum aliquem habeant. Attendant hic, qui ſcelerate vivunt, nec vitam emendant, & tamen a ſacris removeri nolunt, hi certe ſibi ipſis judicium ſumunt, &c. Quod ſi enim animo a præjudiciis vacuo allatam hancce expoſitionem conſideremus, & neceſſariam cum fontibus, textusque connexione collationem inſtituamus, nullum reperire licebit fundamentum, in quo firmiter iſta ſententia inniti queat. Nulla namque ſacrorum, nulla muniorum & officiorum, a quibus fraudulenti removendi ſint, mentio injicitur. Unde palam eſt, relinqui, ſenſum literalem his ipſis indigitari non potuiſſe, integramque iſtam expoſitionem, quanta quanta eſt, uſibus atque applicationibus, per conſequentiam e textu jam tum explicato extractis, eſſe annumerandam.

§. XI.

Probabilior atque ſpecioſior videtur ſententia, quæ *JOHANNI MARCKIO in comment. ad h. l. p. 847.* arridet, qua per הַמִּפְתָּן limen templi intelligendum eſſe cenſet, ut huc redeat ſenſus: Inſilientem in limen idem eſſe ac frequentantem templum cum lætis quidem hymnis, ſed & inſimul cum animo, rapina, ac dolo pleno; ſeu potius cum animi levitate & arrogantia indecora, contra reverentiam Deo debitam apud domum ſuam, *Eccl. IV, 17.* quæ etiam ultra limen, ſeu terminum conſtitutum tranſilientes propellebat, atque ex abuſu oblationum per ebrietatem poterat provenire, ut adeo h. l. ſermo ſit de maxima ſacerdotum multitudine, ita tamen, ut Levitæ, aliique inferiores templi Miniſtri non prorſus excludantur, propter amplam *omnis tranſilientis* mentionem. Eandem quoque amplectitur ſententiam *THEODORETUS, Tom. II. opp. p. 865.* Ἀπειλεῖ τοίνυν, inquiens, καὶ τούτοις σὺν ἀσεβείᾳ καὶ δόλῳ εἰς τὸν θεῖον εἰσιοῦσι ναόν. Αἰνίττεται δὲ διὰ τοῦ δόλου, ὡς πρόσχημα μὲν εἶχον τὴν εὐσέβειαν,

λάθρα

λάθρα δὲ τὴν τῶν εἰδώλων ἠσπάζοντο θεραπείαν. h. e. *Minatur ergo & iis, qui cum impietate & dolo in templum Dei ingrediuntur: Per dolum vero innuit, eos fictam ſpeciem habuiſſe pietatis, clam vero idolorum amplexos fuiſſe cultum.* Nec non *LIRA in Annotationibus ad h. l. Ingrediens domum domini magis ad pompam, quam ad reverentiam Dei.* Eadem videtur *MENOCHII* mens fuiſſe, qui *in commentario ſcripturæ, Tom. II. ad h. l. p. 167.* phraſin: *Inſilientem ſuper limen*, hac explicatione veſtivit: *Superbos, qui cum faſtu limen templi ingrediuntur.* Huc etiam redit verſio *HIERONYMI: Qui arroganter ingreditur ſuper limen*; ut & ejus expoſitio: *Hoc eſt, ſuperbi, qui cum quodam faſtu & dignitatis ſupercilio gradus templi & ſanctuarii limen aſcendunt;* quam tamen ſententiam eundem retractaſſe, jam ſupra §. *IV.* obſervavimus. Calculum his addit *COCCEJUS in Lexico, p. 347. & in commentario in Prophetas minores, p. 410.* hoc modo dictum noſtrum explicans: *Qui temere accedit ad domum Dei.* Sed enim vero, ſi dicendum quod res eſt, licet probabilitatem atque ſpeciem huic ſententiæ denegandam non eſſe, paulo ante inſinuaverim, firmo tamen talo ſtare non videtur, tota enim, quanta quanta eſt, expoſitio a ſenſu literali nimis longe recedit & eruditam potius accommodationem ſapit. Cum vero ad illam deſcendere nolit *Cl. MARCKIUS*, ſed ſenſum a Spiritu S. intentum hac ſua ſententia inveniſſe ſibi perſuadeat, graviſſimas equidem ab ipſo diſſentiendi cauſas habeo. Nulla quippe ex textus συναφείᾳ afferri poteſt ratio, cur ad *templi* tantum limen a Propheta h. l. reſpici, exiſtimandum ſit; & profecto, *nimis lacerantur Prophetarum conciones*, egregie dicente Megalandro noſtro, *B. LUTHERO, ſi in ſingulis commatibus nova quæratur ſententia.* Ut taceam, phraſin Propheticam ejusmodi denotare inſilientem, qui tanquam *victor* ob opimam prædam limen tranſiliat, id quod ad limen templi commode referri non poteſt. Univerſalem ergo Prophetæ locutionem univerſaliter quoque accipimus,

mus, nec ullo quoque particulariſmo eandem reſtringendam eſſe admittimus.

§. XII.

Produxit *MARCKIUS* nonnulla, quæ modeſto examini jam ſubjiciam, argumenta, quæ ad ornandam atque tuendam ſententiam ſuam apprime facere arbitratur. Initio ad vocem הַמִּפְתָּן ſingulariter adeo atque emphatice poſitam ſe confert, cumque nihil in Codice Sacro contineatur ſuperflui, præfixum h. l. ה Demonſtrativum ἐμφατικώτερον eſſe, & ad intelligendum *limen templi* nos producere, concludit. Licet vero in eo facile conſentiam, nullum reperiri apicem in Sacris Pandectis, qui fruſtraneus jure merito dici queat, & a quo non magni dependeant montes, propterea tamen, ut allatæ ſubſcribam ſententiæ, impetrare a me non poſſum. Quod ſi enim firma, atque in immoto innixa fundamento hæc eſſet argumentatio, nihil ſane prohiberet, quo minus pari ratione de præfixo ה demonſtrativo in voce הַדּוֹלֵג idem aſſerere liceret. Interim ה demonſtrativum non abundare, omnique uſu carere, ſed *rem determinatam* ſignificare, aſſevero: Ex quo autem ad limen templi, niſi συνάφεια textus iſtud ſuadeat, non niſi remotiſſime quis argumentari poteſt. Deinceps phraſin illam בֵּית אֲדֹנֵיהֶם pro ſua militare ſententia putat; hinc alia, quam ab interpretibus fieri communiter ſolet, ratione verba iſta explicanda duxit, eademque non in plurali: *domus Dominorum ipſorum;* verum in ſingulari: *domus Domini ipſorum*, tranſtulit, quo hoc modo ſuetam Scripturæ phraſin eo luculentius explicare queat. Nihil quippe frequentius eſt in ſcriptura ſacra, quam ut templum ſub *Domus Dei* nomine veniat. Ipſum Numen non obſcure illud inſinuat, quandoquidem *Jeſ. LVI, 7.* aperte dicit: בֵּיתִי בֵּית־תְּפִלָּה *domus mea domus precationis eſt.* Imo *Joëlis I, 9. 13. 14. 16.* templum nominibus,

בית

בית יהוה , בית אלהינו , בית יהוה אלהיכם , בית אלהיכם diſerte inſignitur; Unde & in Græca LXX. virali verſione legitur: τοὺς πληροῦντας τὸν οἶκον Θεοῦ αὐτῶν ἀσεβείας καὶ δόλου. Cumque voculam ארניהם objici forte poſſe, prævideat *diſſentiens*, hinc eam non ſemper pro Domino aliquo terreno atque mundano, verum etiam pro ipſo Numine Divino nonnunquam ſupponere, ex *Nehem. III, 5.* probat, quo in loco aperte legitur, quod magnifici ex populo non ſubmiſerint collum ſuum בַּעֲבֹדַת אֲרֹנֵיהֶם *ad ſervitium Domini ipſorum.* Aſt vero, licet ultro & ambabus, quod dicunt, manibus largiar, quod tanto ſtudio *diſſentiens* defendit, templum nomine *Domus Dei* ſæpiſſime notari, nihil tamen exinde noſtræ ſententiæ adverſum evinci poſſe, perſuaſiſſimum habeo, cum *theſis* minime negetur, ſed ejus ſaltem *applicatio* quoad præſentem locum infringatur. Cujuslibet ergo Scripturæ Sacræ oraculi & antecedentia & conſequentia probe ſunt examinanda, ut ex iis accurate penſitatis dignum de dubiis locis ferri poſſit judicium, quæ, cum noſtræ patrocinentur ſententiæ, non eſt, cur eam deſerendam, & ductum Græcæ LXX. viralis verſionis, multis erroribus ſcatentis, ſequendam eſſe, exiſtimem. Oſtendatur enim vel unico ſaltem, aſt firmo & invicto argumenro, ex integra totius capitis ſerie deſumto, per limen generatim poſitum, limen templi eſſe intelligendum, & victas facile manus dabo; neque enim conjecturis in oraculo difficiliori res conficitur; neque reliqua textus verba coacta vi, ut τῇ ὑποθέσει ſemel aſſumtæ inſerviant, ad noſtram, quam elegimus, ſententiam ſunt trahenda, ut ita ſenſus in textum inferatur; Sed ſimpliciſſime omnia ex textu fluant neceſſe eſt, & ſenſus a Spiritu S. intentus ex ſcriptura eſt efferendus. Imo & iſtud notatu dignum videtur, quod templum in locis citatis non voce ambigua בית ארניהם ſed vocibus clariſſimis & extra controverſiam poſitis, בית יהוה ,בית אלהיכם, &c. inſigniatur,

ſigniatur. Quare ex dictis diſpaleſcit, quod nec ex voce ארניהם firmum produci poſſit argumentum, licet in loco Nehemiæ allegato ipſum Deum intelligi, non abnuam, propterea quod ſacer ſcriptor (prout ipſe contextus aperte docet) ingrati eos notet animi, quoniam Dei beneficio, & mandato ſuſcepta erat inſtauratio, uti non incongrue *JUNIUS* atque *TREMELLIUS* in notis ad h. l. obſervant, qui etiam una cum *SEBASTIANO SCHMIDIO* in ſingulari vocem ארניהם in loco *NEHEMIÆ* occurrentem transtulerunt, noſtro tamen in oraculo in plurali transferendam eſſe, recte judicarunt. Univerſus quippe contextus reclamat, unde juxta ſenſum literalem interpretatio iſta locum habere non poteſt.

§. XIII.

Denique non reticenda eſt *CORNELII a LAPIDE ad h. l.* ſententia, quæ nonnulla cum præcedenti affinitate gaudet. Etenim vocabulum ארניהם in ſingulari transferendum eſſe, inculcat, atque adeo culpare Prophetam exiſtimat *non tantum Principum arrogantiam, ſed & injuſtitiam, puta rapinas, uſuras, & fraudes, quod eas impudenter, & quaſi ſacrilege conſecrarent Deo: Sacerdotes vero eum arguere, quod easdem acceptent, imo extorqueant, quodque ipſi pauperum bona ſpecie religionis, quaſi illa offerenda ſint Deo, doloſe & impie expilent, & diripiant.* Applicat quoque huc nonnulla Novi Fœderis loca ex *Matth. XV, 6. & XXIII, 14.* deſumta. Sed lubrico hæc expoſitio nititur fundamento, dum in Græca LXX. ſenum, & Latina Vulgati interpretis verſione omne præſidium reſidet. Neque ita ſunt evehendæ translationes, ut ſpurii illarum errores pro genuinis veritatibus cœco prorſus affectu agnoſcantur: Ad fontes potius, velut ad trutinam, omnis verſionum veritas eſt examinanda; cumque in antecedentibus ſententia, quæ *limen templi* h. l. intelligendum eſſe ſuadet, jam fuerit profligata, hæc quoque hypotheſis, quæ præcedentem

cedentem ſupponit, ſponte ſua corruet. Tantum itaque abeſt, ut vel minimum pro confirmanda hacce ſententia in textu reperiatur fundamentum, ut meram potius accommodationem Rhetoricam, ex qualicunque ingenio excogitatam, inſinuet.

§. XIV.

Diffiteri ergo non poſſum, propius accedere ad veritatem, magisque mihi arridere illam, quam plurimos exoſculari video autores, ſententiam, qua ſtatuitur: *Periphraſin contineri in hiſce verbis adminiſtrorum, qui a Magnatibus ad diripiendum tenuiorum bona emittebantur, hi enim alienas domos audacter invadebant, & bona occupabant*, ut verbis utar *B. SALOMONIS GLASSII*, huic ſententiæ ſubſcribentis, *in Philologia ſacra p. 2055.* Coincidit cum hac explicatione *verſio Syriaca*, ob defectum literarum latinis ſaltem verbis expreſſa, oraculum noſtrum ita transferens: h. e. *Et animadvertam in omnes violentos & raptores in die illa, qui replent cellaria ſua rapina & fraude.* Sic *MUNSTERUS* h. l. explicat: *Qui vi irrumpunt in domos pauperum, & hinc ſuſtollunt bona eorum.* Nec non *VATABLUS*: *Intelligit*, inquiens, *Miniſtros nobilium & Principum, qui, ubi injuriam alicui fecerunt, mox læti & alacres, onuſti rebus, rapina & dolo ablatis, ſeſe in herorum domum recipiunt, ut operam ſuam dominis ſuis probent, q. d. Ulciſcetur injuriam factam a Miniſtris nobilium.* Eadem ratione *CASTALIO* verba: *Limen tranſilientes*, vertit: *Aliena occupantes.* Et *CLARIUS* interpretatur: *De potentum miniſtris dicit, qui oppreſſione pauperum ditabant dominos ſuos. DRUSIUS* equidem nondum claram ſibi in h. l. lucem affulgere fatetur, in hanc ipſam tamen propendet ſententiam, intelligendos eſſe *homines prædatores, & direptores, qui ad rapinam agendam, vel alienæ domus limites tranſiliunt, vel ſuam ingredientes, ob nactam pinguem & opimam prædam exultando limen tranſcendunt.* Ὁμόψηφος his eſt *JUNIUS* atque *TREMELLIUS*, qui verbis iſtis: *In omnem, qui inſilit in limen*, hanc ſubjicit anno-

annotationem: i. e. *effractorem*, *& miniſtrum violentiæ, quam potentiores in tenues adhibent.* Conſentit *DAVID MARTIN in Bibliis Gallicanis ad h. l. Il vaut mieux*, inquiens, *les prendre, comme une plainte contre ceux, qui ſe faiſoient un plaiſir, d'entrer dans les maiſons d'autrui, pour les piller.* Ut & *Autor annotationum V. T.* quas edidit *SCATTERGOODUS, p. 718.* qui hanc ſubjicit expoſitionem: Qui *pauperum effringunt fores, domos expilant, & dominos locupletant ſuos.* Huc redeunt verba *TOSSANI in annotationibus Biblicis ad h. l.* Die andern mit Gewalt in die Häuſer brechen, und ſie berauben, oder die, ſo die Gränzen verrücken, und ihrem Nächſten in ſein Gut greiffen, ſiehe *Hoſ. V, 10.* oder, die mit Raub beladen, in das Hauß kommen, und mit Freuden darein ſpringen. Non diſplicere hanc expoſitionem ipſi Megalandro noſtro, *B. LUTHERO*, ex verbis ejus apud *CALOVIUM in Bibliis Germanicis ad h. l.* perſpicere licet: Gleichwie er ein wenig zuvor die gottloſen Fürſten geſcholten, und ihnen die Gefängniß, ſamt des Königes Söhnen gedrauet hat: Alſo kommt er nun jetzt an die Fuchsſchwäntzer und Diener derer Fürſten, die ihren Herren, wenn ſie Unrecht thun, beyfallen und heucheln: Springen aber nennet er, ſicher, und geil ſeyn, als die ſich auf ihre Herren verlaſſen, und ihnen zu willfahren ſich bemühen, und deßhalben die armen Unterthanen mit falſcher Maaß und Waare betriegen, auch andere unbilliger und öffentlicher gezwungener Weiſe unterdrücken, auf daß ihre Herren dadurch reich werden. Similiter *JOHANNES OLEARIUS in Bibliis Germanicis* hanc addit paraphraſin: Die mit Gewalt in die Häuſer ſpringen, mit Frevel, nach Luſt, alles rauben, und alsdann, als angenehme Diener über ihres Herren Schwelle ſpringen, und mit Freuden erzeigen, wie wohl ſie es ausgerichtet. Nec abludit *POLYCARPUS LYSERUS in commentario in Prophetas minores ad h. l. p. 927. Sunt*, inquiens, *qui phraſi tranſiliendi limen, injuriam, quæ fit ab irrumpentibus in domos alienas, & vi bona aliorum auferentibus, deſignari exiſtimant, id quod cum poſteriori membro magis conſentit, quo raptores & fures,*

& fures, qui aliorum ſpoliis domos Dominorum ſuorum replent, manifeſte accuſantur. Ita etiam *TARNOVIUS in h. l. p. 1197. Quos igitur tandem Propheta denotat? Famulos exiſtimo Magnatum eos, qui erant effectores & adminiſtri ejus violentiæ, quam ſuperiores in inferiores & tenues adhibebant, maliſque artibus, ubi viribus non erat locus, ſuis Dominis erant quæſtui, quique magna cum fiducia & alienas domos invadebant, bona occupabant, & quando præda onuſti domum redibant, præ lætitia limen Dominorum ſuorum ſimul tranſiliebant.* Nec non *JOHANNES SCHMIDIUS* ad h. l. p. 1182: *Simpliciſſima videtur ſententia, ſignificari h. l. miniſtros nobilium, qui, quando præda onuſti domum redierunt, lætabundi domus limen tranſilierunt, & ſibi & Dominis ſuis oppido gratulati, quod ſive vi, ſive dolo & malis artibus aliquid acquiſiviſſent; eo enim ſpectare ſequentia verba, qui complent domum Domini ſui, vel Dominorum ſuorum, violentia & iniquitate, eſt manifeſtum.* Eandem fovet ſententiam *DN. M. STARCKIUS in Ebraiſmis Etymologicis, p. 251. deſignat*, dicens, *famulos Magnatum, qui irrumpebant cum lætitia in domos alienas, earumque bona, partim violentia, partim malis artibus diripiebant, & quando præda onuſti domum redibant, præ lætitia limen Dominorum ſuorum ſimul tranſiliebant.* Subſcribit quoque huic ſententiæ *CALVINUS T. III. opp. p. 526. Ego vero non dubito*, ajens, *quin Propheta bic ſignificet prædandi licentiam, cum dicit, eos ſaltare ſuper limen, nihil aliud eſt, quam occupare alienas domos, & illis petulanter inſultare, quemadmodum victores ſolent.* Ex Hebræorum Magiſtris referendus huc eſt *R. ABEN ESRA*, qui eandem nobiſcum ſententiam amplectitur, & in ſequentibus verbis profitetur: הרולג׳ מרוב שמחת׳ אותם הבאים למלאת בית ארניהם מחמס ומרמה יראו בחכנסם לבית המלך להביא אותו החמס בעברם על מפתן הבית כאילו הם דולגים מרוב שמחתם מ·תן בית המלוכה הם מפקידים׳ שיקחו יגיע האדם בחזקה או במרמה , להתרצות לאדניהם : h. e. *Inſiliens præ multitudine gaudii, nam venientes illi ad implendum domum Dominorum ſuorum rapina & dolo; vident, dum in-*

ingrediuntur domum Regis, ut afferant ipſi rapinam, dum tranſeunt limen domus, ac ſi tranſilirent præ multitudine gaudii illorum limen domus regni, præſumunt, quod accepturi ſint facultates hominis, violentia & dolo, ad delectandum Dominos ſuos. Ita & *R. ISAACUS BEN ABRAHAM:* כפי הפשט אמר זה על כל משרתי המלכים והשרים שהיו עובדים אותו במרוצה והשתדלות גדול כאילו הם דולגים על מפתן החצר להכנס בי פסמים רבות: h. e. *Secundum ſenſum literalem exponenda hæc ſunt de miniſtris Regum ac Principum, qui ipſi ſerviunt ſingulari ſtudio, ac animi contentione, ut quoties limen Principis ingrediuntur, quaſi cum ſaltu illud ingredi videantur.*

§. XV.

Nubem hactenus teſtium, haud proletariorum, produxi, non, quaſi his variorum autorum teſtimoniis veritatem omnem invicto robore abſolvi exiſtimem, non enim ignoro, quam imbecillis argumentandi vis ex ſolis autorum teſtimoniis reſultet; quo jure enim, quave autoritate ſententia quædam ab uno autore affirmatur, eodem jure eademque autoritate ab altero iterum negatur & infringitur, ſi nudis quis ſtare autorum teſtimoniis velit. Sed ut hoc ipſo, tanquam luculento indicio, oſtendam, non fuiſſe hunc locum adeo ſpiſſis obvolutum tenebris, nec ejus genuinum ſenſum tam profunde & ineluctabiliter ſepultum, quin a variis non infimæ ſortis viris ſollicite indagari, & quam feliciſſime in apricum poni potuerit. Tenebræ igitur, quæ ſplendorem & lucem hujus oraculi quodammodo impedire videntur, variis hominum ingeniis ſuam originem debent, qui alia atque alia ratione facem difficili huic oraculo accendere anniſi ſunt. Non tamen nuda hanc expoſitionem niti autoritate, ſed firmo atque immoto gaudere fundamento, ex ſequentibus ſole meridiano clarius diſpaleſcet argumentis. Primo enim ex iis, quæ comma noſtrum antecedunt, verbis ſententiam a nobis propoſitam ſufficienter confirmari poſſe, in aprico poſitum eſt.

Nimi-

Nimirum poſteaquam divinus Propheta in commate antecedente Regibus & Principibus, itemque nobilibus, & aulicis, ſeveriſſimam irati Judicis comminatus fuerat ultionem admodum profecto eſt vero conſentaneum, & per bonam, pronam ac immediatam conſequentiam ſequitur, quod nunc eandem divinam ultionem, Regum ac Principum quoque Miniſtris, Præfectis ſcilicet & Quæſtoribus denunciet, qui alacriter & audacter impetum in aliorum bona faciunt, & pauperum expilatione injuſta, dominos ſuos locupletare ſtudent. Et profecto tam clara luce hæc verba radiant, tamque accurata cum præcedentibus connexione cohærent, ut, niſi manifeſtam textui vim inferre velimus, non niſi de famulis Magnatum Politicis præſens explicare oraculum liceat. Deinceps nec ſequentia noſtram ſententiam deſtituunt verba, quin potius haud vulgare pro eadem præſidium in iis latet, licet non ignorem, hoc ipſum telum, tanquam argumentum invictum, adverſus nos vibrari, dum à *CL. MARCKIO* ſigillatim ſequentia verba pro defendenda theſi ſua urgentur. Nondum enim impetrare a me poſſum, ut *Diſſentienti* largiar, hæc verba non tam eſſe ἐξηγητικά, quam *progreſſum ab uno ſcelere ad alterum*. Obſtare ſiquidem huic ſententiæ videtur, quod in ejusmodi caſibus, aut verbum, quo Deus graviſſimas pœnas minatur, in enumeratione ſingulorum ſcelerum repeti, aut per particulam Vau ſejunctio a præcedentibus inſinuari ſoleat; Neutrum vero hoc ipſo in oraculo reperiri, vel ipſa αὐτοψία docet: Unde non poſſum non receptæ inhærere ſententiæ, ad ulteriorem exegeſin verba iſta eſſe referenda. Quod ubi ſuppono, firmum pro corroboranda theſi mea argumentum exinde enaſci patet. Ita namque phraſis intricatior per clariora verba dilucide explanatur, quidque prior habeat in receſſu, per poſteriorem indigitatur. Illi ergo a Propheta *limen tranſilire* perhibentur, qui domum dominorum ſuorum rapina & dolo im-

plent, quod ipſum ad miniſtros nobilium, præda onuſtos domum redeuntes, referendum eſſe, quis dubitaverit? Ulterius emphaſis verbi דלג, quod omnem in hocce argumento paginam facit, imperat, allatam a me & confirmatam ſententiam reliquis omnibus eſſe anteferendam, quæ, cum in præcedentibus ſatis jam fuerit evoluta, longius eidem immorari non eſt conſultum. Denique tritus in Hermeneuticis canon: *A ſenſu literali ſine urgente neceſſitate non eſſe recedendum*, huc quoque eſt applicandus. Nullam ſcilicet quoad præſens oraculum perſpicio neceſſitatem, quæ vel ulla ad amplectendas allegorias nos invitare probabilitate poſſit: In ſenſu ergo literali tutiſſimum puto eſſe refugium, præſertim, cum totam textus συνάφειαν eidem apprime favere, paulo ante demonſtraverim.

§. XVI.

Non prorſus à nobis diſſentit, majorem tamen huic phraſi emphaſin aſſignat, & plus eidem ineſſe, perſuaſum ſibi habet, *Celeberrimus Gryphisvvaldenſium Theologus, DN. D. GEBHARDI in vindiciis Zephaniæ a pſeudhermenia Abarbanelis aliorumque, ad h. l. p. 35. 36.* Proinde (1) de Miniſtris Regis hic ſermonem eſſe, accipit, (2) Limen, quod hic abſolute ponitur, ad domum Regis referendum eſſe, putat, (3) per domum Regis poſſeſſiones Regis innui exiſtimat, ſæpe enim domus in ſcriptura pro poſſeſſionibus ponitur, quod vel exinde probat, ſiquidem domum proximi non appetere jubemur, *Exod. XX. 17.* Inde (4) per Miniſtros Regis non quosvis intelligit, non eos, qui regimini aut judiciis præſunt, ſed qui poſſeſſionibus regiis ſunt præfecti, qua ratione Joſephi œconomus deſcribitur, quod ſit ſuper domum Joſephi *Gen. XLV. 1.* (5.) Uti limen terminus domus eſt, ita notari dicit terminum & limitem poſſeſſionum, ac facultatum regiarum, hinc (6) *tranſilire limen domus regiæ* ex-

explicat, transgredi terminos regiarum facultatum. Atque cum, (7) qui terminos ſibi creditarum poſſeſſionum transgrediuntur, neceſſario alienos invadant, hinc quoque hanc phraſin notare ait, involare illegitime fortunas alienas. Atque exinde eſſe concludit, (quod (8) clarius altero membro dicitur: *Impleverunt domum regiam opibus, vi doloque ablatis*. Sunt, fateor, nitidiſſimæ hæ elegantiſſimæque obſervationes, quæ ad tuendam, quam hactenus explicuimus, ſententiam haud parum conferunt; liceat tamen pauciſſimis, quid mihi in iisdem dubium videatur, ingenue aperire. Non equidem prorſus abnuo, *limen* ad domum Regis poſſe referri, ſi tamen excluſive hoc capiatur, ut domus privatorum per hanc obſervationem excludantur, meum eidem addere calculum nequeo, nam & limina privatarum ædium ſæpiſſime a Miniſtris Regum tranſiliri, triſtis, proh dolor! experientia ſatis comprobat. Non ergo diffiteor, me in ea eſſe ſententia, per *limen* abſolute poſitum juxta ſenſum a Spiritu S. intentum limina tum domus regiæ tum ædium privatarum indigitari. Hinc & in eo diſſentire liceat, per domum Regis poſſeſſiones regias h. l. innui; licet enim, quandoque in Sacro Codice hunc tropum obtinere, non eam inficias, ad ſingula tamen ſcripturæ loca, ubi proprius ſignificatus ſine ulla difficultate obtinere poteſt, eum applicare velle, nimis temerarium foret: Eccur vero & hic proprius vocabuli *domus* ſignificatus eſſet deſerendus, cum in hoc præprimis ſcelera Miniſtrorum Regis culpentur, quod præ ſumma animi lætitia ædium limina tranſiliant, ſuisque rapinis pro lubitu indulgeant? Pari ratione non video, quid obſtet, quo minus non ſaltem miniſtri poſſeſſionibus regiis præfecti, ſed &, qui regimini aut judiciis præſunt, h. l. indigitentur; Id enim voculam כל omnis, dilucide inſinuare, perſuaſiſſimum habeo; quis vero dubitaret, ab utrisque limina domus ſæpiſſime poſſe tranſiliri? Stat ergo ſen-

 tentia,

tentia, propriam & nativam vocum hujus loci explicationem eſſe convenientiſſimam, earumque obſervationem ad percipiendum genuinum hujus oraculi ſenſum nos quam feliciſſime manuducere.

IV.
ACADEMIÆ LAUSANNENSIS
HODIERNA FACIES.

I.

GEORGIUS POLIER, V. D. M. Ling. Hebraicæ ut & Theol. Catech. Prof. natus Lauſannæ anno 1675. Vocatus ad Cathedram Græco-Hebræam anno 1702. ad Cathedram Hebræo-Catech. 1703. Receptus membrum Soc. Angl. de propagando Evangelio in Partibus transmarinis an. 1718. Ad Societ. Angl. de promovenda Chriſtiana Religione 1732. In Linguam Gallicam ex Anglica tranſtulit libros quosdam, typis impreſſos, ſuppreſſo interpretis nomine.

In ſcriniis habet:

1. Grammaticam Hebræam cum Syntaxi, in uſum auditorii ſui.
2. Rhetoricam Sacram.
3. Syſtema Antiquitatum Hebraicarum.
4. Explicationem Catecheſeos Heidelbergenſis.

II.

ABRAHAMUS RUCHAT. V. D. M. ut & S. Theol. Prof. natus anno 1680. ex munere Eccleſiaſtico,

ſiaſtico, quo in Cœtu Rotulenſi fungebatur, ad Profeſſionem Eloq. & Hiſtor. vocatus 1721. ad Cathedram Theologicam 1733.

De eo extant:

1. Grammatica Hebraica. 8vo. Lug. Batav. 1707.

2. Abregé de l'hiſtoire Eccleſiaſtique du Pais de Vaud. 8vo. Berne, 1707.

3. Oratio inauguralis de Humaniorum Literarum uſu in Theologia. Ebrod. 1721.

4. Hiſtoire de la Reformation de la Suiſſe. 8vo. Tomi 6. Genevæ, 1728.

5. Examen de l'Origeniſme. 12. Lauſannæ, 1732.

6. Exercitatio Theologica de Schilo. 4. pl. 8. Bernæ, 1736.

7. Exercitationes Theologico-Hiſtoricæ de Fide Sanctorum V. Teſtam. quarum jam 5. prodiere, reliquæ brevi ſequentur. Bernæ. 4. pl. 20. 1736.

8. Lettres & monuments de trois Peres Apoſtoliques: S. Clement, Eveque de Rome, S. Ignace, Eveque d'Antioche, & S. Polycarpe, Eveque de Smyrne, traduit en François avec des Remarques & quatres Diſſertations. 2. Tomes. 8vo. Leide 1737. hic liber adhuc ſub prælo ſudat.

III.

CAROLUS GUILIELMUS de LOYS. Jur. Nat. & Gent. ut & Hiſtor. Profeſſor, natus 1695. Doctor Juris Utriusque creatus Baſileæ, 1717. ad Profeſſionem Juridicam, Lauſanna Groningam diſcedente Celeb. Barbeyracio, vocatus anno 1718.

Scripta publica de eo extant:

1. Diſſertatio pro gradu, de optimo Principe. Baſ. 1717.

2. Oratio Inauguralis, qua probatur, dari Leges Naturales. Genevæ 1718.

3. Diſſertation ſur les Engagements des Soldats, qui s'enrollent au ſervice d'un Prince etranger, inſerée dans la Biblioth. Germanique Tomes XI. & XII.

4. Memoires pour ſervir à l'hiſtoire du differend entre le Pape Benoit XIII. & Canton de Lucerne. 8vo. Lauſanne.

5. Maxima pars Ephemerid. Literariarum, quæ ſub nomine Bibliothecæ Italicæ Genevæ prodiit, Tomis IX. etiam hunc Virum doctiſſimum pro ſuo agnoſcit auctore.

6. Prælum urget Reſponſio ad Anonymi diſſertationem contra diſquiſitiones in Bibliotheca Germanica de militia mercenaria factas.

IV.

JOH. JACOBUS SALCHLI, V. D. M. & S. Theol. Prof. natus 1694. ad miniſterium Sacrum promotus 1721. Vocatur ad Diaconatum Bernenſem in templo Nideggenſi, 1724. ad Profeſſionem Theol. in Acad. Lauſannenſi. 1726.

Prælo hactenus commiſit

1. Orationem funebrem in obitum Cl. Davidis Conſtantini, dum viveret, S. S. Theol. Prof. 4. 1733.

2. Exercit. Critico-Theologicam, de quonam Vaticinium Eſaj. 53. ſit intelligendum. Bernæ 4. 1734. pl. 10.

3. Exercit. Theol. Exeget. in verba Eſaj. 52 : 13. Bernæ. 4. pl. 8. 1736.

4. Trois diſcours ſur les differens ſentiments de l'Egliſe Chretienne ſur la reunion, la tolerance &c. Lauſanne. pl. 15. in 4. 1737.

In ſcriniis habet

1. Aben Eſræ Commentarium in Geneſin in Linguam Latinam translatum. pl. 60.

2. Notas in duos tractatus Talmudicos Joma & Petachin.

V.

V.

FRANCISCUS FRIDERICUS DE TRAYTORRENS. V. D. M. Philoſophiæ & Matheſeos Profeſſor, natus ann. 1688. Miniſterio Sacro admotus 1715. ad Cathedram Philoſophicam vocatus 1726.

Edidit

1. Elements d'Algebre & de Geometrie. Lauſanne. 8. pl. 15.

2. Traité de Trigonometrie rectiligne. Yverdun. 8. pl. 10.

3. Extraits de deux Memoires de Mathematiques. Hæc inſerta ſunt Hiſtoriæ Academiæ Regiæ Pariſienſis.

VI.

JOHANNES FRANCISCUS d'APPLES. V. D. M. Ling. Græcæ & Ethices Prof. natus 1690. ad Miniſterium Sacrum promotus 1719. ad Cathedram Græco-Ethicam vocatus anno 1734.

VII.

JOH. RODOLPHUS D'ARNAY, Eloq. & Hiſtoriarum Profeſſor, ut & Collegii inferioris Gymnaſiarcha. Natus 1710. ad Cathedram Eloq. vocatus anno 1734.

In lucem edidit

1. Tentamen de Literarum, vel potius Literatorum, nævis. Bernæ. 4. pl. 8. 1730.

2. Orationem inauguralem, de ordine, modo ac fine, quo auctores Latini legendi ſint. 4. pl. 5. Bernæ. 1734.

* * * * *
* * * *
* * *

V.

D. J. FRIDERICI MAYERI,

S. Theol. Prof.

QUÆSTIO THEOLOGICA:

UTRUM CHRISTUS FUERIT IN LUMBIS ADAMI PECCANTIS?

Ad adſerendam Sanctiſſimi Servatoris innocentiam,

EXAMINI SOLENNI SUBJECTA

Witteberga d. 1. Octobr. A. MDCLXXXVI.

§. I.

LUTHERI Cathedram, niſi cum animo LUTHERI, conſcendere nefas eſto. Quam ſane præcipuam orthodoxorum & divinæ pariter humanæque ſapientiæ in hac noſtra Academia Antiſtitum curam eſſe, tam intelligunt omnes, quam ego, ut præſentis inſtituti rationem cordatis omnibus probem, plane penitusque eo animo me conſtare, non æque phalerata excuſatione ſuſceptæ tractationis, quam gravi confeſſione conſtantique aſſeveratione obtinendum eſſe neceſſarium duxi. Equidem conſcientiæ illius meæ illibatæ, cujus notiones omnes Deum evolutas habere perſuaſiſſimum mihi eſt, pretio me adſtrictum ſentio, qua utramque Cathedram ita in fidem mihi receptam ſcio, ut, niſi Biblicæ Theo-

Theologiæ atque ex limpidiſſimis Iſraelis fontibus hauſtæ doctrinam propoſiturus accederem, indigniſſimum me vel ſanctis illis locis eſſe judicem. Nemo ergo, qui inſcriptionem hujus diſſertationis legit, Scholaſticæ ſubtilitatis ſpecimen, ex orco quaſi revocatæ, nos exhibere præſumat, cujus manes pati velle, eodem prorſus animo fieri poſſe ſtatuimus, quo ſe quis concitatis furiis & turbulentiſſimis lemuribus excarnificandum quaſſandumque ſiſtere ſuſtineat. Si enim quisquam eſt, qui vani cerebri delicias iſtas, quales ſunt Scholaſticorum ſpinoſarum quæſtionum tricæ, repudiet & animo ſuo deteſtetur, ſane is ego ſum, qui malim hac ſtatione vitæ diſcedere, quam redivivæ Centauricæ beſtiæ, Theologiæ Scholaſticæ, locum unquam concedere. Neque, uti confido, vel ipſi Pontificii iſthanc mentem meam graviter ferent, admoniti pridem *a ſuo Chriſtophoro a Capite fontium*, in libro, quem *de neceſſaria Theologiæ Scholaſticæ Correctione* conſcripſit. Ceterum probo zelum Theologi de Saxonica Eccleſia meritiſſimi B. D. D. WELLERI, qui Comes Electoris ſui ad Comitia Ratisbonæ habita, flagrantiſſimo deſiderio Zellerum, cui amiciſſimus erat, expetiit, ut *de Theologia Scholaſtica, quæ eliminata per anticam a Luthero, per poſticam Zeloſis Theologis reduci videbatur, ac revocanda Biblica Theologia*, ſerio cum eo ageret. Quo ſe zelo gaviſum confirmat Vir ob eundem in cœlo notiſſimus & in terris incomparabilis Theologus, D. PHILIPP. JAC. SPENERUS, in *Præfatione Expoſitioni Pericoparum Evangelicarum Dominical. & Feſtival. Arndtianæ* præmiſſa. Quibus jungere liceat exactiſſimum elegantiſſimeque proditum judicium LANSII in *laudatione funebri B. Haſenrefferi*, in qua Beatum LUTHERUM, ſi e ſepulchro ad mortalitatis commercium rediret, dicturum introducit in hanc ſententiam, & profecto non mitioribus verbis: *Quid hoc, malum, fæculentæ Theologiæ eſt? Ecquæ vos otio-*

ſarum

ſarum quæſtionum architecti, ambitioſi acuminis aucupes, & novorum terminorum ſemper ſtudioſi; ecqua vos occupavit dementia, ut tanquam poſtliminio Centauricam Theologiam, temeraria mixtione ex divinis eloquiis & Philoſophicis rationibus conflatam, in Eccleſiam reducere auſi ſitis? Tantine erat Scholaſticas ſordes expurgaſſe, ut eſſet, quod iterum contaminaretur? An ita in Annalibus eſtis pueri, ut vos fugiat, quæ ſuperiorum temporum fuerit facies? quæ miſeria? Quid enim in domum Dei & ſanctam Religionem plus intulit tenebrarum, ſuperſtitionum, & uno verbo, hæreſium, quam figmenta Scholaſticorum? cum exautorata divina Scriptura, & poſthabito D. Pauli τὰς βεβήλας κενοφωνίας *vitare jubentis præcepto, paſſim in Theologorum Scholis & congreſſibus dominarentur Petri Lombardi ſententiæ, commenta Alberti Magni, Thomæ Aquinatis, Scoti, Occami, Holcotti, Bricotti, Durandi, Bonaventuræ, Petri de Palude, Gerſonis, Bielii, Aleſii, Joannis de Argentina, & cæterorum id genus anteſignanorum libri, plerumque curioſiſſimis problematis & jejunis quæſtiunculis ſic referti; ut potius ex ſomniis Parnaſſiis collecti, quam ex fontibus Iſraelis hauſti eſſe viderentur? Et fuit illa Scholaſtica Theologia Trojano equo non abſimilis: quæ ſemel in Eccleſiam admiſſa latentes confeſtim expoſuit inſidias, quibus iſtam aliquot ſeculorum intervallo horrendis oppreſſionum machinis pene ad interitum redegit. Sed qui tantum hoſtem fideli paraſtatarum opera adjuti, ex Theologiæ arce & Eccleſiæ gremio fortiter pepulimus: Cur vos eundem, quanquam alio ſchemate tectum, revocatis? cur ſinceræ & limpidæ religionis candorem tot novarum opinionum ſtrophis, ac inſuetorum griphis terminorum, rurſus everſum itis? Quotusquisque diſputatorum e grege veſtro eſt, qui ingenio non faveat ſuo? Qui calore quodam novitatis aut gloriolæ abreptus, in concinnandis inventionibus & argutiolis conſuendis non luxuriet? qui cæteros, qui æquo animo talia neſcire volunt, & poſt Jeſum Chriſtum curioſitate opus non eſſe exiſtimant, tanquam dupundios nec ſatis exercitatos peritosve Theologos, non rideat & aſpernetur? Reſipiſcite, per Deum, ſi genuini Chriſtiani, & Apoſtolorum æmuli*

æmuli haberi vultis, & impium infelixque illud Philoſophiæ cum Theologia adulterium deteſtamini, aut Deum iratum expectate, & infamem Religionis per vos ingenioſe profanatæ memoriam ad poſteros transmittite. Nos autem nugaciſſimas iſtas ſcholaſticorum tricas & inexplicabiles monſtroſiſſimarum quæſtionum labyrinthos iterum iterumque deteſtantes, atque ex doctrina fidei vanitates ſpeculationum ac profani acuminis commenta penitus proſcribentes, quæſtionem in medium proferimus, minime omnium ex cenſu ſcholaſticarum iſtiusmodi aut plane otioſam habendam. Quippe cardinem quoque ſalutis in hac ipſa diſcuſſione verti patet, quod ea ipſa innocentia CHRISTI orthodoxe ſit aſſerenda, quæ certe ſatisfactionis pro nobis factæ fundamentum eſt & pretium, quam nemo defendere valide poterit, niſi quæſtionem, cujus pertractationem nunc, fortunante JESU, aggredimur, dextre noverit ſolvere.

§. II.

Utrinque quidem periculoſi prominent ſcopuli, quare accuratis hic limitibus diſtinguendum ſane eſt, ut Chriſti humana natura ſecundum analogiam fidei aſſeratur, neque tamen cuiquam dubium relinquatur, ac ſi confinio peccaminoſæ carnis deſtinata corpori Chriſti maſſa læſa ſit. Si enim dicamus, Chriſtum non fuiſſe in lumbis Adami, negare quoque neceſſe habebimus, eum exſtitiſſe verum hominem: Id autem quis audeat, niſi qui idem Paulum, myſterii omnium confeſſione magni, quod DEUS manifeſtatus ſit in carne, *1. Tim. III, 16.* præconem, vanitatis arguere velit; niſi qui veritati revelatæ, quod, quemadmodum pueri communicaverint carni & ſanguini, perinde & Chriſtum participaſſe iisdem, *ad Ebræos II, 4.* reclamare velit: niſi qui negatum quoque ire ſuſtineat, eum ſemen Abrahæ aſſumſiſſe, contra quam *Paulus loc. cit. verſ. 16.* aſſerit. Ut adeo ab hominum

hominum numero ſegregandus videatur Chriſtus, ſiquidem hic eximius ſtatuatur; Omnes enim homines in lumbis Adami peccantis fuiſſe dicuntur. Si autem dicamus, fuiſſe in lumbis Adami peccantis, ergó, inquiunt adverſarii, Chriſtus una cum Adamo quoque peccavit, ergo, inquiunt, fui quoque ipſius redemtor exſtitit, ergo Chriſtum quoque imputationi peccati Adamitici obnoxium fuiſſe, quod tamen ſenſui pietatis & conſcientiæ repúgnare videatur. Jam vero diſſimulandum non eſt, quam ſerio agamus, ut omnes in Adamo peccaſſe cónſtet, idque maxime ex vindicatione ſolida loci in Epiſt. ad *Rom. V*, *12.* ad quem locum omnino notandum, controverſiam conſiſtere in eo, utrum ἐφ' ᾧ reddendum ſit: *Eo quod* vel *in quo*, utrum ᾧ ſit generis neutrius hoc loco & notet meritum mortis, an vero ſit generis maſculini, & notet Adamum? Eraſmus reddidit: *Quatenus* omnes &c. ſed minus accurate. Nos cum verſione Belgica efferendum cenſemus: *In quo* omnes peccavimus. Hanc etiam ſententiam a Spiritu S. intendi probari poteſt, (α) ex oppoſitione Cap. V. hocce, ubi unum uni, Chriſtum Adamo, opponit. v. 14. 15. 16. 17. 18. 19. (β) Ex ſpecie peccati, de quo loquitur, nempe ejusmodi, quod Apoſtolus citra revelationem in lege Moſis pro peccato non haberet, quale peccatum eſt originis: namque peccata actualia pro peccatis habenda eſſe, vel diſcrimen honeſti & turpis nobis innatum docet, ut lege revelata minime opus ſit. Cum vero de peccato originali, quod peccatum eſſe tantum ex Lege noverat, loquatur, planum eſt, quod hic de Adamo tanquam fonte dicat. (γ) ex transgreſſione eorum, qui non peccaverunt ad ſimilitudinem Adamiticæ transgreſſionis, id eſt in propria perſona & immediate. Illa enim huic opponitur. Sociniani quidem illud ἐπὶ non pro relativo, ſed pro cauſali agnoſcunt, contenduntque ἐπὶ nunquam pro ἐν accipi, adeoque ἐφ' ᾧ hoc loco per *propter quod* vertendum. Quibus reſpon-

ſpondemus. Omnino plura dari exempla, ubi particula ἐπὶ relative & ſubjective ſit uſurpata, uti Marc. II, 4. ubi ſane per quatenus verti non poteſt. it. *Luc. V, 18.* ad *Phil. IV, 10.* Nec obſtat, quod alia verba plura inter Adamum & ἐφ᾽ ᾧ interjaceant, ut adeo, prout oggannïunt Sociniani, ἐφ᾽ ᾧ ad ſubjectum proximius referendum ſit. Ubi notari volumus regulam hanc hermeneuticam: *Relativum non ſemper reſpicit ſubjectum proximum, ſed quandoque remotius*, quod analogia fidei & circumſtantiæ oſtendunt. Sic *Joh. II, 7.* ubi exſtat: *Hic eſt ſeductor & Antichriſtus*, quod tamen de Chriſto, qui hoc loco ſubjectum proximum eſt, non ſine blaſphemiæ reprehenſione interpretari quis poterit. Ut adeo omnes in Adamo peccaverimus, & quidem (1) *Radicaliter*, quandoquidem omnes eramus in lumbis Adami, & imprimis identitate affectuum. Qualis enim Pater, talis Filius in lumbis. Quod ſi omnes vixiſſemus, omnes pariter propter identitatem & harmoniam affectuum ſummam una cum Adamo peccaſſemus. Neque enim repugnabamus, cum Adamus manus ad vetitum porrigeret fructum, ideoque eadem vice una comediſſe culpamque contraxiſſe cenſendi ſumus: quo nomine poſt lapſum, qualis terrenus, tales terreni merito evadunt, *1. Cor. XV, 48.* Adde, quod in Deo omnia futuribilia ſint præſentia, adeoque nos omnes tunc Deo eramus præſentiſſimi. Deus eo tempore univerſum genus humanum eodem ſimpliciſſimo actu intuebatur, & ſingulorum hominum mentem animumque penitiſſime introſpiciebat; ſi itaque ſummus Deus vel unicum fuiſſet conſpicatus, qui ab Adami facinore abhorruiſſet, criminis ſane expertem & ab omni reatu pœnaque immunem eum præſtitiſſet, quod argumentum prolixius exſecuti ſumus in Diſputatione priori de POENITENTIA ADAMI. (2) *Fœderaliter.* Cum Adamo enim nomine totius humani generis pactum Deus iniverat, qui omnes

omnes poſteros ſuos repræſentabat, cumque adeo is laberetur, totum ſimul genus humanum eundem lapſum committebat. Ex quibus efficitur, quod peccatum Adamiticum non modo non peregrinum ſit, noſtrumque fiat nuda imputatione, ſed quod omnino noſtrum ſit ob communionem criminis & culpæ, propter commiſſionem quoque & coöperationem: quorſum conferri quoque poteſt veneranda canitie Senior noſter D. D. QUENSTEDIUS, Theologus conſummatiſſimus, in Syſtemate, de quo jure meritoque, ſi unquam de alio opere, dicendum judicandumque, quod ſit כל-בו, abſolutiſſimum juxta ac elaboratiſſimum. Quæ omnia cum ſecundum ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων perſuaſiſſimi ſimus nos aſſerere, acrius ab adverſariis urgeri poſſe videmur, quod cum homines omnes in Adamo fuiſſe, neque fuiſſe tantum, ſed idem quoque cum ipſo facinus patraſſe dicamus, Chriſtus quoque culpam contraxiſſe videatur, quo ipſo redemtionis noſtræ baſis convellitur, ſpesque omnis ſalutis æternæ labefactatur, hominumque idoneo Mediatore deſtitutorum affectus omnis in profundiſſimam acerrimamque deſperationem leneſcit.

§. III.

At enim vero, quibus momentis aſſeri poſſit, Chriſtum verum hominem *fuiſſe in Adamo*, *non tamen in lumbis Adæ peccantis*, utque adeo peccati Adamitici, quemadmodum reliqui homines ad unum omnes, reus factus quam minime ſit, ſed carnem ab omni peccati macula liberam habere potuerit, ac quomodo hæ propoſitiones, ſi interpoſita accurata diſtinctione diſputentur, amice quaſi inter ſe conſpirent, deinceps explanatum confectumque dabo. Nimirum illi erant in lumbis Adami peccantis, qui tanquam homines curſu naturali & ſemine ordinario, ad generationem univocam & ſpecificam apto, propagandi erant. Satis ad rem accommodate *Philippus, Abbas Bonæ*

næ Spei, qui peculiari de hoc argumento, *quomodo Chriſtus in Adamo fuerit & tamen in Adamo non peccarit*, egit epiſtola; *In Adamo fuit Chriſtus non ſecundum id, quo peccator erat & peccatum propagabat: nempe ſecundum vim ſeminalem, qua cum concupiſcentia proſeminat.* Fuerunt illi in Adamo peccante, qui vi benedictionis generalis nati & naſcendi ſunt. Cum enim Deus naturæ propagationem ordinaret & matrimonium jure divino & naturali fundatum vellet, hominibus maritatis his benedicebat verbis: *Creſcite & multiplicamini*, Geneſ I, 28. cujus benedictionis effectus etiamnum durat, poſtquam voluntate divina cum omnipotentia conjuncta determinante ſe in humanam penitus naturam inſinuavit, ac durabit, quousque conſervatio ſpeciei humanæ ex eadem voluntate divina arcana obtinebit, ut homines fructificent, ac perinde ut totum pomum fructus eſt arboris, totus ſemper homo ab homine fructus feratur. Chriſtus autem natus eſt vi promiſſionis particularis & Evangelicæ, de qua Geneſ. III, 15. *Semen mulieris conteret caput ſerpentis*, quo ipſo homo poſt lapſum in ſpem miſericordiæ divinæ iterum fuit erectus. Separatus itaque jam a peccatoribus tum erat Chriſtus, cumprimum ſecundum humanam naturam ex Patribus naſcendus in lumbis Adami eſſe incipiebat, voce non quidem creantis Dei, ſed creaturarum nobiliſſimam maligni fraude ſpiritus averſam a ſe & deperditam, reductam redemtamque cupientis. Homo erat, qui debebat ſatisfacere, Deus poterat, ideoque perſonalis divinæ naturæ cum humana inſequi debebat unio, quæ vera & totalis cauſa eſt impeccabilitatis in Chriſto, quod deduximus in Diſſertatione *de Confortatione Angelica agonizantis JESU*, atque B. *Dorſchæus* in Pentadecade Diſſertationum Theologicarum Diſp. VI. *de rapina divinæ Majeſtatis* ex Pſalm. LXIX. p. m. 250. *Fuit Maria Virgo juxta ordinem, quem & ſcriptura aperuit, ex immundo ſemine concepta. Ergo peccatum originis*

 uni-

univerſam etiam ſubſtantiam Mariæ poſſederat. Ex hac vero ſubſtantia, tanquam ſurculus ex radice Eſaj. XI, 1. decerpta eſt humana in Chriſto natura. Atqui ex illa Mariæ anima ita ſeparatim conſiderata nunquam fuiſſet aliqua anima propaganda, ſicut nec ex corpore ita conſiderato unquam corpus productum fuiſſet, niſi tum ex ſupernaturali Spiritus S. operatione per infinitam Dei potentiam ita producta fuiſſent. Sane ergo hæc humana natura nunquam fuiſſet, ſi homo non peccaſſet. Quo argumento iterum conficitur, Chriſtum non fuiſſe in Adamo peccante. Recte enim & ſolidiſſime *B. Dannhaverus* in Hodoſophia, Phœnom. VIII. p. 614. *Illi dicuntur fuiſſe in Adamo, qui ex Adamo neceſſario nati ſunt. At Chriſtus ſolum ex occaſione peccati natus eſt, non naſciturus, ſi Adam non peccaſſet.* Quæ proinde quæſtio, cum in ea quam maxime cauſa noſtra verſetur, diductius omnino hic nobis ex inſtituto diſcutienda erit. Chriſtum, etiamſi homo non peccaſſet, venturum, poſt *Scotum*, 3. Diſt. 7. quæſt. 3. §. *Catherinum*, opuſc. de eximia Chriſti prædeſtinatione, *Galatinum*, libro tertio de Arcanis Catholicæ Verit. cap. 4. *P. Suarez*, diſp. 5. per totam, præſertim ſect. 2. 4. & 5. etiam cenſuerunt *Andreas Oſiander*, Tr. de Imagine Dei, & ex Calvinianis *Bucan.* Inſtit. Art. X. *Willettus* L. I. de ſtat. pr. hom. f 29. item *Socinus*, de ſtat. pr. hom. f. 37. *Smalc.* c. Franzium f. 530. & horum aſſeclæ. Scotiſtæ quidem afferunt palmarias has rationes: (1.) quod Chriſtus prædeſtinatus ſit ante præſcientiam peccati, ergo etiamſi nullum peccatum exſtitiſſet, nihilominus tamen verbum fuiſſe incarnatum; (2.) Quod Prædeſtinatio Chriſti, & gloria atque dignificatio humanitatis illius, fuerit finis, propter quem Deus permiſerit peccatum Adæ, cumque ex intentione finis procedat electio mediorum, ergo prius in ſigno rationis fuiſſe præviſam & volitam a Deo incarnationem Verbi & exaltationem humanitatis Chriſti, quam alia, quæ

quæ pertinent ad ordinem naturæ vel gratiæ; (3.) Quod Deus non voluerit primo & per ſe incarnationem Verbi, ob remedium peccati originalis, ſed propter ſe ipſam & propter majorem divinæ bonitatis manifeſtationem: nam id quod eſt perfectius, non debere ordinari ad id, quod eſt minus perfectum, neque appeti propter illud. Conſtare autem, incarnationem Verbi excedere in infinitum reparationem generis humani: ergo etiam, inquiunt, non exiſtente peccato, Verbum divinum incarnatum fuiſſet. Quas excerpere licet *ex Didaco Alvarez, de Incarnatione Verbi Diſp. IX, p. m. 61.* Verum cum ipſimet Thomiſtæ opinionem hanc refutant, nominatim *Capreolus* Lib. III. dec. I. quæſt. unic. art. 1. concluſ. 1. & *Vaſquez* Diſſ. X. cap. 4. aliique (conferatur *Alvarez, loc. cit. pag. 62. ſeqq.*) his de copiis Thomiſtarum ſatis faciemus. Socinianos vero falſarum hypotheſium convincemus. Omnes denique ex ſacris litteris docebimus, non venturum Chriſtum, ſi Adam non peccaſſet. Notamus ergo, (1) quamvis Deus uno ſimpliciſſimo actu omnia ſimul intelligat, ordinet, atque decernat; nihilominus ad noſtrum concipiendi modum, in ipſo intellectu divino diſtinguenda eſſe diverſa rationis ſigna, quæ quidem non diverſificantur ex parte actus intellectus vel voluntatis Dei, ſed ex parte objecti, ſecundum quod unum objectum habet ab altero dependentiam. Notamus (2.), quod finis ultimus, propter quem Deus creaturis ſe voluit communicare, ſit ipſe Deus, juxta Proverbiorum XVI, 4. *univerſa propter ſe ipſum operatus eſt Dominus.* Nihilominus tamen dantur alii fines proximi & intermedii, propter quos Deus aliqua operatus eſt ad extra, ſicut creavit res corporales propter hominem. Jam audiamus Thomiſtas, ſuam atque adeo noſtram ſententiam probantes: (α) Myſterium incarnationis docet Scriptura proceſſiſſe ex dilectione æterna, qua Deus homines dilexit, & ex

 affectu

affectu miſericordiæ, quo voluit hominum ſublevare miſeriam *Joh. III. ſic Deus dilexit mundum &c. Epheſ. II. Deus, qui dives eſt miſericordia &c.* Sed ante prævisionem miſeriæ naturæ humanæ, quæ per peccatum incurrit, non poteſt intelligi in Deo hujusmodi affectus miſericordiæ erga hominem. Miſericordia enim præſupponit miſeriam ſublevandam. (β) Scriptura quando cauſam alicujus facti aſſignat, ibi illa cauſa vel ſola iſtius facti eſt vel principalis, e. g. *Rom. V. per unum hominem peccatum introiit in mundum & per peccatum mors.* Mortis ergo ſola cauſa peccatum eſt, & quando de incarnationis myſterio agit, cauſam adſignat redemtioni a peccato, uti infra docebimus. (γ) Si ante præſcientiam peccati, factum in Trinitate fuiſſet decretum de incarnatione Chriſti, decretum factum fuiſſet, Chriſtum venturum aut in carne impaſſibili, aut paſſibili; (tertium non datur.) Non in carne impaſſibili, ſi enim hoc decretum factum, licet vel maxime veniente peccato, Chriſtus in hac carne impaſſibili veniſſet, alias enim hoc decretum non fuiſſet efficax, aut fuiſſet præviſo peccato mutatum, quod contra Apoſtolum *Jacob. I. apud Deum nulla transmutatio aut viciſſitudinis obumbratio eſt.* Non in carne paſſibili; non veniente enim peccato nemo hominum fuiſſet mortuus. Quare autem Chriſtus peccato non exiſtente habuiſſet carnem morti ſubjectam? vid. quoque beati Dn. Parentis mei *Joh. Ulrici Mayeri* Diſſert. de *Imagine DEI,* quæſt. 16. Falſis autem hypotheſibus hic niti Socinianos, patet inde, quod (1) defendant, Divinitatem Chriſti in æterna præordinatione conſiſtere. (2) Hominem integrum mortalem a Chriſto immortalitate donandum fuiſſe. (3) Officium Chriſti non in ſatisfactione pro peccatis, ſed ſalutis tantum ὁδηγήσει & annunciatione poſitum eſſe. Conferatur *Scherzerus* in Colleg. Antiſocin. Diſp. 45. p. m. 374. Sanior his omnibus ipſe Jeſuita *Becanus,* qui ipſe fateri cogitur de incarnatione:

Q. 7.

Q. 7. in noſtra ſententia *magis commendari charitatem Dei.* Norma nobis Scriptura S. in qua ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis aſſignatur. Ut patet, *Luc. 19, 10. Venit* tantum *quærere* ac *ſalvare quod perierat;* ſi ergo homo non periiſſet, Chriſtus, qui eum quæreret ac ſalvaret, non veniſſet. Niſi in Adamo primo fuiſſemus mortui, Adamus ſecundus, in quo vivificaremur, venire non debuiſſet: in quam ſententiam *oppoſitio Adami primi & ſecundi* ad Rom. V, 12. it. 1. Cor. XV, 45. 47. eſt accipienda. Recte ergo *Auguſtinus*, Serm. 9. de ver. Apoſt. in princ. Tom. X. *Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa.* Unde adeo conſtat, incarnationis neceſſitatem hypotheticam, minime vero abſolutam fuiſſe. Si autem non neceſſario fuit in lumbis Adami, neque in iisdem peccaſſe, cum iis, qui neceſſario ex Adamo naſcendi erant, cenſendus innocentiſſimus Servator noſter erit. Addimus oppoſitionem illam Chriſti tanquam Sacerdotis Melchiſedeciani & Sacerdotum Leviticorum ad Hebræos Cap. VII, 9. Καὶ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, διὰ Ἀβραὰμ καὶ Λέυι ὁ δεκάτας λαμβάνων δεδεκάτωται, Et, quo fortius ſtringamus circa evolutionem hujus loci, notamus, quod Chriſtus Sacerdos Melchiſedechianus opponatur Sacerdoti Levitico in illo tertio, quod in lumbis Legi non fuerit ſubjectus, cui autem nulla Lex poſita, in illum non cadit transgreſſio. Hæc noſtra eſt ſententia, ad veritatis revelatæ normam exacta, adductisque rationibus nixa. De cetero benevolo Lectori de eo libere judicare permittimus, quam ſolide vel Arminiani vel Calviniani * quæſtionem decidere

* Qui adcuratius cognoſcere cupit, quam ſolide *Calviniani* (quemadmodum Auctor *Reformatos* cognominare amat;) Quæſtionem hanc decidere ſatagant, is adeat Tractatum *Ant. GARISSOLII,* Theologi Montalbanenſis Clariſſimi, *De Imputatione primi peccati*

dere ſatagant. Sane *Petrus Molinæus*, Paſtor Eccleſiæ Pariſienſis, in Anatome ſua Arminianiſmi, Cap. VII. p.m. 41. hunc nodum ita ſolvit: *Unus Chriſtus ab hac labe immunis, peccatum originale a matre non traxit. Paulus quidem Rom. V, 10. dicit, omnes homines in Adamo peccaviſſe, nec dubium, quin Chriſtus fuerit in Adamo, quippe unus de Adami poſteris. Non tamen axioma illud Apoſtoli Chriſtum attingit, quia Chriſti perſona non fuit in Adamo, ſed tantum ejus humana natura. Nec eſt ab Adamo, ut a principio agente, & a vi ſeminante, ſed inde traxit materiam, quæ illapſu Spiritus ſancti a communi contagione vindicata eſt.* Contra quem *Joh. Arnoldus Corvinus* in Cenſura Anatomes Arminianiſmi, ad §. VI. Cap. VII. de originali peccato p. 110. b. prolixe diſputat, his verbis: *Quod Chriſtum non attingit axioma Apoſtoli Rom. 5. dicentis, omnes in Adamo peccaſſe, certiſſimum eſt. At cauſam, ob quam Chriſtum non attingit, non recte explicas. Concedis, illum fuiſſe in Adamo. At quæritur, an in eo fuerit cum peccavit? Si fuit tum in eo, (cum divini fœderis cum primis hominibus initi hæc fuerit ratio, ut favor eodem promiſſus, ac dona in Adamum collata, ad poſteros transmitterentur, ſiquidem in obedientia perſtaret; ſi vero ab ea deficeret, cum ipſo, tanquam*

Adæ, editum A. 1648. quo Decretum Synodi Nationalis Carentonii habitæ ea de re data opera explicavit, & contra Variorum ſtrophas fuſe vindicavit, allatis etiam innumeris conſentientium Theologorum teſtimoniis. Ibi v. gr. pag. 558. nodus iſte, præter alia, jam ſic „ſolvitur: Quod Chriſtus ex Adamo natus ſit, non *vi* „*benedictionis* illius *generalis*, quam Deus pronuncia„vit ante peccatum hominis, adeoque antequam neceſ„ſaria eſſet redemtio; Sed *vi promiſſionis particularis*, „qua homo poſt peccatum in ſpem divinæ miſericordiæ „erectus eſt, *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis*. „Geneſ 3, 15. Ex recentioribus, loco omnium, conſuli poteſt Celeb. *HEIDEGGERUS*, *Corp. Theol. T. II. Loc. XVII.* §. 34. *J. J. H.*

quam ejusdem peccati rei, omnes poſteri iisdem orbarentur,) demonſtrandum erit, quomodo in Chriſtum ipſum peccatum ejusque pœna non tranſierit. Dicis, Chriſti perſona non fuit in Adamo, ſed tantum ejus natura humana. Reſpondeo 1. Naturam etiam peccare, docet Catechesis Palatina, quæſt. 17. cum docet, Deum velle, ut eadem natnra, quæ peccavit, pro peccato dependat. 2. Si iſta valebit exceptio, neque nos fuimus in Adamo; quia non anima, ſed corpus tantum noſtrum in eo fuit; niſi velis animam ex traduce eſſe, quod tamen ipſe negas Cap X. 3. Si natura humana Chriſti fuit in Adamo, ſit, ut perſona Chriſti fuerit in eo ſecundum iſtam naturam. Nam ut perſona Chriſti in eo fuiſſe dicatur, non eſt neceſſe ut utraque natura in eo fuerit, ſufficit, ſi fuerit natura altera. Sed vero, ſi natura humana Chriſti in eo fuit, id ideo etiam ſufficit, quia ratio, cur etiam nos in Adamo cenſeamur peccatores, eſt, quia de natura ejus participavimus. Si itaque Chriſtus in Adamo fuit cum peccaret, ac de natura ejus participavit; doce, quomodo in eo non peccaverit: & cur peccati particeps ex eadem lege non ſit, (quod abſit!) ex qua nos ejus participes facti ſumus. Accedit, quod licet nos etiam ſecundum corpus tantum proprie in Adamo fuerimus, ac illud tantum per traducem ex Adamo habeamus, tamen in nos, per divinam ordinationem peccatores habitos, tranſeat originis peccatum; quod animæ, non corporis, labem eſſe, dices infra, c. 10. §. 5. Quare cum ex iſta imputatione, ſecundum eam partem labem contrahi ipſe fatearis, ſecundum quam in Adamo proprie non fuimus, (ſi hic te ſequemur) ut Chriſtum ex peccato eximamus, ſi in Adamo fuit cum peccaret, non ſufficiet quod tantum ex parte, hoc eſt, ſecundum aliquam tantum naturam in Adamo fuit. Adfers aliam rationem, hanc puta, quod Chriſtus non eſt ab Adamo ut à principio agente, & à vi ſeminante; ſed inde tantum traxit materiam, quæ illapſu Spiritus ſancti a communi contagione vindicata eſt. Reſp. 1. Si ſufficit ad Chriſtum contagione peccati originalis eximendum, quod ab Adamo non eſt, ut à principio agente & a vi ſeminante, neceſſe eſt, ut ab eo ſtatuas eſſe contagionem a quo vis iſta eſt: Adeoque materiam per ſe peccato

infectam non eſſe: ideoque neque in Chriſto ab ea contagione illapſu ſpiritus eſſe vindicatam, hoc eſt, tacite tibi hic contradicis. 2. Concedis etiam, ut jam monuimus, peccatum originis non corporis, ſed animæ labem eſſe. Quare, cum anima non ſit ex vi ſeminante, ſequitur etiam, cur Chriſtus peccato originis infectus non ſit, cauſam non eſſe, quod a vi ſeminante non eſt. Ac ſequitur etiam iterum, male dictum, materiam quam Chriſtus ex Adamo traxit à communi contagione vindicatam eſſe ſpiritus illapſu. Quomodo enim à communi contagione materia corporis erit vindicata, ſi originis peccatum non corporis, ſed animæ contagium eſt. 3. Pone vero, iſta omnia eſſe vera, hoc eſt, Chriſtum iſtas ob cauſas non contraxiſſe labem originalem; manet tamen adhuc quæſtio, an ſi in Adamo fuit cum peccaret, non fuerit reus peccati ab Adamo commiſſi. Duo enim tranſierunt ab Adamo in poſteros, reatus mortis & privatio iſtorum donorum excellentium, ſeu originalis labes. Si illapſu ſpiritus ab hac Chriſtus eſt vindicatus, explicandum eſt; quare ſit vindicatus ab illo. Si vero a reatu vindicatus non eſt, ſequitur eum non eſſe immunem ab originali labe. Quotquot enim in Adamo mortis rei ſunt, ad eos omnes tranſiit quoque peccatum. At rei mortis in eo facti ſunt omnes, qui in eo, cum peccaret, fuerunt; eaque ipſa, teſte Auguſtino, eſt ratio, cur peccatum participaverimus, quia in eo omnes fuimus, ita enim ille lib. 4. contra duas Epiſt. Pelagii c. 4. Reſtat, ut in illo primo homine omnes peccaſſe intelligantur, quia in illo fuerunt omnes quando peccavit, unde peccatum naſcendo trahitur, quod niſi renaſcendo non ſolvitur. Alia itaque quærenda eſt ratio; Scilicet non eſt concedendum, ſed ſimpliciter negandum, Chriſtum fuiſſe in Adamo cum peccaret: Tum enim ratio erit evidens, quod Chriſtus, cum in Adamo non fuerit quando peccavit, etiam in Adamo non peccaverit, nec peccati iſtius reus fuerit, ideoque neque participare potuerit, id quod ex peccato Adami fuit. Non fuiſſe autem Chriſtum in Adamo cum peccaret, inde ſit manifeſtum: quod de Chriſto mittendo tantum ex occaſione peccati Adami decretum factum ſit: ac ideo Chriſtus miſſus ſit, quia Adam peccaret; & ideo quidem ſit, ut peccatum deſtrueret; quod

quod ipſe ſupra etiam urſiſti. cap. 6. §. 10. Deinde ſi Chriſtus fuit in Adamo cum peccaret: veniſſet ſive Adamus peccaſſet, ſive non peccaſſet. At ſi ideo decretum de mittendo factum, quia Adam erat peccaturus, non veniſſet ſane Chriſtus, ſi Adam non peccaſſet. Quare non fuit etiam in eo cum peccavit. Nunc vide Molinæe, uter negligentius rem tantam attigerit, & uter magis hic ponderarit momenta rerum & circumſtantias lapſus Adami, tu an Arminius. *

FINIS.

* Quum Auctor tam prolixe verba *Corvini* adverſus MOLINÆUM excerpſerit, licebit & nobis adjicere, quomodo Theologi hujus maxime Venerandi cauſſa jam olim fuerit acta a Cel. WALÆO, in *Reſponſione ad Cenſuram J. A. Corvini in Cl. Viri D. Petri Molinæi Anatomen Arminianiſmi, &c. Cap. VII.* "Cum unicum Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum ab hac communi labe excipiendum eſſe, nulli ſit dubium, quia *talis nos decuit Pontifex, pius, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & ſublimior cœlis factus;* Hebr. 7, 26. diſputatur inter Theologos, quomodo Chriſti genus ad Adamum referatur Luc. 3, 38. & tamen in eo non peccaverit, in quo omnes peccaverunt, teſte Apoſt. Rom. 5, 12. Hic ſibi *Arminius* aliquid reperiſſe exiſtimat, ab aliis non ita obſervatum, nempe Chriſtum nondum fuiſſe in Adami lumbis, quando Adam eſt lapſus, quia promiſſio de Chriſto venturo lapſum ſecuta eſt, ac proinde nec ex vi benedictionis illius communis, *creſcite & multiplicamini,* ex eo ortus eſt, ſed ex vi promiſſionis ſingularis, *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis.* Hæc certe talia ſunt, ut ſi nihil deterius ab *Arminio* eſſet inventum, non eſſet quod offenderemur. Fatemur enim & nos, Chriſtum non niſi ad abolenda peccata in mundum veniſſe. Etſi vero ſint inter Patres & Scholaſti-

„cos, qui contrarium defendant, eos tamen Scripturæ „fundamentis deſtitui agnoſcimus. Sed quod propterea „*Corvinus* tam ſuperciliose contemnat, & refutare cone„tur, quæ ab aliis Theologis, & nominatim a Cl. MO„LINÆO in rem eandem dicuntur, more ſolito facit. „Quandoquidem locus ille, Rom. 5. *In quo omnes pec„caverunt;* ut & ille, Joan. 3. *Quicquid natum eſt ex „carne, caro eſt;* non niſi de ordinario inexiſtendi atque „naſcendi modo debent intelligi, inter quos Chriſtus „numerari non poteſt, cujus perſona ex Adamo non eſt, „nec natura ejus humana ex vi activa ſeminali concepta, „ſed miraculoſe per Spiritus S. efficaciam ſanctificata & „producta, ut optime notat Cl. MOLINÆUS. Atqui, „inquis, ideo hæc ratio non ſatisfacit, quia ſi Chriſtus in „Adamo fuit cum peccaret, quocunque tandem modo in „eo fuerit, non poterit ab illius peccati reatu eximi. „Verum *Corvine*, contradicendi ſtudium te ita præcipitem „agit, ut Chimæras tibi ipſe fingas. Nam qui dicit: „Chriſtum ex Adamo nec ſecundum perſonam, nec ſe„cundum naturam efficienter aut diſpoſitive eſſe ortum, „atque ideo in eo nec fuiſſe peccati reum, ſed tantum ſe„cundum materiam, quæ miraculoſe per Spiritus S. po„tentiam in utero Virginis eſt formata & ſanctificata, id „eſt, ne contraheret hanc labem impedita, & donis ſpi„ritualibus ſupra omnes conſortes ornata; An is pro„pterea dicit: Chriſtum jam in lumbis fuiſſe Adami, „cum peccaret Adam? Concedimus libenter, Chriſtum „ex vi promiſſionis ſingularis ex Adamo ortum, non ex „vi promiſſionis communis. Sed ratio, quæ à nobis „affertur, modum explicat, quo ex perſona jam rea & „naturali labe infecta, natura produci potuit, ab eadem „labe, ac proinde & communi reatu libera; quem mo„dum ipſe Angelus Domini nobis aperuit, quum dixit: „*Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbra„bit te, ideoque Sanctum, quod ex te naſcetur, Filius Dei „vocabitur.* Luc. 1, 35. Vid. *WALÆI Opp. Theol. T. II. p. 141.* J. J. H.

VI.

VI.
Nova Litteraria.

TRiſtem admodum atque lugubrem nuncium de obitu Virorum Clariſſimorum hæc, proh dolor! declarant Nova literaria. Amiſit Eccleſia *TIGURINA* d. 5. Kal. Maj. Antiſtitem ſuum admodum Venerandum, *Joh. Ludovicum NEUSCHELERUM;* natum A. 1672. electum A. 1718. in cujus locum ſucceſſit Vir Plurimum Reverendus atque Doctiſſimus, *Joh. Conradus WIRZIUS*, hactenus Eccleſiæ Cathedralis Archidiaconus digniſſ. cujus in Eccleſiam atque Rempublicam Literariam merita, ita ſunt nota & perſpecta, ut noſtris illum longe majorem habeamus elogiis.

Amiſit Eccleſia atque Academia *BASILEENSIS* Virum Plurimum Venerandum atque Doctiſſimum, *Hieronymum BURCKHARDUM*, Eccleſiæ Antiſtitem, S. S. Theol. Doctorem & Profeſſorem, Oratorem ſacrum maximum. Natus hic erat anno 1680. Cujus Viri orationum ſacrarum typisque deſcriptarum longum admodum exponere poſſemus indicem; quem autem cum aliis de vita Cl. *BURCARDI* recenſionibus ad ſequentem ſectionem remittimus. Orbata etiam fuit Academia *Baſileenſis* Viro longe Celeberrimo, Plurimum Venerando atque Eruditiſſimo, *Jacobo Chriſtophoro ISELIO*, qui ætatis annum 56. nondum compleverat; natus fuerat Vir nunquam ſine laude nominandus anno 1681. Mortem attulit ipſi brevis, ſed vehemens, inſultus febris illius Catarrhalis, quæ eum ab annis fere triginta perpetuo afflixit; is inſultus quatuordecim tantum dierum fuit. Verum intra hoc tempus vires corporis ita exhauſit, ut obitus ejus nihil aliud fuerit, niſi virium corporis defectus, quem ipſo die Eiduum Aprilis mors ſequebatur. Vitæ autem atque laborum tanti Viri delineationem

proxim-

proxime nos daturos, lectorem certiorem reddimus.

GENEVA etiam ſtat triſtis & attonita ex illato gravi vulnere per obitum Viri plurimum Venerandi atque Celeberrimi, *Joh. Alphonſi TURRETINI*, V. D. M. & SS. Theologiæ nec non Hiſt. Eccleſ. Prof. P. Natus hic erat anno 1671. operibus plurimis per orbem Eruditum ſparſis ita innotuit Vir Clariſſimus, ut vitæ ejus deſcriptio peculiaris merito locum peculiarem in ſequenti ſectione ſibi poſſit debeatque vindicare. Deceſſit annum agens 66. die trigeſimo Aprilis anni hujus labentis:

BERNÆ ad Cathedram Eloquentiæ & Hiſtoriarum fuit promotus Vir Reverendus atque Eruditiſſimus, *Joh. Fridericus KILCHBERGER, V. D. M.* Provinciam ſuam ingreſſus eſt oratione elegantiſſima atque diſertiſſima inaugurali, die 3. Maji, *de cauſis neglecti ſtudii politioris Literaturæ.*

Libri vero vel Diſſertationes prodiere:

1. Diſſertatio *de Legibus naturalibus, pars tertia.* quam ſub præſidio *τȣ μακαϱιτȣ Alphonſi TURRETINI*, defendit *Gedeon le Cointe.* 4to. plag. 2. Genevæ.

2. *De legibus naturalibus, pars quarta*, quam præſide Cl. *TURRETTINO*, defendit paucis ante beati Viri obitum *Jac. Andr. TREMBLEY.* 4to. pl. 13. ibid.

3. Exercitatio Philologico-Critica *de actis Pauli apud Epheſios, prima.* quam Præſide *Joh. Georgio ALTMANNO*, defendit *Theophilus Vægelin.* Bernæ, 4to. pl. 6.

4. J. Georg Altmanns erſte Solennitäts-Rede von dem Urſprung und Anfang der Griechiſchen Republicken, gehalten in dem Chor der groſſen Kirch zu Bern, den 23. Maymon. 1737. Bern, bey Müller und Wagner. 4to. 6. Bogen.

5. Schriftmäſſiger Bericht von dem wahren und lebendigen Glauben, und von dem Evangeliſchen Lehr-Amt, zu ge-

gemeiner Erbauung ans Liecht geſtellt von Samuel König, Profeſſore. Bern. 8. Bern. 11. Bogen.

6. *Abrahami RUCHAT*, V. D. M. & S. S. Theol. Profeſſoris Lauſannenſis, Diſſertationes quinque *de Fide Sanctorum*. 4. Lauſannæ. pl. 24.

7. Trois Diſcours: *le premier*, ſur la nature & les ſources des differens Sentiments, qui ſe ſont élevés dans l'Egliſe Chretienne; *le ſecond*, ſur la reunion de l'Egliſe Chretienne; *le troiſieme*, ſur la tolerance; Prononcés aux promotions publiques à Lauſanne, par *Jean Jaques SALCHLI*, *Profeſſeur en Theologie*, *& alors Recteur de l'Academie de Lauſanne*. à Lauſanne, chez Marc Michel Bousquet. 1737. 8. plag. 20.

8. Antritts-Predigt von der Vortrefflichkeit der Kraft GOttes in ſchwachen und geringen Werckzeugen; über die Worte des H. Pauli 2. Cor. 4: 7. gehalten in der Kirche zum Groſſen Münſter, den 19. Tag May, von Hans Conrad Wirz / Pfarrer derſelben Kirche. Zürich, bey David Geßner, Gebrüdere. 1737. 4to Bogen $4\frac{1}{2}$.

9. Jacob Lauffers / Geſchichte der Schweitzer. Fünfter und ſechster Theil. Zürich, bey Conrad Orell und Comp. 1737. 8.

10. *Joh. Jacobi LAVATERI*, S. Theol. Prof. Diſſertatio Theol. *de Vera divinæ Revelationis dignoſcendæ Neceſſitate atque Modo*. Reſp. J. Jac. Huldrico, V. D.M. Aſſum. J. Henr. Hottingero, S. Theol. Stud. Tiguri, Typis Geſſner. 1737. 4. pl. $5\frac{1}{2}$.

11. *Jo. Jac. BREITINGERI*, Profeſſ. Publ. Brevis *de Idiotiſmis Sermonis Hebræi* Commentarius; qui Linguæ Sanctæ Genium, Indolem ac Proprietatem clare exponit: Accedit *Lexicon Particularum*. Tiguri, litteris Heideggeri & Soc. 1737. 8. pl. 9.

12. Jacob Gyſt / M. D. und des Raths zu Arau, Hiſtoriſche und Moral-Demonſtration der Göttlichkeit und Warheit der Chriſtlichen Religion / wider die Atheiſten, Deiſten, Naturaliſten, 2c. Baſel, bey J. R. Imhoff 1737. 8. Bogen 74.

VII.

VII.

ELENCHUS

Diſſertationum atque Obſervationum

Tomo Secundo

contentarum.

Sectione V.

I. *Joh. Jacobi Lavateri, F.* Oratio Inauguralis, qua, præmiſſa brevi Icone Theologi, deſcribitur Vita Viri Clariſſ. *J. Jac. Hottingeri*, S. Theol. apud Tigurinos quondam. Profeſſoris. p. 7.

II. Catalogus Scriptorum publicatorum Ejusdem Viri Celeb. *J J. Hottingeri.* p. 38.

III. *Jac. Chriſt. Iſelii*, Conjectura in locum Dialogi de Cauſis corruptæ Eloquentiæ. p. 53.

IV. *Jacobi Bruckeri*, Diſſertatio Exegetica, in Epheſ. 2: 1. 2. p. 58.

V. *J. F.* Oratio, de Diſciplina Arcani Veteris Eccleſiæ, noſtra ætate non uſurpanda. p. 76.

VI. Conſpectus Operis, quod editurus eſt *Jacobus Zimmermannus*, Tigurinus. p. 127.

VII. *J. Caſp. Huldrici*, Epiſtola de Herma, ſeu ſtatua Mercurii prope Tigurum noviter obſervata. p. 134.

VIII. *Urielis Freudenbergeri*, Reſponſio ad Gabr. Hürneri Epiſtolam de Origine Cultus ſerpentum. p. 140.

IX. *Academiæ TIGURINÆ* hodierna Facies. p. 151.

X. Nova Literaria Helvetica. p. 173.

Sectione VI.

I. *Nic. Brunneri*, Cogitationes de Præſtantia & Perfectione Orationis Dominicæ. p. 181.

II.

II. *J. Conr. Wirzii*, Somnium de Medicina corruptorum Seculi Morum. p. 247.
III. *J. Caſp. Huldrici*, Obſervatio Philol. de Sancto canibus non projiciendo, ad Matth 7, 6. p. 271.
IV. *J. Frid. Stapferi*, Exercitatio Bibl. de Temporibus Refrigerii, ad Act. 3, 19. p. 285.
V. *Simplicii Verini*, Animadverſiones Criticæ in Ludov. Cocheti Diſputationem Theol. de Syſtematibus Orthodoxorum, Remonſtrantium ac Socinianorum. p. 311.
VI. Conſpectus *Academiæ BERNENSIS*. p. 330.
VII. Nova Literaria Helvet. p. 341.

Sectione VII.

I. *Guil. Poſtelli*, Syriæ Deſcriptio. p. 349.
II. *J. Henr. Ringieri*, Diſſertatio Theol. de Conſenſu Proteſtantium in Doctrina de Prædeſtinatione. p. 378.
III. *Anonymi*, Epiſtola, in qua Criticorum nonnullorum de ſenſu Orationis Dominicæ Prophetico judicium eluditur. p. 410.
IV. *Jac. Bruckeri*, Diſſertatio Epiſtolaris, ad Joel. 2, 23. p. 423.
V. *J. R. S.* Conjecturæ in Nummos quosdam Punicos, in Turditania cuſos. p. 433.
VI. *Sam. Kœnigii*, Specimina Arabiſmi in Proverbiis Salomonis. p. 447.
VII. *S. C. T. H.* Animadverſio Phyſico-Theol. in Epiſtolam de Reſurrectione mortuorum & Statu corporum glorioſorum (quæ extat Tempe Helv. T. I. p. 411. ſqq.) p. 453.
VIII. *J. Georg. Altmanni*, Diſquiſitio Philologico-Crit. in 1. Cor. 11, 10. de Muliere poteſtatem habente ſub marito capite. p. 462.
IX. *Ejusdem* Reſponſio ad Epiſtolam A. U. S. de Helvetia Græciſſante. p. 479.
X. *J. Caſp. Huldrici*, Diatribe de Filiabus Iſraeliticis pul-

pulvillos conſuentibus ſub axillas manuum. &c. ad Ezech. 13, 17. 18. p. 483.

XI. Nova Literaria Helvetica. p. 499.

Sectione VIII.

I. *J. Georg. Altmanni*, Diſquiſitio Philologico-Crit. ad Matth. 9, 23. de Conſuetudine Judæorum, defunctos cantu tibicinum deponentium, contra Spencerum, &c. p. 509.

II. *J. Jac. Syrbii*, Diſſertatio de Sabbatho Gentili. p. 527.

III. *Gerh. Herm. Menckenii*, Meditatio Philologica, ſuper Zephan. 1, 9. de Inſiliente ſuper limen. p. 571.

IV. *Academiæ LAUSANNENSIS* hodierna facies. p. 606.

V. *J. Frid. Mayeri*, Quæſtio Theol. Utrum Chriſtus fuerit in lumbis Adami peccantis? p. 610.

VI. Nova Literaria Helvet. p. 627.

VII. Elenchus Diſſertationum atque Obſervationum *Tomo Secundo* contentarum. p. 630.

VIII. Indices in utrumque Tomum ſequentes:

1. Locorum S. Scripturæ.
2. Vocum Hebræarum.
3. Auctorum, Rerum & Verborum.

* * * * * * * * *

Lectori.

VIII.

Lectori.

Cum jam *Sectio* hæc *octava* *TOMUM SECUNDUM* *Tempe Helveticæ* abſolvat, ex promiſſi fide, INDICES, quos (maximam partem) debemus induſtriæ & humanitati Viri Juvenis Præſtantiſſimi, *Rodolphi GOBETI*, adjicimus.

INDEX I.

LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

prior numerus *Tomum*, alter *paginam* ſignificat; *ROMANUS* autem *locos peculiari explicatione illuſtratos.*

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
	GENESIS.		
1	28	II.	617. 622
2	3	-	557
---	7	I.	132
3	15	II.	617. 622
4	1	I.	459
6	2	-	486
11	4	-	486
14	13	-	464
18	8	-	59
---	20	-	493
19	4	-	493
23	16	-	545
24	10	-	463
31	7	I.	546
33	19	-	546
39	6, 8	-	67
43	11	-	60
XLVIII.	22	-	541. ſq.
49	5	-	550
---	10	II.	202
	EXODUS.		
3	8	I.	58
5	2	-	496
31	13, 14	II.	556
34	5-7	I.	355
	LEVITICUS.		
27	12	I.	70

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
	NUMERI.		
1	10	I	463
13	24	-	58
14	4	-	474
22	5	-	462
---	7,15.&c.	-	464
23	7	-	463
24	18	-	501
	DEUTERONOMIUM.		
1	9	I	68
4	34	-	463
7	7-9	-	58
8	2	II	195
13	1	I	482
18	18	II	205
23	5	I	463
29	18	-	194
---	19	-	504
32	13	-	62
---	14	-	58
---	31	-	452.498
---	32,33	-	215
---	33	-	439
---	41,42	-	476.479
---	42	-	470.474
33	9	-	67
	JOSUA.		
13	2	I	464
24	32	-	545.546
	JUDICUM.		
14	8	I	62
	1. SAMUEL.		
5	5	II	584. ſq.
8	7	I	69
10	23	-	453

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
13	19-22	I	484
14	26	-	62
	2. SAMUEL.		
14	25-26	I	471
15	1	-	471.477
---	16	-	478
16	21	-	478
	1. REGUM.		
7	45	I	407
8	27	-	482
16	31	-	482
	2. REGUM.		
9	30	I	482
---	32	-	483
18	4	-	77
	1. CHRONIC.		
23	28	I	473
	2. CHRONIC.		
4	16	I	407
35	25	II	516
	ESRA.		
3	2-3	I	492
---	7	-	500
8	27	-	407
	JOB.		
19	25	II	458
30	4	I	505
42	11	I	546
	PSALMI.		
2	6	I	458
---	-	II	207
8	1	I	362
---	2	-	502
---	-	II	212
---	5	-	207

Pſal.	Vers.	Tom.	Pag.
10	7	I	217
12	3	-	462
18	30	II	579
19	10	I	194
31	8	-	68
32	1, 2, 3	II	193
40	13	I	475
44	20, 23.	-	357
45	5, 6	II	213
—	8	I	506
—	10	-	478
—	13	-	500
—	15	-	478
66	3	-	502
68	22	-	502
69	5	-	475
72	9	-	357
76	1, 2, 3.	II	203
81	17	I	62
110	2	II	213
—	3	I	358
—	4	II	206
—	6	I	473.476
118	22	-	69.452
125	3	-	462
137	7	-	501
147	19, 20.	II	203
	PROVERBIA.		
5	4	I	216
7	5	-	493
—	10	-	480.482
16	4	II	385
19	13, 26	I	472
25	1	II	447
—	3	-	449

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
26	18.22	II	449
27	6	-	450
—	7	I	63
28	11, 12	II	451
	ECCLESIASTES.		
8	8, 12, 13	II	189
9	11	-	189
	CANTICUM.		
2	8	II	579
5	1	I	62
—	10	-	475
—	11	-	482
—	14	II	14
11	14	I	481
	ESAIAS.		
1	10	I	501
—	18	-	475
—	27	II	193
5	12	-	523
—	16	I	354
VII.	15	-	55.ſqq.
8	20	-	476
9	5	-	455
11	2	-	356
14	13	-	502
—	30	-	215
22	2	II	443
—	4	I	215
23	2	-	480
—	4	-	498
—	6	-	480
—	13	-	498
—	15	-	500
—	16	-	500
—	17	-	499

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Cap.	Vers.	Tom.	Pag
24	23	I	507	8	2	-	406
28	9	-	59	XIII.	17,18	II	483.ſq.
--	16	-	452	16	13	I	63
30	33	-	481	20	40	II	206
32	10	-	58	26	4	I	487
33	22	-	356	--	15-21	-	498
34	4	-	508	27	3,4	-	498
35	6	II	580	--	6	-	479
40	5	-	212	28	14	-	482
49	6	-	202	38	20	-	487
54	1	I	480	,-	22	-	495
--	5	-	494	39	7	II	212
--	13	-	501	--	17	I	483
57	1	II	216		*DANIEL.*		
--	20	-	220	1	2	I	488
59	16	I	360	2	34	-	452
--	17	-	186	--	44	II	204
--	18	-	480	3	5,6	I	491
61	3	-	479	4	30	-	490
63	1	-	501	--	33	-	491
--	16	II	201	--	35	II	194
65	17	I	507	7	9	I	475
66	1	II	212	--	25	I	455
	JEREMIAS.						457, 504
1	5	I	68	11	36	-	462
2	19	-	216	--	38	-	482,487
4	18	-	216	12	7	-	360.462
9	17	II	516.518		*HOSEAS.*		
17	1	-	196	3	5	I	471
32	9	I	544	13	5	-	68
--	13	-	544	14	3	-	186
48	36	II	517.523		*JOEL.*		
	EZECHIEL.			II	23	II	423.ſq.
1	4	I	406	--	28,29	-	196
--	27	-	406	3	19	I	501
							AMOS.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
	AMOS.		
6	4	II	495
	MICHAS.		
7	6	I	472
	NAHUM.		
3	13	II	487
	HABAC.		
1	16	I	461
2	4	-	503
--	9	-	467
--	11	-	469
	ZEPHANIAS.		
1	9	II	571. ſq.
1	14	I	215
	HAGGAI.		
1	6	II	189
-	8	-	195
2	6, 7	I	504
	ZACHARIAS.		
3	9	I	451
5	7, 8	-	480
--	10, 11	-	488
6	13	II	206
9	3	I	498
--	9	-	468
11	14	-	461
12	8	II	199
14	9	I	357. 361
	MALACHIAS.		
1	6	II	188
-	11	I	212
2	7	-	503
--	11	II	212
	MATTHÆUS.		
3	4	I	60

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
4	4	II	195
5	34	I	212
--	43	II	199
6	14, 15.	-	193
--	18	-	210
VII	6	-	271. ſq.
8	11	I	356
IX	23	II	509. ſq.
13	11-15	-	93
--	21	I	213
--	25	II	214
15	8, 9	I	502
--	11	I	207
16	21, 22	II	93
--	24	-	188
18	15-22	I	127
23	2-3	II	202
--	9	-	212
26	7	I	219
	MARCUS.		
2	14	I	463
3	17	II	576
4	34	I	463
	LUCAS.		
1	31, 32	II	207
--	69	I	219
--	78	-	471
2	19	II	199
--	23	-	206
8	10	-	93
13	24	I	230
14	5	II	538
16	26	I	406
17	3, 4	-	127
18	10-14	II	189

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
XX.	36	I	411.ſq.
22	22	II	385

JOHANNES.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
3	13	I	474
—	29	-	465
4	5	-	544
—	22	II	197
—	34	-	199
7	39	-	196
12	28	-	212
—	31	-	145
13	26	I	463
14	26	II	197
16	9, 10.	-	429
—	12	-	93
—	13. 14	-	197
17	1, 4	-	212
—	4,6.26	I	355
—	17	II	198
—	19	-	206
20	15	I	454

ACTA.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
1	13	I.	463
II	19	II	285.ſqq.
3	22	-	205
4	28	-	385
7	16	I.	545
8	23	-	194. 195
11	23	II	385
13	7	I	455
15	20	-	196
17	28	-	136
21	14	-	358
25	27	II	94

ad ROMANOS.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
1	18	I	462
3	13	-	194 196
—	25	II	196
4	6, 7, 8.	-	193
5	12	II	614. ſq.
—	14	I	454
—	23	I	207
8	1	II	196
—	11	-	459
—	13,19-21	-	196
—	15	-	200
—	26	-	189
—	29	-	397
—	31	-	201
—	36	-	216
—	38	-	69
9	4, 5	-	203
10	14,15,17.	-	198
11	24	-	198
12	1	-	206
16	25, 26	-	198

1. CORINTH.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
3	2	II	94
—	21,22,23.	-	195
6	13	-	195
9	24	I	231
10	24	II	188
XI.	10	-	462.ſqq.
13	12	-	198
15	25,26,27.	-	195.207
—	35	I	417,460
XV.	43, 44	-	411,ſq.460
15	54-57	-	36

—

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
--	54-57	II	195, 201
			459
	2. CORINTH.		
3	3	II	199
--	14, 15	-	198
--	18	I	506
4	10, 11	II	458
6	2	I	219
--	4. 8	-	236
11	5	-	207
--	16	-	212
12	11	-	207
	GALAT.		
4	1	II	212
--	26	-	201
5	1	-	201
--	4	I	193
--	6	II	187
	EPHES.		
1	3	I	472
II.	1, 2	II	58. ſq. 145
2	11	-	203
--	12	-	64
4	8, 10-15. 16	I	475
--	26. 27	-	213
--	31. 32	II	196
5	15. 16	I	236
6	14-17	-	186
	PHILIP.		
2	1, 4	II	196
3	12	I	209
--	20	II	199
--	21	-	459
--	24	I	206
	COLOSS.		
1	24	I	206

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
2	8	I	160
3	1	II	199
-	13	-	196
	1. THESSAL.		
5	9	II	386
--	23	-	189
	2. THESSAL.		
2	3	I	361, 472
--	4	-	453. 454
--	8	-	458. 471
	1. TIMOTH.		
2	15	II	188
6	6	-	198
--	10	I	214
	TIT.		
1	15	I	225
--	2	-	193. 206
	HEBR.		
1	2	II	67
--	3	I	453
2	6	II	207
--	14	-	145
--	15	-	200
3	6	I	471
--	12	-	195
4	1	-	207
5	11	II	94
6	26, 27.	I	231
7	9	II	621
--	21	-	206
8	5	I	454
--	13	II	204
10	1, 2, 3	I	196, 228
--	12	II	206
--	22	I	228
--	28, 29	I	206, 231

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
11	1	I	231
--	4	-	460
--	6	-	460
12	6	II	207
XII	15	I	179.ſq.
12	25	-	231
13	8	II	217
--	15	I	186
	1. PETRI.		
1	11	I	453
--	13	-	206
2	5	-	500
--	8	II	385
	2. PETRI.		
1	10,11	II	199
2	3	I	467
--	6	I	495
--	8	-	493
--	12	-	237
--	15,16	-	464
3	3.4.5.	II	222
--	7,10,12,13.	I	508
--	15,16.	-	505
	1. JOH.		
2	18	I	454
--	21	-	456
3	24	II	208
	2. JOH.		
Vers.	1,3,4.	I	457
	3. JOH.		
Vers.	9	I	466
	JUDÆ.		
Vers.	2	I	459,463,465,470
	4	II	386

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
	9	I	504
	18	-	219
	APOCALYPSIS.		
2	9,10	I	357,501
--	13	-	454
--	14	-	463,465
--	15	-	466
--	20-23	I	480, 482, &c.
3	7	II	222
--	10	-	361
--	16	II	222
--	20	-	222
4	8	-	212
6	5,6	I	358,497
--	8	-	484
--	9,10	-	462
--	12-14	-	501,508
--	17	II	222
7	1-8	-	222
8	1	I	479
--	10	-	215
9	2	-	508
--	9	-	479
--	16	-	476
11	8	-	492.495
--	15.17.	-	362
12	1	-	480
--	6,7.	-	493
--	9	II	243
--	10,11,12	-	243
--	13,14	I	482,491
13	1	-	478
--	8-14,16.	-	476

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Cap.	Vers.	Tom.	Pag.
--	12-15.16	I	481	--	8	I	502
--	16,17	-	499	--	15	-	488
14	4	-	228	--	16	-	479,480
--	6, 7	II	222	--	18	-	498
--	8	I	485	18	2	-	485,498
--	9-13,14	I	222,495	--	4	-	492
15	3,4.	II	212	--	7	-	481
--	9	I	493	--	9, 11	-	499
16	2	-	502	--	12,13,21	-	498,499
--	12	-	467,488	19	10	-	362,453
--	13	-	467	--	20	-	482,495
--	19	-	485	21	1	-	507
17	2	-	482	--	4	-	361
--	3	-	485	--	23	II	223
--	5	-	485,493	22	5	-	ib.
--	6	-	462,481	--	14	-	212

INDEX II.

VOCUM HEBRÆORUM.

	Tom.	Pag.		Tom.	Pag.
אדנים	II	597	מורה	II	423
איצל	II	489	ממאיר סלון	I	219
אלון מורה	I	545	מפתן	II	583
בני האדם	I	486	נזם	I	549
בני האיש	I	486	על	II	581
דבש	I	60	פתן	II	583
דלג	II	578	צוד	II	498
המספחות	II	496	קורש	II	272
העתיקו	II	447	קפץ	II	580
חלילים	II	517.524	קרח	I	470
חמאה	I	59	קשיטה	I	545
חמנים	II	440	רוש ולאנה	I	188
חשמל	I	405	שבת	II	531
ירע	I	67	שכם	I	542
יער	I	62	שרש	I	213
מאס	I	69			

INDEX III.
AUCTORUM, RERUM & VERBORUM.

Characteres ROMANI integras Diſſertationes, &c. *Minores*, Authores citatos, deſignant. *Numerus* vero *prior* Tomum, *alter* Paginam indicat.

Tom. Pag.

A

Abarbanel. II 276
Abraham Cohen Irira. - 71
Abſalon. I 471
Abſynthium, Apoc. VIII. 10. - 215
ACADEMIARUM utilitas. &c. - 245.ſq.
Adonis fluvius. II 361
Ægyptiaci dies. - 545
Ægyptiorum de religione quinam ſcripſerint. I 136
Ægyptus typus Antichriſti. - 495
Ælianus. - 74.85. 217, 218. 224
- - II 163
ÆS Corinthiacum. I 400
-- nil habet auri. - 402
-- tres ejus ſpecies. - 403
Æſchines. - 15
ἅγιον quid Græcis. II 272

Tom. Pag.

Agricola. I 397
- - II 54
AGRICULTURA Emblema Scholarum. I. 509.ſq.
Ἀιώνων voce quid deſignarint Vett. II 67
Alberti. I 208 209. 224
Albertus Joh. Jac. - 242
Albertus M. - 45
Alcinous. II 73
Aldrovandus, Ulyſſes. I 399
Allegationis Characteres. I 185
- tio ubi non habeat locum. - 187
ALPINI Itineris Deſcriptio. I 553.ſq.
ALTMANNUS J. Georg. DE Antiqua *HELVETIA* Græciſſante. I 9.ſq.
- - *IN ESAI. VII. 15.* I 55.ſq.

Tom. Pag.
- - *DE ÆRE* Corinthiaco, &c. I 391.ſq.
- - *IN* 1. ad *CORINTH.* XI. 10. II 462. ſq.
- - *RESPONSIO* ad Epiſt. *Anonymi* de Helvetia Græciſſ. - 479. ſq.
- - *IN MATTH.* IX. 23. II 509. ſq.
- - ſcripta. I 86. 87. 88. 447. 577. II 173. 336. ſq. 342. 500. 501. 628
Ammianus Marcellinus. I 234
Αναψυξις. II 290
Angeli ſæpè ſignificant Miniſtros. - 474
Animalia quare culta. I 437
ANTICHRISTUS, de Typis ejus. - 449. ſq.
Apes frequentes in Palæſtina. - 62
Αποκατασασις. II 298
Αποφρας. - 550
d'Apples, J. Franc. - 609
Appollonius Rhodius. I 396
Appollonius Tyanæus. II 64
Apulejus. - 98
Arabs Interpres. - 198
ARABISMI in Proverb. Salom. II 447. ſq.
Aratus - - I 132
ARCANI DISCIPLINA Veteris Eccleſiæ, noſtra

Tom. Pag.
ætate non uſurpanda. II 76. ſq.
Ariſtæus Battus ob inventum mellificium Diis annumeratus. I 63
Ariſtoteles. - 207. 399
d'Arnay. Joh. Rod. II 609
Arnold. Gothfr. II 109
Arteriæ. I 101
Aſina Bileami, cujus typus? I 468
Aſphaltites Lacus. II 355
Aſtrologia quanti facienda? I 136
ATHEISMUS Viris quibusdam Eruditis impactus. II 129. ſq.
Athenæus. I 401
Athenagoras. II 453
Atomus quid? I 324
Atri dies. II 544
Auguſtinus. I 198 II 106. 107. 454. 458
Aulus Gellius. I 218 547. 548 II 559
Auſonius. I 277

B

Babel, nomen unde? - 488
- - typus Antichriſti. - 484
Baco, Rogerius. II 549

Bælius

Tom. Pag.

Bælius, Petrus. II 165
Barboſa. - 342
Bartholini, Pater & Fil. - 97
Bary. II 433
Baſilius. - 106
Baudelot de Dairval. I 396
Beauſobre. II 66. 82
Begerus. I 74
BERNENSIS Academiæ Conſpectus. II 330. ſq.
BERNOULLIUS, Johannes, de Nutritione. I 93. ſq.
- - *Nicolaus* II 160
Beroſus. I 136
Beza. - 194
II 473
Biblia, cum annot. Piſcatoris - 500
- - alia. - 502
Bibliotheca Brem. I 78. 206
II 151. 330
Bileam, typus Antichriſti. I 462
- - nomen unde - 462
Bilſius. - 97
Bingham. II 109. 186
Bochartus. I 60. 63. 287. 401, 403. 405. 409. 546. II 144
Bodmer. Jac. - 163
Bona Novi Teſtam. - 196
Borellus. - 97
Boſſuet. - 483
Boſtmannus. I 76
Botanica *de*, quinam ſcripſerint. I 154

Tom. Pag.

Bouchet. - 83
BOURGET, Ludov. de fatis *PHILOSOPHIÆ.* I 129. ſq.
Boze. I 79
Braunius. - 193. 195. 211
Breitinger. J. Jac. I 444 447
II 164. ſq 629
BRUKER. Jac. DISSERT. in EPH. II, 1. 2. - 58. ſq.
- - *in JOEL. II. 23.* - 423. ſq.
BRUNNER. Nicol. DE Utilitate *STUDIORUM* Human. I 283. ſq.
- - *DE* Præſtantia & perfectione *ORATIONIS DOM:* II 181. ſq.
Brunner. Rod. - 87. 447
II 339. 500
Bruyere. Jean de la I 47
Bucerus. II 117
Buddeus. I 79
II 169
Bulenger. I 74
Bulfinger. - 141
Burcardus, Hieronymus. II 502, 627
Burg, ut Straßburg, vox unde? I 14
Burnetus. II 119
Butirum quid propriè I 59
Buxtorfius. II 524.

C.

Cabbala, quinam de ea ſcripſerint? II 95
Cæſar. I 17, 18
Cæſius. - 399
Cain typus Antichriſti.

Tom. Pag.
I 459
Calandrin. Joh. Lud. - 448
Calculi infinite parvorum inventores. - 153
Callimachus. - 394
Calvinus. II 409.601
Camerarius. I 76,79
Cardanus. - 45
Carteſius. - 96. 101. 105.110.149.315
Caſaubonus. I 75 II 89.90.99
Cellarius. I 79
Chaldæorum de ſcientiis quinam ſcripſerint. - 134
Charron. - 47
Χασμα. - 4 6
Chyli in corpore via - 96
Chriſti munera in Oratione Dominica. II 204.ſq.
CHRISTUS an fuerit in lumbis Adami peccantis? II 610.ſq.
- - an naſciturus fuiſſet, ſi Adam non peccaſſet? - 618.ſq.
Ciaconius. I 18
Cicero. - 17.42. 46. 155. 156.176.284. 305.403 II 57
Clarius. - 496
Clericus, Johannes. - 54. 102
Clemens Alexandr. I 78 II 63.550.565
Coccejus. I 67.70. II 485.595
COCHETUS laudatus.

Tom. Pag.
II 311.ſq.
Cælius Rhodiginus. I 64. 216. 221. 402
Cole. - 96
Columella. II 537
Columnarum Jakin & Boaz materia. I 393
Commagenes fines. II 352
Confucius. I 140
Connor. - 76
Controverſiarum utilitas. - 419
Cornelius à Lapide. II 486
Corpus noſtrum idem numero manere nequit. I 107
- - quantum ei accedat & decedat. - 110
- - quodnam reſurrecturum. - 119
- - in genere quid - 323
CORPORUM GLORIOSORUM ſtatus. - 411. ſq. II 453. ſq.
Corvinus notatus. - 625.ſq.
Cramerus, Joh. Jac. - 154
- - *Joh. Rod.* I 92. 240.444.445.447 II 20.151.ſq.341
Crates. I 369
Crenius. - 76
Crocius. II 393
de la Croſaz. I 141
de Crouſaz. - 87
Cudworthius. II 70
Cujacius. I 292
Cunæus. - 544
Cuperus Gisb. I 74. 85.

Tom. Pag.

Cuprum album in Imperio German. prohibitum. I 404

Curcellaeus. II 385

Curtius. I 401

Cyrillus. - 207

II 84

D.

Dagonis limen cur ſacerdotes non calcarint. II 586. ſq.

Dallaeus. - 108

Decretum abſolutum. - 390

Δεκαβοιον. I 548

Delphenſium inſignia. - 23

Demetrius Phalereus. II 106

Demoſthenes. I 40. 46. 216. 218

Deylingius. I 79

Diaboli Imperium - 426

- - reſidentia in aëre. II 70

- - quomodo *αιων* dictus. II 66

Dialectica Vett. I 144

DIALOGUS de Cauſis corruptæ Eloquentiæ reſtitutus II 53. ſq.

Dio Caſſius. - 541

Diodorus Siculus. I 60. 61. 138. 399. 439

Diogenes Laërtius. I 144

II 61

Dionyſius Halicarnaſſenſis. I 208

Tom. Pag.

Dioſcorides. I 62. 63. 223

DISCIPLINA ARCANI Vet. Eccleſiæ, noſtra ætate non uſurpanda. II 76. ſq.

Doppert. I 79

Dorienſes, num Helvetiis ortum dederint? I 22

Dorſcheus. II 402

Douza. - 54

Drelincurtius. - 118

Drepanius Florus. - 384

Durandus. I 469

E.

de EDUCATIONE Liberorum recta. I 364. ſq.

Effuſionis Spiritus S. veſtigia in Orat. Dom. II 196

Egger Johannes I 239

II 336

ejus obitus - 499

Eiſenmengerus. - 71

Εκατομβοιον. I 548

Ελαιομελι. - 62

Electrum. - 409

R. Elieſer. II 62

Eloquentia quomodo conſideranda & comparanda. I 176

- - ejus vis - 284

- - quomodo ſacra comparata eſſe debeat. II 118

Elſ-

	Tom.	Pag.
Elsnerus.	II	70.478
Ennius.	I	42
Ephemerid. Pariſ.	-	78
Epheſii quales	II	65
Επι, ſub	-	470
Epicureorum ſyſtema.	I	147
Epiphanius.	I	77
Επισκοπειν	-	147
Εποψια	-	ib.
Eraſmus Stella	-	76
Ernſt, Samuel	-	577
Eſtius.	-	193
Ethica Vett. in quibus conſtiterit?	-	142
Evangelium primum an ſcaturigo cultus ſerpentum?	-	425
Ευαν in Orgiis quid?	-	78
Eugubinus.	II	71
Eunapius.	-	59
Euphrates.	I	467
Evremont.	-	47
Euripides.	-	46
Euſebius.	-	47.80
Euſtathius.	-	467
Εξαρχια	II	69
Extranei, quinam Vett?	-	88

F.

	Tom.	Pag.
Fabri, Anna	I	395
Fabritius, Albertus	II	68
Fervoris veſtigia in Orat. Domin.	-	189
Feſtorum celebratio apud Gentiles.	II	534
Feſtus.	I	396.548
Fidei veſtigia in Orat. dominica.	II	187
Filamenta in 1, 2, 3. ætate.	I	101.ſq.
FILIÆ Iſraeliticæ pulvillos conſuentes, &c.	II	483.ſq.
Florus.	I	401
Fœderis Gratiæ veſtigia in Oratione domin.	II	190
Forgeus.	I	101
Freinsbemius.	-	403
	II	54, 56
FREUDENBERGER. Uriel. DE origine cultus ſerpentum.	I	72.ſq.
- - *EJUS* Reſponſio ad Epiſtolam Hürneri.	II	141.ſq.
Fries. Joh. Henr.	-	502

G.

	Tom.	Pag.
Galilæus.	I	149
Gariſſolius, Stephan.	II	621
Gaſſendus.	I	150
Geamanus.	II	588
Gebhardus.	-	604
Gentium Natales unde dijudicandi?	-	12
Gäu, ut Thurgäu, unde?	I	14
Gentilium de Chriſtianis teſtimonia.	-	234

in

Tom. Pag.

- - in Chriſtianos vituperia. I 235

GEORGICA SCHOLASTICA. - 509.ſq.

Germani, quantum ſimiles Perſis? II 437

Gernlerus. - 15

Geſſnerus, Conrad. - 163

- - *Joh. Jac.* I 243.

- - *Johannes.* - 553
II 171

Glaſſius. I 185.216
II 62,272

Gliſſonius. I 96

Glorificationis veſtigia in orat. domin. II 195

Gnanigœls Malabarorum.
I 141

Goodvvin. - 18

Grabe, Jo. Erneſt, II 167

GRÆCISSANS Helvetia antiqua. I 11. ſqq.
II 479.ſqq.

Græcorum Cantus in luctu. - 512

Grævius. - 477

Grajæ Alpes. I 22

Grammatici, quinam apud Priſcos? - 17

Gregorius Francus. II 392

- - *Magnus.* - 490

Gronovius. I 394

Grotius. - 78
II 93.142.

- -

Tom. Pag.
272.511.516.ſq.

Gruner, Sigismundus. I 577

Guagninus, Alex. - 76

Gulichius. II 295

Gurtlerus. I 78.79.
360

Gyſi, Jac. II 629

H.

Hæreſis unica quænam?
I 458

Hagenbuchius, Caſpar.
- 444
II 162.ſq.

ab Hamm. - 275

HALLERI, Alb. EPISTOLA de partu bicipiti & unicorporeo. I 48.ſq.

EJUSD. ITER Alpinum.
I 553.ſq.

Harderus, Joh. Jac. II 503

Harmonia præſtabilita.
I 151

Hartknochius. - 73

Haſæus. - 206

Haugius, Joh. Jac. I 243
II 170

Hebræi, ad quos Epiſtola Pauli ſcripta. I 229

Heideggerus, Joh. Henr.
II 15.342
458.622

Heineccius. - 91

Hein-

Tom. Pag.

Heinſius. I 74
Helmontius. - 405
HELVETIA Antiqua Græciſſans. - - 9. ſqq. II 479. ſqq.
- - *Æ* primi Incolæ incerti. I 12
- - Nomen - 12
- - diſtinctio in pagos è Græcia eſt petenda. - 13
- - voces Græcis ſimiles. - 17
- - regiminis & legum cum Græcis ſimilitudo. - 19
- - Hiſtorici præcipui. - 173
Henkelius. - 397
HERMA ſeu ſtatua Mercurii noviter obſervata. II 134. ſqq.
Herodianus. I 217. 224
Herodotus. - 137. 207
Heſiodus. - 395 II 477. 551
Heumannus. - 59
Hieroglyphica, de iis quinam egerint? I 134
- - eorum origo. - 435
Hippolochus. - 400
Hieronymus. I 198. II 68

Tom. Pag.

Hirzelius J. Henr. Pat. II 156. ſq.
- - *Fil.* I 444 II 171
Hiſtoria naturalis. I 154
Hofmannus, Godof. II 25
Holzhalbius, Leonh. I 444 II 172
Homerus. I 216. 395
Horarum diviſio II 569
Horatius. I 21. 28. 33. 37. 38. 40. 42. 44. 46. 47. 216. 218. 222. 267. 367. 376. 395. &c.
Horchius. - 68
Hornius. - 97
HOROLOGIORUM portatilium Correctio. - 343. ſq.
Hoſpitalerus, Joh. Jac. II 167
Hoſpitalitas. I 348
Hottingerus, Joh. Henr. II 13. 17. 274. 275. 538
HOTTINGERI, Joh. Jac. VITA - 13. ſq.
- - Obitus. I 443
- - Elogium. - 534
- - Scripta. - 239. 576 II 38. ſq.
des Houilleres. I 47

Tom. Pag.
Huetius. I 83.239
II 141
HULDRICUS, Joh. Caſp. *DE* Herma ſeu ſtatua Mercurii noviter obſervata. - 134. ſq.
- - *DE* ſancto Canibus non projiciendo, *Matth. VII. 6.* - 271. ſq.
- - ad *EZECHIEL. XIII. 17. 18.* - 483. ſq.
- - *Joh. Jac. Theol. & Præpoſ.* - 13
- - *J. Jac. Paſt. & Prof.* II 161. 170. 273
- - *J. Jac. V. D. M.* I 243. 244
II 8. 622. 626. &c.
Hulſius. I 107
Humaniores Literæ cur ita dicantur? I 286
Humaniſtæ quinam? - 292
Humilitatis veſtigia in oratione domin. II 188
HURNERUS Gabriel, in *HEBR. XII. 15.* I 179 ſq.
- - *DE* Origine Cultus Serpentum contra Freudenbergerum. - 419. ſq.
Hyde. - 82. 140
Hylæ quid? - 145

Tom. Pag.
J.
Jamblichus. II 63. 69. 72. 74. 79
IDEÆ, quid ſint, ignorari, *DIALOGUS.* I 309. ſq.
Idololatria Veterum. - 140
Jeſabel, Typus Antichriſti. - 479
Jenner, Theophilus. II 335
Jeremias, Ben Abba. - 62
Ikenius. - 276
IMMANUEL, butyrum & mel comedens, &c. *ESAJ. VII. 15.* I 55. ſq.
Ingenium an etiam absque inſtitutione reddat virtuoſum. - 247
INSILIENTES ſuper limen, qui? *ZEPHAN. I. 9.* II 583. ſq.
Jom Toph. - 278
Jordan, nomen, unde? - 355
Joſephus. I 61. 407
II 553
Joſſevel. I 87
ISELIUS, Jac. Chriſt. DE Utilitatibus Academiarum, &c. I 245. ſq.

Tom. Pag.

- - *CONJECTURA* in locum Dialogi de Cauſſis corruptæ Eloquentiæ. II 53. ſq.
- - Obitus. - 627
Iſidis in Helvetia cultus. I 16
Iſidorus. - 396
Iſocrates. - 224
JUDÆORUM conſuetudo, defunctos cum cantu deponentium. II 509. ſq.
Judaiſmus typus Antichriſti. I 500
Julianus. - 234
Julius Firmicus. II 99
Junius, Hadrianus. I 64
Jurieu. II 276
Juſtificatio quid? - 193
Juſtinus, Hiſtoricus. - 63
- - *Martyr.* II 82
Juvenalis. I 30. 44. 47. 74. 222. 374. 585
II 137

K.

K nunc ponitur pro T. in Vett. monumentis. I 15
Καθαρσις ante Myſteriorum Communionem. II 89
Καιρος. - 290

Tom. Pag.

Kempis. - 503
KESITHAH quid? I 545. ſq.
Kilchberger. Joh. Fr. II 628
Kneph, vel Knouphis, Symbolum. I 408
Kochius. - 76. 78. 80
Koſen, ut Luterkoſſen. - 15
Köningius. - 405. 410
König, Samuel. II 340. ſq.
- - *EJUS* ſpecimina *ARABISMI* in Proverbiis Salomonis. - 447. ſq.
Kœthen, Joh. Jac. - 343

L.

Lafiteau. I 83
Lakemacher. - 79
Lampius. - 402
Lampridius. II 560
Lang. Caſpar. - 18
Lavaterus, David. I 241
II 157. ſq.
- - *Joh. Jac. Pat.* - 20
- - *J. Jac. Fil. ORATIO* Inauguralis &c. - 7. ſq.
- - *ejusd.* alia. I 443. 576. 577
II 161. 502
- - *Rodolph.* - 162

Tom. Pag.

LAUFFERUS Job. Jacob. contra *LIBRORUM MALORUM* abundantiam. I 26.ſq.

- - Cur ſcribere noluerit. - 30

- - quos legerit. - 46

- - *DE* literis *POLITICO* neceſſariis. - 167.ſq.

- - de *EDUCATIONE* liberorum. - 364.ſq.

- - alia. II 173.629

LAUSANNENSIS Academiæ Facies. - 606

Legiſlatoribus plurimum debent populi. I 248

Leibnitius. - 332

Leighius. - 216

Leonidas. II 446

Levi Barzelon. - 275

Levvenhœkius. I 100

Libanus, mons. II 362

Libertas bonum N. Teſtamenti. - 291

LIBRORUM MALORUM abundantia quomodo arcenda? I 29. ſq.

Libri boni, cur tam rari? - 35

Ligthfootus. - 61

Lipſius. - 187

II 54

Tom. Pag.

LITTERARUM Humaniorum utilitas. I 252. 283

- - in Theologia Naturali - 289

- - - Revelata. - 290

- - Militia. - 249

- - Juriſprudentia. - 291

- - Philoſophia. - 293

- - Matheſi. - 294

- - Medicina. - 296

- - Chymia. - 297

- - Politica. - 298

- - Ethica. - 302

de Litteratorum infelicitate cur non loquendum? II 77

Livius. I 40. 46. 172. 288.

Loo, ut Hermes Loo, quid Vet: II 138

de Loſea, Antoni. - 342

la Loubere. I 142

Lovverus. - 97

de Loys. Car. Guil. II 607

Lucanus. I 43. 46. 300

Lucianus. II 441.558

Lucius, Frider. - 502

- - *Samuel.* II 503

Lucretius. I 45. 148.399

	Tom.	Pag.
Ludevvig, *Joh.* *Mich.*	II	184
Luna, in nummis quale emblema. -		440
Lutherus. -	116	600. 610.
Luxuria in defunctis componendis ſtulta. -		515
Lydius.	I	210

M.

	Tom.	Pag.
Macrobius.	I	76
	II	536. 538
Magicæ artes nituntur Aſtronomia judiciaria.	I	134
Maimonides.	II	233
Majus.	I	186
Mallebranchius. -		150. 321. 332
Mantuanus, Joh. Baptiſta. -		494
Marcilius. -		76
des Marets. -		194
Mariana. -		46
Markius, Johannes.	II	594. ſq.
Martialis.	I	218
Martinus, Martini. -		133
Maſſilia à quibus condita? -		22
Matheſis Vett. -		152
- - Recent. -		153
Maundrittus. -		544
Mauritius, Anton. -		448
Maximus, Madaurenſis.	II	87
Maximus Tyrius.	I	44
MAYERI, Quæſtio de *CHRISTO* in lumbis Adami &c.	II	610. ſq.
Mead, Richardus.	I	77
MEDICINA corruptorum ſeculi morum.	II	247 ſq.
Mellis uſus.	I	64
Menagius.	II	60
MENKENIUS ad *ZEPHAN.*	I	9
	II	571. ſq.
Menzerus. -		401
Mercurius, in Helvetia cultus.	I	16
- - *EJUS* ſtatua noviter obſervata.	II	134. ſq.
Mercurius Triſmegiſtus.	I	139
Meſopotamiæ nomen unde. -		12
- - fines.	II	351
Metius Celer.	I	64
Μιαιναιν. -		198
Millius.	II	145
Mineralogiæ Scriptores.	I	154
Moliere. -		47
le Moine. -		60
Molinæus vindicatus.	II	625. not.
Momma.	I	486
Monas, quid? -		324

Tom. Pag.
Montagne. I 47
MONSTRI bicipitis & unicorporei deſcriptio. - 48. ſq.
Montfaucon. - 85
Morus. - 389
Morellus And. - 402
Mortuus peccato quis? II 62
Moſis baculus in ſerpentem mutatus. I 85
Moshemius. II 46. 91
la Motte, le Vayer I 32
MULIERIS poteſtas ſub Marito Capite. II 462. ſq.
Munſterus. - 485
Muretus. I 287
II 54
Μυνεις. - 89
Myſteria cognituri quomodo ſe probarint veteribus? - 89

N.

Nazareth. II 365
Nebucadnezarem inter & Antichriſtum paralleliſmus. I 490
Nemeſius. - 296
Nepos. - 17
Nervii, an Gallis adſcribendi. - 18

Tom. Pag.
Neuſchelerus. Henr. II 162
- - *Joh. Ludovicus.* - 627
Neutonus. I 150. 153
Νικολαος & Nicolaitæ. - 466
Nomen Dei quando ſanctificatum? - 355
NOVA Literaria Helvetica. - 86. ſq. 239. ſq. 443. ſq. 576. ſq.
II 173. 341. ſq. 499. ſq. 627. ſq.
NUMMI PUNICI, in quosdam conjecturæ. - 433. ſq.
De *NUTRITIONE*, Differtatio. I 93. ſq.

O.

Obſignationis veſtigia in Oratione dominica. II 194
Obadja de Bartenora. - 277
Oblationes Iſraelitarum quot? - 279
Oecumenius. - 294
Olaus magnus. I 73. 76
Olearius, Philippus. - 76
Opiniones hominum de Deo & divinis cur tam diverſæ? II 183

ORA-

Tom. Pag.

ORATIO DOMINICA, de Nexu & ſenſu ejus prophetico. I 351. ſq.
- - de *EJUS* Præſtantia & Perfectione. II 181. ſq.
- - ſolatio plena. - 260
- - In ea munera Chriſti. - 204
- - fatis Eccleſiæ applicata - 211
- - *EJUS* ſenſus propheticus contra Criticos defenſus. - 410. ſq.
Orgia quid & unde? I 78. 79
ORICHALCUM Vett. quid? - 394. ſq.
- - nativum non datur. - 397
- - de eo quinam ſcripſerint. - 402
Origenes. II 65
Oſiander, Lucas. - 593
Otto. I 292
Ovidius. - 24. 34. 37. 46. 65. 85. 214. 217. 218. 222
II. 514. 535. 557

P.

Paleſtinæ fertilitas. I 58

Tom. Pag.

- - Deſcriptio. II 354
- - quot Urbes. - 357
Πανηγυρις. I 209
Papinius. - 58
Parkerus. II 70
Paraphraſtes Chaldæus. I 196
Paterculus. - 300
Pauli peragratio II 373
Pauſanias. I 16. 22. 223
Pecquetus. - 97
Pecuniæ Vett. qualis figura? - 551
Pelargus. II 392
Pellicanus, Chuonradus. - 273. 490
Perizonius. I 394
Perſius. - 47. 75
II 164. 165
Petavius. I 401
II 67
Petorah Urbs. I 452. 466
Petri peragratio. II 372
Petronius. I 39. 46. 288
Pfaffius. II 79. 91. 93. 116. 184
Philo. I 207
II 555
PHILOSOPHIÆ Fata, ad noſtra usque tempora. I 129. ſq.

Tom. Pag.
Philoſophia orientalium in generalibus hæſit. I 141
- - Græcorum. - 143
- - Romanorum. - 148
- ejus Incertitudo. - 155
- - laus. - 156
- - utilitas in ceteris ſcientiis. - 157
Philoſophia Platonica, quando Eclectica dicta. II 59
- - eam quomodo diviserint Pythagorico-Platonici. - 96
Philoſtratus. - 61
Phocenſes e Græcia egreſſi. I 22
Pignorius. - 85
II 117
Πικρια. I 214. ſq.
Piſcator. - 68
Pithæus. II 54
Planetarum nomina diebus ſeptimanæ tributa. - 541. 544.
- - Dominium per dies & horas - 545. 566
Platerus, Felix. - 503
Platina. I 465
Plato. - 145. 397

Tom. Pag.
Plautus: - 22. 302. &c.
Plinius. - 18. 62.
234. 396. 409. 547
Plutarchus. - 30. 84.
177. 284. 370. 377.
388. 439. 547. 548.
551
II 99
Polanus. I 483
Polier. Georg. II 606
de Politica quinam legendi. I 169
POLITICUS JUVENIS, an & quibus Literis imbuendus. - 161. ſq.
- - ei inſtitutio neceſſaria eſt. - 164
- - neceſſaria Religio. - 165
- - Linguæ. - 166
- - Hiſtoria. - 167
- - Philoſophia Moralis & Jus naturæ. - 168
Pollutio quid? - 226
Pollux. - 205
Polus. II 68
Polybius. I 207
Polygamia cur in N. T. illicita. II 199
Pompejus, F. I 399
POSTELLI deſcriptio Syriæ. II 349. ſq.
Potterus. I 178

de

Tom. Pag.
De *PRÆDESTINATIONE* Conſenſus Proteſtantium. II 378. ſq.
Præficarum uſus apud Vett. - 519
Præjudicia quam nociva. - 183
- - quinam contra ea ſcripſerint? - 154
Precaturus qualis debeat eſſe? - 187
Prince-metall quid? I 405
Propertius. - 46. 75. 401
PROVERBIA Salomonis Arabiſmis referta. II 447. ſq.
Prudentius. I 214
Pſellus. II 72. 74
Puffendorf. - 383. 388
PUNICI NUMI explicati. - 433. ſq.
Pyrites lapides quinam. I 399
Pythagoræ μετεμψυχωσεως reminiſcentia. - 138
Pythagoras diſcipulos ſuos quomodo dividerit. II 97
Pythagorici utebantur dialecto dorica. - 98

Tom. Pag.
Πυθων. I 184

Q.

Quenſtedius. II 616
Quies Gentilium diebus Feſtis. - 534

R.

Raphelius. I 207. 217
Regenerationis veſtigia in Orat. dominica. II 192
Relandus. I 60. 82. 83
Religioſi dies. II 545
De *RESURRECTIONE* mortuorum &c. *EPISTOLA.* I 411. ſq.
- - in eam *ANIMADVERSIO.* II 453. ſq.
REUTLINGERI, Joh. Jac. GEORGICA Scholaſtica. I 509. ſq.
Rhenferdus. II 433
RINGIER. Joh. Henr. de *TYPIS* Antichriſti. I 449. ſq.
- - de *CONSENSU* Proteſtantium &c. II 378. ſq.
- - alia ſcripta. I 86 II 330. 501
RITTERUS, Jac. de corrigendis

Tom. Pag.
rigendis *HOROLOGIIS* portatilibus. I 343. ſq.
- - alia. - 87
Rohault. - 96
Romanorum Cantus in luctu. II 512. ſq.
Roſinus. I 73
Ruchat, Abraham. - 448
II 173. 606. 629
Ruſca, Ludov. - 23

S.

De *SABBATHO* Gentilium. II 527. ſqq.
Sabbathi nomen unde derivatum? - 530
- - an ex lumine naturæ notum. - 562. ſq.
Sacrificiorum diſtinctio apud Judæos. - 272
Salchlinus, Jacob. I 87. 448
II 608. 629
SALCHLINI, Joh. Rod. Diſquiſitio in *GEN. XLVIII*. 22. I 541. ſq.
- - alia. - 25. 86. 87. 443. 447
II 334. ſq.
Salinerius, Julius. - 54
Salmaſius, I 287. 410
Salomonis proverbia qua lingua ſcripta? II 448

Tom. Pag.
Saluſtius. I 167. 172. 288
Sanctificationis veſtigia in orat. dominica. II 193
Sanctorius. I 109
SANCTUM Canibus non projiciendum. II 271. ſq.
Sanguinis ortus & via. I 99
Satanas ſub forma ſerpentis cultus. - 82
Saturni dies ater habitus. II 543. 547
Savotius, I 402
Scaliger. - 76. 222. 287
II 532
Schelhornius. - 165. 169
Schelſtraten. - 115
Scheuchzerus, J. Jac. - 159
- - *Johannes*. I 241. 446. 558
II 159. ſq. 502
Scheurerus, Samuel. I 86. 87
II 330. ſq. 501
Schmidius. I 66
Schmuker, Joh. Henr. - 241
SCHOLARUM Emblema Agricultura. - 509. ſq.
Schotus, Marianus. II 17
Schræder. I 410
Scripturæ S. Veritas ex ſcriptis Gentilium confirmatur. II 529

Selde-

	Tom.	Pag.
Seldenus.	I	421
	II	540. 543. 552. 560
Seneca.	I	30. 46. 208. 234. 300
Servius in Virgilium. -		64. 76. 405. 408
De *SERPENTUM CULTUS* Origine apud Antiquos *DISSERTATIO.* -		72. ſq.
- - *EXAMEN* hujus Diſſ. -		419. ſq.
- - *RESPONSIO* ad Examen.	II	140 ſq.
Septimus dies an gentilibus fuerit obſervatus. -		539. ſq.
Simlerus.	I	175
Socrates. -		35
Sodoma & Gomorra, Typus Antichriſti. -		422
Solatium in Oratione Dom.	II	200
SOMNIUM de Medicina corruptorum ſeculi morum. -		247
Spanhemius.	I	24. 67. 400
Spartanorum mos circa infantes. -		29
Spenceus. -		196. 424
	II	145. 511. 518. ſq.
Spenerus.	II	611
Sprüngli, Jonas	I	577
Stamina ſuſtinet Hallerus. -		54
- - ficta dicuntur. -		120
- - ſola reſuſcitanda proponuntur & defenduntur. -		312
STAPFFERUS, Joh. Frid. de Nexu & ſenſu *ORATIONIS DOM.* prophetico. -		351. ſq.
- - *IN ACTOR. III. 19.*	II	285. ſq.
- - alia.	I	229. 239
Starkius.	II	486
Statius.	I	75. 218. 224. 408
Steiner. Joh. Lud. -		243
Steno. -		96
Stephanus. -		217. 400
Stoicorum ſyſtema. -		146
Strabo. -		12. 399
	II	5
Straube. -		272
Streſo.	I	194
Suammerdam. -		97
Suetonius.	II	100. 558
Suicerus.	I	60
	II	67
Suidas.	I	207. 228
Syneſius. -		218
Syracuſæ nomen unde?	II	443

	Tom.	Pag.
SYRBIUS, Joh. Jac. de *SABBATHO GENTILI,*	II	527. ſq.
SYRIÆ Deſcriptio.	-	349. ſq.
- - fines.	-	352
Syrus.	I	198

T.

	Tom.	Pag.
Tacitus.	I	23. 34. 40. 46. 219
	II	106
Talmud.	-	275
Taubmannus.	I	396
Tauriſci an Urienſibus ortum dederint?	-	23
Teleſmata Zabiorum.	-	135
Telluris forma ſecundum Chaldæos.	-	136
TEMPORA REFRIGERII, Act. III,		19.
quænam?	II	285. ſq.
Terentius.	I	27
Tertullianus.	-	553
	II	234
Theocritus.	-	136
Theodoretus.	-	89. 490
THEOLOGI Icon.	-	10 ſq.
Theologia Scholaſtica non revocanda.	-	611
Thermæ Wiſenburgenſes.	I	46
- - Securenſes.	I	561
Thuanus.	-	46
Thucydides.	-	40. 46
Thynni piſces in nummis.	II	438
Tibicinum uſus in luctu Vett.	-	512
Timæus Locrus.	I	145
TIGURINÆ Academiæ Facies.	II	151. ſq.
Tibullus.	I	46
	II	548
Toboll. Urbs.	-	435
Τόπος.	I	15
Toſſanus.	II	600
de Traitorrens, Franc. Frid.	-	609
Trey de	I	447
Tripolis.	II	361
Tſchudius, Ægidius.	-	503
Tubal, num ejus monumentum in Hiſpania?	-	435
Turretinus, Job. Alphonſ.	I	448
	II	112. 116. 341. 628
Typus quid?	I	454
Tyrus, Typus Antichriſti.	-	498
Tzetzes.	-	404

V.

	Tom.	Pag.
Valaſcus.	II	343

Va-

	Tom.	Pag.
Valerius Flaccus.	I	85
Valerius Max.	-	73
Vallemont.	-	61
Vellejus Paterculus.	-	407
Vertot.	-	299
Virgilius.	-	31. 37. 64.218.288.404
	II	537
Vitringa.	I	66. 69
	II	189.272
Vocatio efficax ſupponitur in oratione dominica.	-	191
- - Gentium, bonum N. T. invenitur in orat. Dominica.	-	203
Voſſius.	I	60. 63. 287. 400
Urſinus, Henr.	-	84
Urim & Thummim.	II	12
Vulcani nomen unde.	I	445

W.

	Tom.	Pag.
Walchius.	II	186
Waldkirch.	I	175
Wallius.	-	206
Warthonus.	-	96
Werenfels.	-	197. 332
	II	391
Wertmüller, Beat.	I	447
Wielandus, Geraldus.	II	18
Willius.	I	446
Williſius.	-	96
Windet.	II	70
WIRZIUS, Joh. Conr. de *MEDICINA* corruptorum Seculi morum.	-	247.ſq.
- - alia.	I	445
	II	342. 502. 627. 629
Witſius.	I	60
	II	502
Wolfburgius.	I	216.225
Wolfius, Caſpar.	II	15.20
Wolfius, Chriſtian.	I	141. 151.158.345.348
	II	343
Wolfius, Jo. Chr.	I	184. 223. 224
	II	60.65.89
Wokenius.	I	184

X.

	Tom.	Pag.
Xenophon.	-	164

Y.

	Tom.	Pag.
Υσσεῖν.	-	192.206.ſq.

Z.

	Tom.	Pag.
Zephaniæ Nomen & Vita.	II	573.ſq.
Zerduſthus Perſarum.	I	140

Zieg-

	Tom.	Pag.
Zieglerus, Joh. Rod.	I	233
ZIMMERMANNI, Joh. Jac. DIALOGUS de Natura Idearum. -		309. ſq.
- - *ORATIO* de Diſciplina Arcani &c.	II	76. ſq.
- - *CONSPECTUS* operis, quod editurus eſt.	II	127. ſq.
- - alia. -		168. ſq.
Zornius.	I	61. 208. 209
	II	283
Zuvinglius. •		117

F I N I S.

Menda

in Prima Sectione, cum rurſus nuper ederetur, obſervata, & nonnulla ex reliquis.

Tom. I. p. 8. l. 1. pro *eruditorum*, leg. *editorum.* p. 12. l. 24. leg. *ſit.* p. 20. l. 22. leg. *arma, quæ quivis agric. ad ſal. patriæ.* p. 28. l. 2. pro *ea* leg. *eo.* p. 44. l. antep. leg. *leniter.* p. 50. l. 13. leg. *ſeparans.* p. 52. l. 8. leg. *æque.* p. 58. l. 26. leg. *uvam.* p. 63. l. 27. pro *&*, leg. *ex.* p. 65. l. 15. leg. *naſci.* p. 74. l. 2. pro *ex*, leg. *&*. ibid. l. 13. leg. *qualia.*

Item, Tom. II. p. 166. l. 16. pro Holländiſche, leg. Halliſche. p. 329. l. 7. pro *vivo*, leg. *viva.* p. 497. l. 24. pro *vobis*, leg. *vos.*

MAG 2020136

Digitized by Google